UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Antidecalogvs Theologico-Politicvs Reformatus

Dript, Laurentius a


Paderbornae, 1672

urn:nbn:de:hbz:466:1-13441

Visual Library



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



G. I
23.


UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Pl. 2380 !

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Rmo et Celsmo Principi ac
Domino Dno Ferdinando
Episcopo Paderbornensi Comiti
tutori et Successori Monasterii
ensi S R I Principi ac Comiti
Pyrmontano Principi ac Domino
Suo Clementissimo humillima
subiectionis et obsequantiæ ergo
offerebat Author ip. Martyr
ipsa S Iosephi Anno 1672


ANTIDECA
LOGVS
THEOLOGICO-
POLITICVS
REFORMA-
TVS.
per
Laurent. à Dript.
Rudolphi del:
Löffler Iun: fecit.
SVMPTIBVS IOANNIS HESSI BIBLIOP. PADERBORN.



Ex Legato Celsmi Principis Ferdinandi.

ANTIDECALOGVS THEOLOGICO-POLITICVS

Reformatus.

Cùm appendice Refutatoriâ THEODORI REINKINGK, *quondam Daniæ Cancellarij de Regimine Ecclesiastico.*

AUTHORE

LAVRENTIO à DRIPT

Ord. S. Benedicti Prof. Gladbacensi; pridem in suo, & Imperiali Monasterio Corbeiensi, SS. Theologiæ, & Philosophiæ Lectore: nunc Rmi & Celsissimi Principis, & Episcopi Paderbornensis, ac Coadjutoris Monasterijensis &c. in Ecclesiasticis Consiliario, & Theologo Domestico.

Collegij Societatis JESV Paderb: 683.

Cum Privilegio Sac. Cæsareæ Majestatis.

16 72.

COLONIAE:

Sumptibus Joannis Hessij, Bibliopol. Paderbornensis.

UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Incivile est nisi toto libro perspecto, unâ aliquâ ejus particulâ propositâ judicare vel respondere *l. 24. ff. de L.L.*

Reverendissimo Amplissimoq; Domino

D. BRVNONI

Celeberrimi Monasterij S. Viti in Gladbach Abbati ibidemque, nec non in Oëdt & Bocholtz Fundi Domino, Domino Prælato ac Patri suo Spirituali Colendissimo:

Reverendissime Pater Amplissime Domine.

SIsto tibi primum, sed exilem sane, utpote exilis ingenij fœtum: hoc titulo tibi soli, & nulli alteri debitum. Sisto Anti-sive Decalogum, neotericorum exoticis adinventionibus desed à me pro posse reformatum: hoc etiam titulo tibi præ alijs obligatum, utpote cujus vita & mores non aliud quam quod totus tantus quantus hic libellus & illud *Christi Matth. 7. v. 13. Intrate per angustam portam quia lata & spatiosa est via quæ ducit ad perditionem & multi sunt qui intrant per eam* cla-

mant. Vt filius patri, quod unice ante hac à me Amplitudo Tua exoptabat, id tibi, & per te toti mundo, quâ par est reverentiâ præsento novarum scilicet adinventionum (quarum & ipse aliquando amator fui) impugnationem. Tibi inquam cui infinitis quodammodo titulis & beneficijs astrictus sum: nam quod ad Sacrum S. Benedicti Ordinem Gladbaci admissus, tibi soli debeo: quod litterarum studijs applicatus, ad universitatem Colonienſem missus, ac prælegendarum Philosophiæ ac Theologiæ scientiarum præfectus, & ab ijs ad alia abstractus non fuerim: tibi soli debeo: quod paterno affectu miscente temporibus tempora, terroribus blandimenta tam prospera, quam adversa æquanimiter ferre, nec in illis vane extolli, nec in his pueriliter deijci, salutaribus tuis practicisque instructionibus edoctus sim, imò quod sim qui

sum:

sum: Tibi soli debeo, verbo, debitor, nec solvendo sum. Quomodo enim illi qui per Religionem me regenera-vit à quò si non esse, saltem bene esse tantùm quantùm habeo, æquale reddere valebo? bonísne cedam? jam omnibus per professionem cessum est: sed amanti amoris vicem reddere, & pro beneficijs gratum se exhibere, sufficit: hoc ago, & jam ex omni parte obligatus, usque ad mortem quæ omnia solvit me obligo, & donec illa pro me solvat sum & ero

Reverendissimæ Amplitudinis
suæ filiorum infimus

LAURENTIUS à DRIPT.

APPROBATIONES

Eximiorum Doctorum Almæ & Celeberrimæ Univers. Colonienſis.

JVDICIVM DE LIBRO NOVO

ANTI-DECALOGVS

Theologico-Politicus

inſcripto.

NOvus *Theologus novus infernus*, vetus eſt, & utinam non novum, verúmque dictum! Cadit verò non in probæ vitæ, ſanæque doctrinæ *Theologum*, qui inconcuſſæ *Decalogi* baſi innixus, juxta & *Scripturæ*, & *Patrum* regulas, ea in lucem dogmata profert, quæ *lectori* cœlum monſtrant, & *factori* lucem perennem pollicentur. At in quemlibet *Theologaſtrum* quadrat, qui novitatis, vanique nominis, avidus, eas orbi Chriſtiano ſuper vitæ, ac morum compoſitione conceptas ſententias in libris ſuis obtrudit, quæ præceptis *Decalogi* è diametro oppoſitæ, lectorem, factoremque à planâ cœli viâ in timendam orci abyſſum præcipitant, eóq; titulo non tam prælo, quàm Vulcano dignas reor.

reor. Sanè quid inter utrumque interſit, Admodum Reverendus Pater LAURENTIUS à DRIPT, Ordinis S. Benedicti inſigne lumen, per hunc ſuum *Anti-Decalogum Theologico-Politicum*, uti multijugæ eruditionis & induſtriæ, ita & hoc nomine nunquam ſatis laudatum opus, nervoſè docet. Inſpice, lector, Patris *Lectoris* opus, lege, ſat ſcio, mecum ſenties, & ſentiet, quicunque de novis dogmatibus iſtis, à quibus caſtæ, & purgatæ aures abhorrent, rectè ſentit. Inſpice, ac *lege* etiam Tu, Theologe, ac Tu Theologaſter, *Authoriq; Lectori* gratias uterque age. Vterque hîc, quod tibi ſcito opus, in opere præclaro, invenies: Tu, ut deinceps doceas, quæ benè docuiſti: Tu, ut dedoceas, quæ malè docuiſti. Ita ſentiebam 21. Martij, die S. Patriarchæ Benedicto ſacrâ, Anno 1671.

VVernerus Francken, SS. Theol. Doctor, & Collegij ad SS. Apoſt. Decanus.

DIvo Paulo Doctore gentium teste ad Hebræos *cap 5. v. 13. & 14. Omnis qui lactis est particeps, expers est sermonis justitiæ, perfectorum autem solidus est cibus, eorum, qui pro ipsa consuetudine exercitatos habent sensus ad discretionem boni & mali.* Laxitatum Patroni lactantes, lac potum dant, non solidam escam, *Antidecalogus* verò *Theologico Politicus* singulari industriâ, summa doctrinâ, & dexteritate reformatus per Admodum Reverendum & Religiosissimum Patrem LAURENTIUM à DRIPT, Ordinis S. Benedicti Professum contra benigniores nonnullorum interpretationes à laxitatibus ablactans dat saniorem in discretionem boni ac mali escam hinc dignus, ut lucem aspiciat, literarum amantium Musæa ornet, mensas honoret, Lectoremque cibo solido reficiat, & satiet. Sic judico & sentio Coloniæ 1671. 22. Martij.

Godefridus Molanus S. T. Doct. & Prof. Ordinar. ad SS. Severinum & Paulum Canon. & Pastor, Seren. Principis Archiep. & Electoris Colon. Commissar. Ecclesiast, Prothonot. Apost.

Quàm

QVàm nervosè monet severus Cato, quàm facundè suadet aureus Orator homil. 44. in Matth. *Si vestimentum empturus, unum gyrat negotiatorem & alterum, & ibi meliores vestes invenerit, ab illo comparat; an non oportet populum circuire omnes Doctores, & inquirere, ubi sincerè Christi veritas venundatur, & ubi corrupta, meliorem inquirere, plusquam vestimentum?* Quidni ergò rogandus Lector, ut damnata nonnullorum dogmata nec legat, neq; periculosas aliquorum Novatorum opiniones sequatur; imò & monendus, ut sedulò evolvat hunc *Anti-Decalogum* ingeniosè elaboratum, securissimeque vulgatum pro fidei augmento, & temerariæ doctrinæ decremento: eò vel maximè, quòd fideles *dilacerentur graviùs à pravis Doctoribus, quàm à cruentissimis hostibus?* ut cùm ploratu cordis in *epist ad Augustin* conqueritur *Orisius*. Cùm ergò varij Pontifices præcipiant, quòd *in dubijs, quæ salutem animæ respiciunt, ad vitandos graves remorsûs conscientiæ, pars securior sit tenenda*, ut in *Clement. Exivi. de V.S.* & in *c. ad audientiam 12 de homicid.* sicut & in *c. juvenis 3. de sponsalib.* Nos infrascripti non tàm approbandum

bandum cenſemus hunc *Anti-Decalogum*, quàm gratificandum *Eruditiſſimo* ac *Nobiliſſimo* ejusdem *Authori*; & ab illo petendum, ut ulterioribus ſcriptis cohibeat cœcos, & impugnet duces cœcorum: ne ingrediantur, ac ſuadeant *viam, quæ* ex opere benè opinantis *videtur homini recta*, Proverb. 16.25. *& noviſſima illius* ex opere malè operantis *ducit in interitum*. Coloniæ in Conventu S. Crucis Ordinis Prædicatorum, M. DC. LXXI. in feſto S. Gregorij Magni, Maximi laxitatum cenſoris, ac oſoris.

Fr. Caſparus von Collen *Ord. Præd. S. T. Doctor, p. t. Prior Conventus Colonienſis, & ad tractum Rheni ac Moſellæ Vicarius Provincialis.*

Fr. Henricus Hilden, Ord. Prædic. S. Theol. Doctor, & in Vniverſitate Colonienſi Publicus, & Ordinarius ejusdem Profeſſor: ac in Conventu Generalis Studij Regens.

Anti-

ANtidecalogum Theologico-Politicum, seu Decalogum pernicioſis moraliſtarum quorundam laxitatibus & pravis hæreticorum dogmatibus deformatum, quemadmodum Reverendus ac Religioſus Pater LAURENTIUS à DRIPT, Ordinis S. Benedicti, SS. Theologiæ Lector, nunc ſiſtit religioſè reformatum legi; & quia in eodem nihil Chriſtianæ fidei, vel probatis Chriſtianorum moribus contrarium; ſed veram potiùs ab Authore prædicto ſolidè ac modeſtè gropugnatam doctrinam reperi, publicâ luce, ac prælo judico dignum, ut timoratorum manibus teratur. Dabam Coloniæ 25. Martij Anno 1671.

Joannes Syberti *SS. Theologiæ Doctor ac Profeſſor Ordinarius Collegiatæ Eccleſiæ S. Andreæ Canon. Presbyter.*

LIbrum (qui inscribitur *Anti Decalogus Theologico-Politicus reformatus* &c.) eruditè compositum ab Adm. Rever. Patre LAURENTIO à DRIPT: Ordinis S. Benedicti SS. Theol. Lectore &c. legi, & nihil fidei aut Christianis moribus contrarium reperi, sed potius utilissima morum documenta, tutas conscientiæ formandæ regulas, atque antiquam & sanam doctrinam à dicto Authore solide propugnatam rejectis atque refutatis quorundam Moralistarum pernitiosis laxitatibus & hæreticis Machiavelli, ejusque asseclarum pseudopoliticorum sententijs. Hinc prælo & publicâ luce dignum censeo. Datum Coloniæ in Conventu S. P. Augustini Anno Domini 1671. die 23. Martij.

Fr. Joannes Schweitzer/ *Ord. Erem. S. P. Augustini SS. Theol. Doctor & Professor.*

Quem-

QVemadmodum olim in lege Mosaica, scribæ & Pharisæi quædam Decalogi præcepta pravis suis interpretationibus, sub specie traditionum Majorum perverterunt, rudemque plebem, sibi velut Legis Doctoribus obsequentem, in præcipitia transgressionum devolverunt: ita hodiedum plurimos laxitatum Cusores & Præcones reperire est, qui opinionum suarum commentis, sub probabilitatis prætextu, ansam præbent Christianis legem transgrediendi Evangelicam, asserentes, unicuique licere, quidquid propria conscientia probabilitate subnixa, agendum dictaverit. Contra quos Admodùm Reverendus, & Pereruditus Pater ac Dominus LAURENTIUS à DRIPT Venlonensis, Ordinis S.P. Benedicti Presbyter. SS. Theol. plures in annos indefessus Lector &c. in *Anti-Decalogo* suo insigni, rarâ, & clarâ eruditione, Authorum nominibus religiosè suppressis elaborato, calamum suum strinxit, quem proinde prælo & publicâ luce dignum censeo, utilemq; judico, ut à timoratis conscietijs legatur. Colon. Agrip. 23. Mart. 1671.

F. Theodorus Deghens; SS. Theol. Doctor & Professor Ordinar. Canonicor. Regularium S. Crucis Domus Colonienſis Prior.

Censura

Censura Ordinarii librorum Censoris.

ANti-Decalogo *Theologico-Politico reformato*, quem diversi SS. Theol. Doctores & Professores, qui eundem accuratè petlegerunt & examinarunt, in nullo non solum bonis moribus aut orthodoxæ fidei non adversari: Sed eruditè simul ac nervosè ab Admodum Reverendo Patre Laurentio à Dript compositum, foro conscientiæ perutilem fore ac necessarium attestantur, de potestate ordinaria lucis aspectum concedimus. Coloniæ Agripp. 23. Novemb. 1671.

Joannes Francken Sierstorpff Metrop. Eccles. Colon. Canon. Librorum Censor Ordin.

Facultas

Facultas Reverendissimi & Amplissimi Domini,

D. ÆGIDII,

Celeberrimi Monasterij S. Pantaleonis intra Coloniam Ordinis S. Benedicti, Congregationis Bursfeldensis Abbatis, nec non ejusdem per Germaniam Præsidis Principalis, &c.

CVm dilectus Nobis in Christo Frater Laurentius Dript, Monasterij Sancti Viti in Gladbach/ Ordinis S. Benedicti Professus, pro opusculo aliquo contrà quosdam Pseudo-Politicos, & sententiarum laxitatem à se studiosè, diligenterque compilato, ut prælo committatur, humiliter à Nobis licentiam expetierit; Hinc nos ejusdem pio zelo, & communi Reipublicæ Christianæ utilitati intenti, præviâ proprij Reverendissimi D. Prælati sui, & Librorum Censoris Ordinarij impetratâ approbatione, cæterisque servatis servandis, illud typis divulgandi facultatem concedimus, sperantes opusculum istud non tantum nihil sanæ doctrinæ, aut bonis moribus contrarium, verùm

verùm potiùs sententias solidas,& materias animabus Christianis, piorumque conscientiis complecti utilissimas. In quorum fidem has Officij nostri Sigillo, propriæque manus subscriptione munitas dedimus. Coloniæ in Monasterio Sancti Pantaleonis. Die 13. Febr. Anno 1672.

Ægidius Abbas S. Pantaleonis
Congr. Bursfeld. Præsidens.

(L. S.)

Ad anti-

Ad Antidecalogum Theologico-Politicum reformatum ejusq; Authorem Allusio poëtica Theophili Deirami Parochialis Ecclesiæ S. Viti in Well Pastoris.

HÆresis atra fidem quondã oppugnare solebat,
Hæresis at mores, nunc premit atra bonos.
Plurima nam cœli laxarunt dogmata callem,
Quem tamen angustum indicat ipse Deus.
Deflectunt veteri Sanctorum tramite Patrum,
Seque licet stultos, plus sapuisse putant.
Et fere quodcumq; est pleno ore probabile clamant,
Tandem etiam infernus credo probablis erit.
Hoc agit ambitio, sophiamque libido novandi,
Falsa placent illis, sint modo falsa nova.
Ni caveas ut rite caves Doctissime Dripti,
Si quod feciſti, perficiatur opus.
Perge novatores hos debellare superbos,
Et repara scriptis, publica damna tuis.
Turba quidem hęc numeroq́, potens, telõsq́; deco-
Sed sint hi Goliath, tu David alter eris. (ra est,

Illi

Illi apparenti fidunt rationis in auro,
Et temnunt magni verba diſerta Dei:
At tecum Deus eſt, tibi ſtat juſtiſſima cauſa,
Te clypeo Princeps, proteget ipſe ſuo.
Perge igitur tanto auſpicio pia bella movere,
Principe digna viro, nomine digna tuo,
Hoc tua nobilitas, hoc virtus clara parentum
Exigit hanc ipſam, qui præiere viam.

Alia.

Laxones premis, & Papalia jura tueris,
Hinc laxo gemit, & devia turba fremit:
Sed gemat, atque fremat, nihil eſt quia conſcia recti
Mens, Deus, intentum Pontificesque probant.

Lectori

Lectori salutem ab eo qui est vera salus.

Miraberis benevole Lector faciem, miraberis inscriptionẽ libelli: quæ inquies ista temeritas immaculatum à Deo in fumigantis Sinaij montis vertice Moysi traditum Decalogum re-vel potius deformare velle, & materiam à tot Clarissimis Viris Prospero Fagnano, Mercoro, Sinnichio, *aliisq; pro & contra eleganter discussam iterato quasi sub incudem revocare? sed mirari desine, sisto tibi non Antidecalogum nudè, sed talem idq; reformatum, à quo insuper tanquam à potiori frontispicium mutuavi: materiam probabilitatis vix quidem attingo, hoc unicè demonstrans in primis principiis legis naturalis, quæq; ex illis per facilem & necessariam consequentiam deducuntur, sententiæ probabili locum nec esse, nec esse posse: lucubratiunculam vero hanc suasu singularis cujusdam amici quodammodò ada-*

ctus suscepi, idq; boni publici amore: ea enim à medio fere sæculo fuit luxuriantium ingeniorum, estq; adhuc libido, ut satis illis non fuerit voluntaria divina & humana jura novis suis non fundatis adinventionibus sub specioso probabilitatis titulo convellere: si non & moralia Decalogi, quæ legis naturalis & æternæ indubitata sunt participatio, ausu temerario aggrederẽtur, & cœlestis illius Psalterij decachordi suavissimam harmoniam fœdis suis sanctioni divinæ & naturali repugnantibus sententiis turbassent, fuissentq; insidi duces ad devia per se nimis quam volubilibus.

Pleraſque opiniones Decalogi laxativas ordine ipsis præceptis à Deo & natura præstituto, ex aliis authoribus cum earundem & SS. Patrum rationibus insertas hic reperies, censuratas cum censura, nondũ censuratas, nisi eas ipsa ratio horreat, nec censurare intendo. Nihil hic ut ingenue fa-

nuè fatear novi est, cum nihil sub sole novum: egi tamen, ut plerique Neoterici mecum, sed fidum furem, hoc præstando, ut exhibeam tibi in compendio & parvulo manuali, quod etiam spatiando teras, quæ sparsim & fusè disjecta non sine fastidioso labore congesseris, licet nonnulla maximè in politicis deprompserim ex curta mea supellectile, quæ nullibi putem repereris. Tropos, schemata & eloquentiam oratoriam non est quod à me desideres, veritatis simplex est sermo non fucatus, phrases otiosis relinquo, nec te phaleratis delectari judicarim cum docente S. Aug. de. Doct. Christ. c. 11. bonorum ingeniorum insignis sit indoles, in verbis verum amare non verba.

Procedam verò per omnia modestè non solum non læsis novarum & sæpe censuratarum sententiarum cusoribus, sed nec nominatis quidem, licet ad manum essent, memor illius

Licuit semperq; licebit
Parcere personis dicere de vitijs.

Generalis de vitijs disputatio *inquit* ex S. Hiero. Klockius de Contrib. c.1.n.396. nullius personæ continet injuriam, neque carbone notat quemquam quasi malus sit, sed omnes admonet, ne mali sint: unde Rittershusius in Analect. fol.561. ex Cicer. pro lege manilia *ait:* Ego neminem nomino, quare irasci mihi nemo potest, nisi qui ante de seipso voluerit confiteri. *Subjungens quoque illud* D. Ambrosij Epist.83. Ego neminem nominabo, conscientia sua unumquemque conveniat. *Et sub num.102. ex* D.Hieron. Si quis dicta in genere ad se rapiat, atque in se dicta putet, eum quasi soricem suò indicio se prodere, & sibi malè conscium se hoc ipso indicare & Accusatorem sui esse.

In Appendice nihilominus, ubi Reinkingium *suique sequaces in Sedem Apostolicam & orthodoxos fatuè dignantes tango, pungentes quandoque pungo, sed citra condignum, & mitius quam forsan decebat ago, rationibus potius quã cavillis certandum ducens, quosdam ve-*

rô non tam scriptores juris publici, quam illorum politicas hæreses cursim notavi, partim ut appareat, ad quæ absurda & ridicula, quæ tamen apud asseclas tanquam ex tripode enuntiata venditantur, hæc passionum mancipia rapti fuerint, partim idque à potiori, ut doctiores in hac materia meliusque versati ad isthæc ornatius elucubranda incitentur: dolendum namq; est insulsis hisce molles adolescentum animos eousque intoxicari, ut ab universitatibus deviorum redeuntes tam vivâ voce, quam lectione similium authorum imbuti, ut plurimum non satis modestè, imò prout experimento didici, irreverenter etiam de Summo Pontifice & Hierarchiâ Ecclesiasticâ sentiant, idq; non sine ingenti Reipublicæ Christianæ detrimento.

Et quamvis de cætero, ne ullus in persona læderetur, studiosissimè allaborarim, quia tamen plurimi, quorum doctrina ipsis illæsis taxatur, jam de facto fuerint, futuriq;

turique sint libelli hujus contemptores, inque idea refutatores, nondum luci datus expertus est: quæ tamen conviciorum, & minarum fulgura expelui, tantum abest ut me à proposito diverterint, ut vel hinc prensarim occasionem ad prælum festinandi, avidus instrui & discutiendo veritatem magis magisque propalari: criminationibus verò scutum sinceræ intentionis oppono: debacchentur adeoque scioli convitientur, parum est: sufficit illis opellam hanc gratam esse, qui non student novitatibus, sed stant in antiquis patruiis, & inquirunt si sit via bona, ut ambulent in ea: horum judicium nullo tamen sinistro affectu præoccupatum, tantum est ut refugiam, ut etiam ultro expetam, paratissimus à quovis ubi hæsito quærere, ubi erro discere. Quod verò strictiorem & angustam Salvatore verbo & exemplo duce suaserim, occasionem forte Pharisæorum, si non hæredibus saltem æmulis da-

bit,

bit, in vitam moresque meos, an cum scriptis simbolisent, investigandi: quibus oppono stultitiæ proprium esse aliorum vitia cernere, suorum oblivisci, & in alterius oculo festucam, in suo nec trabem nec tabem videre: adnitor tamen & adnitar ultra cælesti adjutus favore, verba moribus ut respondeant: nihilominus vice cotis fungar, acutum ferrum, reddere valens, exors ipsa secandi: interim ne quæso nos ipsos palpemus, nec pro probabili vel veniali, quod mortale est nobis venditari sinamus, ne coram extremo illo tribunali æterno & irreparabili damno nostro contrarium experiamur.

Nullus in lege divina & naturali temeritati locus est, *ait* Lactantius lib. 3. cap. 13. In æternum stultitiæ pœna subeunda est, si aut persona inanis, aut opinio falsa deceperit. Et Augustinus lib. de Catech. rudibus. Cum videris, *ait*, multos non solùm hoc facere,

sed etiam defendere, atque suadere: tene te ad Legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: non enim secundùm illorum sensũ, sed secundùm illius veritatem judicaberis.

Totum hunc Antidecalogum Articulis duodecim absolvam, quorum quatuor erunt ad materiam præambuli.

Primus definitionem sententiæ probabilis cum Regulis probabilitatis ex P. Antonio Terullo desumptas continebit.

In secundo quæretur, an detur ignorantia invincibilis legis naturalis & primorum Principiorum illius.

In tertio, an detur vel possit dari ignorantia invincibilis Præceptorum Decalogi.

In quarto, an in materia morum potius sit standum sententiæ Sanctorum Patrum, an verò Doctorum Neotericorum, ac Scholasticorum: maxime quando materiam de quâ agitur, utriq; ex professo discusserunt. Reliqui octo exhibent singulas propositiones contra quodlibet præceptum adinventas, quarum syllabum sequentes paginæ exhibebunt.

Tu bone Lector vale & exiguâ hac opellâ mecum fruere, justitiæ, veritati & æquitati fave.

AD

AD ARTICVLVM V.

Contra primum Decalogi Præceptum.

1. Deorum pluralitas ſtando puris principiis naturalibus, defendi poteſt & propugnari.

2. Prudentia humana viribus naturæ derelicta, probabiliſſimè crederet dari plures Deos.

3. Probabile eſt, ſecundum prudentiam humanam ſibi relictam non dari Deum.

4. Poteſt dari ignorantia invincibilis Dei, quoad aliquod tempus ſaltem breve.

5. Probabile eſt poſſe dari hominem bono judicio præditum, qui invincibiliter totâ vitâ Atheus ſit.

6. Probabile eſt poſſe dari Rempublicam, quæ invincibiliter ignoret Deum.

7. Poteſt Deus creare homines Exleges, ſeu nulli legi ſubjectos.

8. In Præceptis primæ tabulæ poteſt Deus diſpenſare contradictoriè, in reliquis contradictorie, & contrariè.

9. In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam tempore vitæ ſuæ elicere actum charitatis.

10. Nunquam aliquod præceptum obligat, nisi sit determinatum.

11. Non tenetur homo totâ vitâ suâ elicere actum fidei & spei.

12. Majorem & potiorem curã politiæ Civilis & Regionis, quam Religionis oportet habere.

13. Cujus Regio, illius est Religio.

14. Diversas Religiones in Regno, vel principatu permittere expedit.

APPENDIX REFVTATORIA Theodori Reinkingk, de Regimine Ecclesiastico.

I. Princeps summam potestatem habet rerum tam Ecclesiasticarum, quam Civilium.

2. De Jure divino Princeps sæcularis habet Ecclesiasticam potestatem, estq; Episcopus.

3. Summus Pontifex in Ecclesiasticis, & sæcularibus Imperatori subjectus est.

4. Principi sæculari competit Jus instituendi dies festivos.

5. Principis sæcularis est Ministros Ecclesiæ vocare, & per se vel alios visitare.

6. Imperatoris, non Summi Pontificis est convocare concilia.

7. Hæretici extremo supplicio nequaquam puniendi. 8. Docto-

8. *Doctores ponentes, quod aliquis per Censuram Ecclesiasticam emendandus si corrigi noluerit, sæculari judicio est tradendus: pro certo in hoc sequuntur Pontifices, scribas, & Pharisæos, qui Christum sæculari judicio tradiderunt & tales sunt Homicidæ graviores Pilato.*

9. *Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus.*

10. *Dispositio circa Bona Ecclesiastica est penes Principem Sæcularem.*

11. *Pacta cum Hæreticis nequaquam servanda.*

12. *Princeps Christianus bello impetitus cum Turca & Infidelibus fœdus inire, & auxilium petere potest.*

13. *Princeps sæcularis excommunicari ecclesiastica potestate non potest.*

14. *Sacris litteris repugnat, & institutioni Christi Summum Pontificem habere Dominia temporalia.*

De donatione Constantiniana & Dominiis temporalibus sumi Pontif. in particulari.

15. *Pontificij continuam summorum Pontificum successionem à S. Petro usq; huc probare nequeunt.*

AD ARTICVLVM VI.

Contra II. Decalogi Præceptum.

1. Licitum est, tam in judicio, quam extra, jurare cum restrictione mentali non habito respectu ad intentionem juramentum petentis.

2. Qui mediante commendatione, vel munere ad officium promotus est, poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem petentis.

3. Si quis solus vel coram alijs, sive interrogatus, sive propriâ sponte, sive recreationis gratiâ, sive quocũq; alio fine juret, se non fecisse aliquid, quod revera fecit, vel etiam diẽ ab eâin qua fecit, vel quodvis aliud addititium verum, revera non mentitur, nec est perjurus.

4. Licet ambire Magistratum, aut officium, sollicitando suffragia Collatorum promissis Symposiis, pecunijs, muneribus per se vel suos, & nihilominus consuetum juramentum cum restrictione mentali facere, quod nihil dederit.

5. Licet in hunc finem pecunias munera per se vel per suos accipere, & tamen jurare se nihil accepisse.

AD

AD ARTICVLVM VII.

Contra III. Decalogi Præceptum.

I. Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, imò quatuor à diversis simul celebrantibus audit.

2. In audiendo missam de præcepto, & recitandis horis Canonicis ex obligatione, satis est attentio externa.

3. Satisfacit præcepto Ecclesiæ, qui non interest consecrationi

4. Missa omitti potest in die festo ob lucrum, quod tunc cessaret, si quis illi interesset.

5. Licitè quis vadit ad venationem, licet præsciat, se non posse habere missam.

6. Qui legit ea, quæ sunt in diurnali satisfacit præcepto divino.

7. Qui caret breviario, non tenetur ex diurnali legere horas.

7. Unicâ confessione & communione, duorum annorum obligationi satisfieri potest.

8. Unicâ officij divini Lectione, duorum dierum obligationi satisfieri potest.

9. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit Præcepto Ecclesiæ.

10. *Licet quotidiè per totum annum legere officium de resurrectione Domini.*

11. *Non peccant puellæ diebus festivis in privato nentes & laborantes.*

12. *Idem possunt Rustici & Mechanici.*

13. *Licet Pictoribus sine magno apparatu diebus festis pingere.*

14. *Licet diebus festivis venari, aucupari, piscari.*

15. *Barbitonsores, Sutores & omnes spe lucri notabilis laborantes diebus festivis non peccant, si non fiat ordinariè.*

16. *Per duas horas vacare operibus servilibus in Dominicis & festivis, non est mortale.*

17. *Dominus habens 10. famulos, quorum singulis mandat per duas horas successivè in eadem Dominica laborare serviliter, non peccat mortaliter.*

18. *Qui dormire nequit, nisi sumptâ vesperi cœnâ, non tenetur jejunare, nec in prandio collationem sumere, & vesperi cœnare.*

19. *Defessus ex labore licito vel illicito v.g. commixtione cum fœminis, liberatur à lege jejunij.*

20. *Propter Authoritatem Doctorum probabile est, nullos artifices obligari ad jejunia.*

21. *Vsus matrimonij est causa sufficiens ad omittenda ieiunia.*

22. *Qui in die ieiunij sæpius modicum comedit, licet notabile fiat, non frangit ieiunium.*

23. *Omnes officiales in republica, qui corporalter laborant, sunt excusati à ieiunio, sive labor sit com-sive incompatibilis cum illo.*

24. *Excusantur à ieiunio, qui iter agunt equitando, etsi necessarium non sit, & uniusduntaxat diei iter conficiant.*

25. *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, dum datur non ut pretium, sed solum ut motivum conferendi spirituale, vel ut compensatio gratuita, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, & finis illius rei spiritualis.*

AD ARTICVLVM VIII.

Contra IV. Decalogi Præceptum.

Probabile ac tutum est filios licitè cum indignis inire matrimonia Patre & matre dissentientibus.

1. *Licet absolutè desiderare filio mortem Patris, ut causam Boni sui.*

2. *Licet Parẽtibus optare mortẽ filiæ, ut à sollicitudine & cura illius liberẽtur.* 3. *In*

3. *In quavis probabilitate orta ex Jure, quilibet Rex licitè bellum gerit, contra alium Regem, etiamsi sit in quieta possessione.*

4. *Rex quivis ratione probabili nixus, subditos ad militandum, & belli sumptus & incommoda subeunda cogere potest.*

5. *Probabile est subditum dubitantem de ju sta Gabellarum impositione teneri illas solver*

6. *Probabile est subditum dubitantem de ju sta Gabellarum impositione non teneri solver*

AD ARTICVLVM IX.

Contra V. Decalogi Præceptum.

1. *Licet occidere calumniosum actorem, Testes, & injustum judicem, ad servandam vitam, vel res familiares.*

2. *Licet clerico & Religioso calumniatorem gravia Crimina de se vel sua religione spargen minitantem occidere, dum alius defendend modus non suppetit.*

3. *Religiosus qui fragilitati cedens fœmi- nam vilem cognovit, quæ id sibi honori ducen illum infamat, potest illam licitè occidere.*

4. *Licet occidere Invasorem etiam fugient post alapam impactam, aut illatam calumniã*

5. *Licet*

5. Licet acceptare duellum pro defensione honoris & occidere provocantem.

6. Licet occidere invasorem usurpantem rem, quæ tantum est valoris unius aurei.

7. Eodem modo non solum licet defendere, quæ possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus.

8. Tyrannum quivis privatus, privatâ authoritate occidere potest.

9. Minor est obligatio cavendi suicidium, quam altericidium.

10. Potest Judex reo præcipere, ut sententiam mortis in semetipso exequatur.

11. Justè damnatus, ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere.

12. Milites navales licitè ignem injciunt in pulverem sulphureum se conijciendo in mare, ut acerbiorem mortem evadant, & ne navis in hostium potestatem deveniat.

13. Probabile est fœtu necdum animato licere procurare abortum ad vitandum scandalum, aut mortem.

14. Probabile est omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali.

15. Consentiente filium pater castrare potest, ut voce & cantu Ecclesiæ serviat. 16. Ad-

16. *Ad vitandas carnis tentationes seip-*
sum castrare licet.

17. *Certius est posse se castrare propter vi-*
tam æternam, quod legimus fecisse Origenem &
multos sanctos attentasse aut desiderasse, quam
ob suavitatem vocis.

AD ARTICVLVM X

Contra VI. & IX. Decalogi Præceptum.

1. *Licet viro cœlibi optare mortem mari*
ad assequendam ejus uxorem.

2. *Licet uxorato optare mortem uxoris su-*
ad habendam aliam.

3. *Finis solius delectationis in conjugati-*
ne quidem veniale peccatum est.

4. *Copula cum conjugata consentiente ma-*
rito, non est adulterium.

5. *Osculum præcisè, ut est actus carni dele-*
ctabilis & remotè disponens ad seminationem
tantum est veniale.

6. *Contactus uberũ personæ sequioris sexu*
ex levitate aut joco, est solum peccatũ venial

7. *Licet quærere directè occasionem proxi-*
mam peccandi, pro bono spirituali, aut tempo-
rali nostro, vel proximi.

8. Nem

8. *Nemo tenetur vitare occasionem proximam peccati cum magno suo detrimento.*

9. *Potest absolvi, qui in occasione proxima peccandi versatur, quam potest, & non vult omittere, quin imò directè & ex proposito quærit.*

10. *Non peccat frater sorori in domo parentum cohabitans, licet sit illis occasio peccandi.*

11. *Famuli comitantes Dominum ad domum concubinæ, quo sine eis non iret, vel referunt literas internuncias & horam ad peccandum vel excubantes illis peccantibus absolvi possunt, si ob temporale commodum id faciant.*

12 *Fornicatio secundum se nullam involvit malitiam, sed solum mala est, quia prohibita.*

13. *Nulla ratione naturali ostendi potest simplicem fornicationem esse malam.*

14. *Mollities non est ex naturâ suâ mala, sed quia interdicta.*

15. *Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ.*

16. *Licet comedere, & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem, modo non obsit valetudini.*

17. *Non*

17. *Non nisi veniale est absque utilitate se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.*

18. *Gula ex naturâ suâ non est mortale, sed solum veniale peccatum.*

19. *Licet usque ad vomitum bibere & comedere, etiamsi quis vomat, ut iterum bibere possit.*

20. *Licitum est inebriare se, ex præcepto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit.*

21. *Licitum est inebriare se, si quis cogatur ad hoc intento ense.*

22. *Licitum est alterum inebriare ad avertendam proditionem urbis.*

23. *Non est ebrius, nec peccat mortaliter cujus phantasia aliqualiter turbata est, qui evomit, lingua titubat, cujus pedes vacillant, oculi cernunt duplicia, & domus gyrare videtur.*

AD

AD ARTICVLVM XI.

Contra VII. & X. Decalogi Præceptum.

1. Probabile est omnia bona subditorum spectare ad Reges vel Principes.

2. Dum ex utraque parte sunt rationes æquè probabiles, judex cui mavult parti rem adjudicare potest.

3. Dum causa partis unius probabilior causâ alterius, judex minus probabili causam adjudicare potest.

4. In causa æquali potest judex aliquid ab una partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.

5. Licitum est judici pro sententia injusta pretium accipere.

6. Advocatus causam, quæ semiplenè probari convinci tamen nequit, licitè defendit.

7. Si causa nequidem semiplenè probari, inceptæ tamen patrocinari poterit.

8. Actori nullum jus habenti & accusare volenti, Advocatus patrocinari poterit.

9. Non tenetur quis restituere, quod per minuta furta abstulit, licet sit magna summa totalis.

10. Qui

10. Qui cessit foro potest sibi retinere bona quibus indiget ad sustentationem familiæ, ne indecore vivat: licet debita pro quibus cedit sint ex injustitia & delicto contracta.

11. Licitum est furari non solùm in extrema sed etiam gravi necessitate.

12. Famuli & famulæ possunt occultè heris surripere ad compensandam suam operam, quam majorem judicant salario quod accipiunt.

13. Qui alium movet aut inducit ad inferendum grave damnum tertio, non tenetur ad restitutionem damni illati.

14. Usura non est, quod ultra sortem ex gratitudine & benevolentia exigitur, & non ut ex justitia debitum.

15. Contractus Mohatra licitus est respectu ejusdem personæ, & cum contractu revenditionis prævie inito ex intentione lucri.

16. Non tenetur dives nequidem de superfluis sui status dare Eleemosynam.

17. Hic actus divitis, nolo erogare de superfluis status Eleemosynam in communibus necessitatibus, non est mortale.

18. Superfluum non est, quod servant homi-

mines pro ſtatus ſui, vel parentum qualitate habitâ, vel adipiſcendâ: ideoque vix poterunt inter ſæculares inveniri, qui ſuperfluum habeant.

19. Sufficit extremè indigentibus per mutuum ſubvenire ſub conditione, ut tempore lautioris fortunæ reſtituant.

AD ARTICVLVM XII.

Contra VIII. Decalogi Præceptum.

I. Suſpicio deliberata in re gravi & ſine ſufficientibus indiciis & temeraria, non eſt culpa mortalis.

2. Dubium deliberatum de alio in re gravi ſine ſufficientibus indiciis, adeoq; temeraria, non eſt peccatum mortale.

3. Opinio deliberata de alio in re gravi, non eſt peccatum mortale.

4. Raro lethaliter peccatur per temerarium judicium.

5. Judicium temerarium in animo tuo reſidens non eſt peccatum, priusquam aliquo modo ad-

do advertas vel dubites te ex insufficientibus si-gnis judicare.

6. Ad tuendam vitam, vel tormenta gra-via vitanda: cuilibet licet proximo falsum crimen affingere.

7. Si reus dubitet, an legitimè interroget à judice, non tenetur ad mentem ejus respond re, sed potest verbis æquivocare.

8. Reus legitime interrogatus si subsit per culum vitæ, veritatem æquivocatione occult re & negare potest.

9. Ad tormenta damnáq; gravia vita da potest quilibet sibi falsum crimen impone etiamsi mors sit sibi secutura.

10. Quod dictum de periculo mortis ev tando, idem dicendum de quocumq; gravi d mno, Exilio, Triremium gravis infamiæ, &

Artic.

ARTICVLVS I.

Quid Sententia Probabilis, et an eam sequi liceat?

I.

Materiam hanc exactissime, & omnibus quasi numeris absolvit memoratus in præfatione P. Antonius Teryllus, in suo Tractatu, quem ante biennium scripsit de Conscientia probabili, in quo omnium, qui de hac materiâ pro, vel contra scripserunt, argumenta ad Examen, & incudem revocat, fusissimè ostendens licere sequi Sententiam probabilem, & tutam relictâ probabiliori, & tutiori, modo verè sit probabilis & tuta: multi enim prôh dolor hoc termino probabilitatis adeo se abripi passi sunt, ut quidquid à quovis Doctore, vel privato Lectore ex professo materiam tractante docebatur, mox Sententiam probabilem asseverare auderent, Et hi sunt novi illi Pro-

babiliſtæ, contra quos adeo invehuntur *Sinnichius* & alij, qui de hac materiâ ſcripſerunt, ut eos hæreticis *Gnoſſitis & Carpocratianis*, qui Teſtibus *SS. Irenæo*, lib. 1. cap. 24. *Epiphanio* hæreſi 27. & *Auguſtino* lib. 4. cont. Julia. c. 8. *ſola hominum opinatione differre negocia bona & mala, nihilq; naturâ ſuâ malum eſſe aſſerebant*, cõpararint. Hoc enim hi probabilitatum Patroni quodammodo inſinuarunt, dum gloriari auſi ſunt, ſuâ induſtria multas opiniones evaſiſſe probabiles, quæ antea non erant, adeoque evaſiſſe licitas quamvis ante non eſſent: eoque intentionem ſuam dirigi, ut paulatim per principia probabilitatis ex ſe licita, ſed à male & ſiniſtre intelligentibus male applicata, omnia fierent licita, omniaque mala tollerentur.

2. Hi etiam ſunt, quos feliciſſimæ Recordationis *Alexander VII.* cenſuravit, dum Bullam primam Sententiarum laxarum condemnatoriam ſic exordiri voluit: *Sanctiſſimus Dominus noſter audivit non ſine magni animi ſui mœrore, complures opiniones Diſciplinæ Chriſtianæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas ſi*

rum suscitari, partim noviter prodire, & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumq; Patrum Doctrinâ, & quem si pro rectâ Regulâ Fideles in praxi sequerentur, ingens irruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Ideoque etiam mox in eadem Bullâ tanquam scandalosam censuravit Laxistarum assertionem, qua judicabant.

PROPOSITIO I.

Si liber sit alicujus Iunioris & Moderni, debet opinio censeri probabilis, dum non constet rejectam à Sede Apostolicâ, ut improbabilem.

IN dubie volens plus requiri ad Sententiam probabilem, quam sentimentum Vnius, cujuscunque Junioris, & Moderni Doctoris.

3. EX quibus etiam occasionem sumpsit *Archi-Episcopus Mechlinienſis*, ut

Anno 1655. 18. Februar. cujusdam Neoterici omnes libros editos à suâ Diœcesi proscriberet, inter alias suæ proscriptiones causas allegans: *quod hic Author varijs in locis profiteatur sese ad hoc studiose collimare, ut multarum sententiarum probabilitates inducendo, plurima faciat hominibus licita, quæ hactenus æstimantur esse peccata, & sic viam cœli indies latiorem & faciliorem reddat*: quasi verò possit voluntas Dei, lexque divina ratiunculis humanis in aliam, quam lata est, partem inflecti. Hanc Laxistarum praxim & notavit & detestatus est *Episcopus Gandavensis in Epistolâ Pastorali ad Clerum suæ Diœcesis*, adversus quasdam laxiores Sententias illuc invehi, cœptas: *Experimur* ait ipse: *quotidie tanta passim licentia novas, & laxas in doctrinâ morali excogitari opiniones, & commenta, ut vix quidquam post hac illicitum futurum sit, si quorundam placitis acquiescimus, nec ullum pene præceptum naturale, & positivum, quod quæstuosis istorum probabilitatibus obnoxium non sit, & elidatur: usque adeò studeant peccata omnia fucare, & obvolvere, aut è medio etiam omnino tollere, arctamq; viam cœli recla-*

reclamante Christo omnino dilatare; ut quantum saltem apparet, commodius per spatiosam ambulent, quæ utinam ipsos cum Sectatoribus ad perditionem non ducat, &c. Et paulo post *sicq; pro innatâ hominum ambitione, & existimationis cupiditate coacervantur Magistri, quorum sive authoritate, sive pietatis specie, sive adulatione ducti, vel naturali etiam propensione in vitia honestate præsertim vestita seducti Rudes, & incauti facile à veritate auditum avertunt, & ad fallaces istas fabulas convertuntur. Nec perpendunt Supremum Judicem non ex Magistrorum istorum placitis, aut commentis; sed ex Christianæ pietatis præscriptis Regulis sententiam aliquando laturum: istosq; Consultores tribunali tunc temporis non adfuturos, qui causam agant & philosophicis rationibus defendant reos, qui relicta securiori via per minus secuam modo commodam, se tuto posse incedere persuaserant.*

4. Idem quod Summus Pontifex, plurimi Episcopi & Doctores in materiâ Theologicâ morali: hoc & in materia Juridica lamentatur nongentarum sex quæstionum juris Canonici & civilis in utramque partem

probabilium, quas vocat *communes*, *contra communes* Collector, *Cæuallos*: dum primi Tomi operis sui ad Lectorem præfatione ait: *ut quilibet miretur, in quanta caligine & obscuritate totum Jus versetur, cum nulla sit opinio certa, & verissima, quæ non possit pluribus contrariis opinionibus & fundamentis contrariari, & sic omnia negotia magis ex Judicum arbitrio, quam ex certâ Juris Divini, vel humani dispositione terminantur, & modo in uno, eodemq; negotio nunc pro Actore, nunc pro reo sententia fertur sine variatione Juris neque facti, sed solum ex eo, quia his Judicibus placet hæc opinio, & aliis displicet.*

5. Et clarius præfatione præfixa operis sui *Tom. 4.* ubi *plura* ait *de opinionum contrarietatibus in præfatione operis nostri lib. 1. per plures numeros retulimus, ex quibus nostræ facultatis imbecillitas, & inconstantia manifestatur, ita, ut veritas in occulto lateat, quia secundum Bald. cons. 218. vol. 3. col. 2. illud, quod multipliciter exponitur, ejus veritas ignoratur, & multiplex intellectus parit obscuritatem, & cum nihil sit in Jure certum, timendum est, an judicetur contra rei veritatem*

cum

cum in tot opinionum varietate nulla sit causa sine causâ, & sine Consultore, unus defendendo causam Actoris, alter rei, & sic necessario sequitur, quod alter male consulat; quod procedit propter peccata hominum, ut tradit Afflict. decis. fin. num. fin. ubi dicit, quod Judices & reliqui Juris Professores propter peccata hominum non vident veritatem, quia licet doctrinæ excellentia reluceat, si deest animi probitas non solum non concitat desiderium & amorem imitationis, sed potius odium & objectionem, quia scientia in homine malo est quasi gladius in manu furiosi.

6. Sed his prætermissis opinionem probabilem definiunt aliqui, quod sit illa, *quæ fulcitur gravi, sed fallibili & incerto motivo.* Alij, quod sit, *quæ in re ex utraque parte incerta, alicujus momenti, fundamentum habet.* Alij, *quod sit illa, quæ nititur motivo fallibili, sed magni momenti, id est, fundante exiguam formidinem.* Alij, quod sit *assensus intellectus, de aliqua re, quæ nitatur ratione vel authoritate alicujus momenti, modo pro parte opposita nihil appareat convincens, quamvis adsit nonnulla ejusdem partis oppositæ formido.* Quando ejus-

do ejusmodi assensus nititur ratione, dicitur probabilitas intrinseca sive rationalis; extrinseca, sive authentica, quando authoritate. Vnde infert Assertor hujus: *Qui operatur* ait *ex opinione probabili, bene operatur, & sine peccato: quia in humanis, ut cum prudentiâ operemur, non nisi probabilitas necessario requiritur. Id quod ita certum est, ità Doctoribus comprobatum, ut nostra discussione non egeat, etiam probabiliore relicta, etiam omissa tutiore, etiam communi, etiam in Articulo mortis; quia dum probabilitate sive intrinseca, sive extrinseca, quantumvis tenui modo à probabilitatis finibus nõ exeatur, consist aliquid agimus, semper prudenter agimus.*

Quæ tam definitio, quam ex illo deductum corollarium subsistere possent, si bene intelligeretur illud motivum alicujus momenti, ut sit tale, quod sit sufficiens ad fundandam opinionem verè probabilem: sed quia Author illius, & alij cum ipso illud ipsum aliter sumpserunt, & ex eo absurdissimas infra allegandas consequentias non solum præceptorum Ecclesiasticorum, & divinorum, sed & Decalogi laxativas intulerunt:

runt: hinc acerrime *Sinnichius* in suo *Saule Exrege* contra eam & propter eam contra opinionem probabilem invehitur: neque enim ideo, quia hæc fundamenta in illis, quę Juris sunt positivi aliquando subsistunt, hinc mox licet ea universaliter, & ad quæcunque applicare.

7. Melius proinde definitur à P. *Teryllo* Sententia probabilis esse illa, *quæ argumentis adeo gravibus nititur, ut illa habeant vim ad assensum à viro prudente extra omnis passionis vehementiorem motum constituto & rationabiliter judicante impetrandum.* Contrario modo definienda opinio improbabilis. *Probabilitas* rursum dividitur in *rationalem, sive intrinsecam*, estque illa, *quæ ab homine probo, multumq; perito in illâ materia post diligentem, ubi opus est, rei discussionem, omniumq; aut potissimorum in utramq; partem allatorum considerationem creditur vera, aut æquivalenter, vel formaliter asseritur esse certo probabilis: idque per Judicium non temere, sed sicut virum probum & peritum decet elicitum. Et extrinsecam, sive authenticam, quæ est apparentia adeo magna veritatis, præ-*

cise fundata, in fallibili authoritate loquentis, ut illa digna sit assensu, seu ut ille, qui illi absolute assentitur, tanquam prudens merito laudari, nullatenus tanquam temerarius & imprudens reprehendi possit. Sed hæc speciali-ter locum habent in illis rebus, quæ ad Ju-humanum tam civile, quam Canonicum spectant: in primis enim principiis legis naturalis, præceptisque Decalogi, & quæ ex illi-per necessariam, facilem immediatamqu-consequentiã deducuntur opinionem probabilem vim nullam habere infra ostendetur.

8. Licere autem sequi Sententiam probabilem relicta probabiliori, modo sit ver-probabilis tot Sanctorum Patrum authoritatibus, & Doctorum Scholasticorum rationibus probat *P. Antonius Teryllus*, & ant-illum *P. Alphonsus à Sarasa*, ut nihil illi su-peraddi possit: præcipue ex eo, quod e-opinione vere probabili operans invincibi-liter veritatem ignoret; & invincibilis ignorantia secundum omnes à peccato excuset-sive illius prævie data sit causa (modo sit pe-pœnitentiam retractata) sive non. Ex quo facil-

facile corruunt fundamenta præcipua contra opinionem probabilem ab Adversarijs oppositas scilicet: Primo, quod uni contradictoriæ assentiens nihilominus formidet, ne veritas vel bonitas adversæ insit, adeoq; in dubio hæreat, & licet subinde illi, cui assentitur, insit veritas, nihilominus semper falsitatis inexistentis vel inexistere potentis insit formido, qua stante liberrime operatur. Secundo, quod inter propositiones contradictorie oppositas respectu intellectus divini perfectissime illas cognoscentis, una necessario sit vera, alia falsa; si proinde quamlibet sequi liceat, sequetur licere æque sequi falsitatem, quam veritatem. Respondetur enim ad Primum, negando ex opinione probabili operantem hærere in dubio, sed firmiter assentitur illi parti tanquam moraliter certo veræ, cum insuperabiliter veritatem ignoret, & judicium virorum proborum Doctorum & prudentum tanquam certam Regulam agendorum in moralibus sequatur. Ad secundum quoque negatur rem istam, circa quam est operatio, & ut subjacet Judicio operantis venire ut veram vel fal-

sam, sed ut veram: format enim operans hoc Judicium, res ista, circa quam operor est licita & oppositum malum. Sed hisce jam satis fuse ab alijs refutatis diutius inhærere mei propositi non est: hoc attento, quod sententia probabilior sit, licere sequi sententiam probabilem, & tutam relicta probabiliori & tutiori, adeoque illam sequens Sententiæ probabiliori & tutiori adhærebit, juxta intentionem docentium probabiliorem & tutiorem semper sequendam esse.

9. Dixi superius aliquoties, si sit vere probabilis ad excludendas tam innumeras, quæ hoc sententiarum probabilium vel quasi feraciſſimo sæculo circumferuntur opiniones, sive illæ sint à Sede Apostolica condemnatæ, sive sint censura dignæ, quarum aliquæ infra adducentur, nullatenus probabiles appellari dignæ.

Ex quibus jam dictis facile colligitur, quid dicendum ad propositiones, quarum aliquæ ab Universitate Lovanienſi, condemnatæ, aliæ ab aliis censuratæ, & taxatæ scilicet:

PROPO-

PROPOSITIO II.

Vt Actio quæpiam sit peccaminosa, oportet ut procedat ab homine, qui noscit & percipit, quid boni, malivè in ea sit, & antequam id videat aut animum reflectat actio neque bona est, neq; mala.

PROPOSITIO III.

Cum tibi menti non occurrit illud esse peccatum, nec ullum dubium de indaganda veritate, jam laboras ignorantia invincibili, per oblivionem, seu inadvertentiam.

PROPOSITIO IV.

Omnia pure probabilia, sunt licita.

PROPOSITIO V.

Omnes opiniones probabiles sunt æque tutæ, & securæ.

PROPOSITIO VI.

Benigniores etsi aliquando sint minus probabiles, peraccidens tamen sunt semper utiliores & securiores.

TRes enim postremæ in sano sensu intellectæ manendo intra terminos veræ probabilitatis nequaquam damnandæ, sed veræ sunt: moderno tamen sæculo apud illos, qui materiam veræ probabilitatis vel non intelligunt, vel bene intellectam male applicant male sonantes: per benigniores enim nihil aliud intelligunt, quam quod aliquam, vel vix aliquam speciem probabilitatis habet, rationeque quantumvis exigua, vel authoritate qualiscunque tandem Doctoris nititur, quemadmodum ex pluribus in consequentibus adducendis, quas pro probabilibus hactenus habuerunt, videbitur.

10. DUæ priores absolute admittendæ non sunt, & hinc merito ab Universitate

versitate Lovanienſi Anno 1657. condemnatæ: ſœpiſſime enim quis ſuæ neſcientiæ, & ignorantiæ voluntariam cauſam poſuit, dum prævie neglexit illa ſcire, cujus ſcientia in operationibus moralibus ſibi eſſet neceſſaria: cujus negligentiæ tantum abeſt, ut pœniteat, ut potius voluntarie in illa perſeveret. Sœpius etiam contingit, ut Scelerati criminum aſſiduitate omne lumen rationis quodammodo extinguant, de quibus dicitur, *Impius, cum in profundum venerit malorum, contemnit:* cauteriatam contrahentes conſcientiam, quæ nullum amplius ſtimulum & recalcitrationem ſentiat. Sed his immorari mei, ut in præfatione dixi, propoſiti non eſt, ſed ſolum periculoſas contra legem naturalem ac Præcepta Decalogi adinventas & huc usque à multis adhuc propugnatas cum refutationibus referre ſententias.

At quoniam particulares quasdam regulas probabilitatis poſuit *P. Teryllus*, quæ forte adhuc ad paucorum manus devenerint, hinc illas hic adjungere volui, deinceps propoſitum proſequuturus.

Regulæ

Regulæ probabilitatis quoad se.

REGVLA PRIMA.

Probabiliora sunt, cæteris paribus, quæ post quàm quæ antè exactam totius quæstionis enodationem traduntur.

REGVLA SECVNDA.

Probabiliora sunt, cæteris paribus, quæ posterioribus traduntur. Maximè verò in rebus ad jus humanum tam civile quàm canonicum spectantibus.

REGVLA TERTIA.

Quod ex duabus præmissis probabilibus legitimè deducitur, non semper est probabile, si aliundè non probetur.

REGVLA QVARTA.

Quod ex unâ præmissâ probabili probabiliter infertur, non semper est probabile, nisi aliundè probetur.

REGVLA QVINTA.

Quod ex præmissis certis & evidentibus probabiliter infertur, est certò probabile.

Regula

REGVLA SEXTA.

Quod ex unâ præmissû certâ, & aliâ probabili ritè infertur, est certò probabile.

REGVLA SEPTIMA.

Quidquid à viro perito & pio, post omnium in utramque partem collationem, absque animi passione creditur esse verum, aut absolutè asseritur esse certò probabile, est certo tale.

REGVLA OCTAVA.

Quod plures periti & probi post diligentem rei discussionem absque passione animi tradunt esse probabile, est certò tale.

REGVLA NONA.

Quidquid à viro probo & perito non ex animi passione, sed irreprehensibiliter judicante, existimatur probabile, est certò probabiliter tale. Imò absolutè censeri debet ut certò tale.

Præter has Regulas ex quibus cognoscere liceat, an aliquid sit secundum se probabile, adhuc alias viginti ponit, ex quibus probabilitas quoad nos dignosci valeat, & sunt sequentes.

Regu-

Regulæ probabilitatis quoad nos.

REGVLA PRIMA.

Omne illud est certò probabile viro peri & probo, quod ille post omnium aut potissim rum in utramque partem considerationem ju dicat esse probabile, modò absolutè existim sententiam contrariam esse veram, & consci sit, se absque passione sententiam suã protuli

REGVLA II.

Illud est certò probabile viro perito, quod le, post omnium aut potissimorum inspecti nem, aut absolutè verum esse existimat, aut ju dicat esse certò probabile, modò conscius sit, absque passionis impetu suam dixisse sententi

REGVLA III.

Quod peritus post diligentem quæstion discussionem judicat esse probabile, est quod illum certò probabiliter tale. Imò absolutè re putare potest illud certò probabile, modò con scius sit se, ut probum & peritum decet, judi câsse.

Regu

REGVLA IV.

Quidquid vir peritus evidenter scit ritè inferri ex unâ præmissâ certâ & alterâ probabili, aut probabiliter inferri ex ambabus præmissis certis, quoad illum est certò probabile.

REGVLA V.

Quoad Idiotam omne illud est certò probabile, quod illi à viro, qui habetur peritus & probus, proponitur ut verum, quamdiu nemo, nec propria ratio quidquã in oppositum suggerat.

REGVLA VI.

Illud ab Idiotis, omnibus q; aliis, qui ab extrinsecâ authoritate gubernantur, reputari debet certò probabile, quod vir peritus & probus asserit esse certò probabile. Quod autem simpliciter asseritur esse probabile, est certò probabiliter tale quod Idiotas, imò ab illis reputari debet certò probabile, modò nil afferatur in contrarium.

REGVLA VII.

Quidquid ab omnibus asseritur esse probabile, etiam ab illis, qui absolutè existimant illud esse falsum, est certò probabile quoad omnes, qui

qui rationes non expendunt, aut novas ea
magni momenti in contrarium non habent.

REGVLA VIII.

Illa propositio est certò probabilis quo
omnes, qui novas eas q3 urgentissimas ration
non habent, quæ de præsenti viget in Eccles
quam q3 sapientes non improbant, & Eccle
tolerat.

REGVLA IX.

Omnis propositio, quam tres quatuor vè
ri doctrinâ & pietate præstantes absolutè tr
dunt ut veram, aut, etsi teneant oppositum, d
cent esse probabilem, est certò probabilis quo
nos, modò nemo talis opinionis probabilitat
in dubium revocet, licet alij communiter
falsam rejiciant.

REGVLA X.

Omnis opinio de præsenti communis in scho
lis Catholicis, cujus probabilitas à viris perit
in dubium non revocatur, est quoad nos cert
probabilis.

REGVLA XI.

Nulla opinio, cujus probabilitas aut negá
tur

tur, aut in dubium revocatur à tribus quatuorvé viris modernis pietate ac doctrinâ præstantibus, est certò probabilis quoad eos, qui rationes ipsas non expenderunt.

REGVLA XII.

Omnis opinio, quam gravis Author Modernus, maximè in rebus ad ius humanum spectantibus, asserit esse communem, & pro eâ multorum loca citat, est quoad nos certò probabilis, non quidem omnimodâ, sed humanâ quâdam certitudine.

REGVLA XIII.

Omnis opinio, pro quâ gravis Author citat tres vel quatuor Doctores præstantes, est quoad nos humano modo certò probabilis, modò Author ille publicè habeatur verax in suis citationibus; secus dicendum de illo, qui sæpè labitur in suis citationibus, etiam quoad substantialia, & tali notâ discernitur ab aliis, qui in citando veraces habentur.

REGVLA XIV.

Quod à singulari viro probo multumq; perito absolutè asseritur; si sit in re, quam nemo prater

præter illum tractavit, quodq; dicit nec re
gnet sensui communi, nec appareat connex
cum aliquo absurdo, est certò probabile qu
nos.

REGVLA XV.

Authoritas unius Authoris doctrin
pietate præstantis reddit opinionem, quam
tra communem Doctorum sententiam abs
tè tradit, quoad nos certò probabilem; mod
cat se post omnia perpensa magnis rationi
quas alij non examinarunt, ad sic existim
dum fuisse permotum. Certitudo hæc dura
nec alij reclament, & dicant rationes illa
frivolas, & ad probabilitatem insufficient

REGVLA XVI.

Omne illud apud virum peritum est c
probabile, quod aut probabiliter sequitu
certis aut certò consequitur ex unâ præm
certâ & alterâ certò probabili. E contrà m
lico evadit certò probabile, eò quòd vel pr
biliter ex probabili, vel certò deducatu
utrâque præmissa probabili.

REGVLA XVII.

Quod ab aliquo tantùm, vel aliquibus p

cis Authoribus solùm dicitur per transennam, maximè si sit contra communem sententiam, non semper judicari potest probabile.

REGVLA XVIII.

Illa sunt certò probabiliora quoad nos, quæ cæteris paribus traduntur ab eis, qui diligentiùs rem à fundamentis examinârunt, quàm quæ post tantam diligentiam tradita non sunt. Idem dicendum de iis, quæ cæteris paribus à recentioribus traduntur, maxime in rebus ad jus humanum spectantibus.

REGVLA XIX.

Quoad peritos illæ opiniones sunt certò probabiliores, quorum fundamenta ritè perpensa, antecedenter ad affectum aut absolutum assensum uni parti alligatum, manifestè magis trahunt ad assensum, quàm motiva alteri parti faventia.

REGVLA XX.

Sæpè nobis impossibile est certò scire, quænam opinio sit quoad se probabilior aliâ, etiamsi certum sit, quænam earum sit probabilior quoad nos.

11. ECce Regulas, ex quibus quis dignoscere valeat, an sententia vel secundum se, vel quoad Nos sit probabilis: artijam est eas in particulari operabili applicare ac determinare, quisnam sit vir probus pius peritus, qui sepositio omni passionis impe sententiam ferat: certe quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus, & Doctor doctus, donec probetur indoctus: Ipsimet etiam novarum laxarumq; sententiarum inventores & assertores utique se pios, probos & doctos indubie supponent juxta allatam regulam Juris in sexto: manent enim in possessione, donec contrarium probetur; hanque ob causam merito asseruit numquam satis laudandus Sinnichius Doctor Lovaniensis, *quamdiu intra limites probabilitatis haeretur* NB. *errandi periculo nequaquã obviatur*. Quod magis de probabilitate authentica, quæ extrinseca verificatur ob causam allegatam. Cum timore proinde procedendum est, *ne* ut ait *S. Augustinus lib. 22. de Civit. Dei cap. 23. Opinio verisimilis fallat, ne decipiens sermo versutus, ne se tenebræ alicujus erroris offundant, ne quod bonum est malum aut quod malum*

malum, bonum esse credatur: Sæpe enim teste S. Isidoro lib. 2. Sentent. cap. 27. *quæ ad hominum judicium bona apparent, apud examen diligentissimi & acutissimi judicis reproba deteguntur. ideoque omnis Sanctus veretur, ne forte bonum, quod agit pro aliquâ intentione animi in oculis Dei reprobum sit*, ut merito metuat sibi Propheta *Job 9.* inquiens, *verebar omnia opera mea sciens, quod non parceres delinquenti:* & merito cuivis terrorem incutiat, dum videt tot sententias Præceptorum Dei & Ecclesiæ, imò & Decalogi elusivas pro probabilibus venditari: contra quarum tamen aliquas jam à Sede Pontificia fulminatum est, & contra alias fulmina expectantur.

ARTICVLVS II.

An Ignorantia legis naturalis à peccato excuset, sive an illius detur ignorantia invincibilis?

1. IGnorantiam fundamentum esse, & basim probabilitatis articulo præcedenti

obiter insinuatum est: elucetque ex propo-
sitione tertiâ ibidem allatâ, quæ erat: *Cum*
tibi menti non occurrit, illud esse peccatum, nu-
llum dubium de indagandâ veritate, jam la-
boras ignorantiâ inculpabili: Ex qua sequi-
tur, quod quotiescunque à culpâ excusa
ignorantia, toties & sententia probabilis, so-
lam autem ignorantiam invincibilem à pec-
cato excusare communis hactenus, si hære-
ticos & paucos alios excipias, est sententi
In præsenti proinde ad propositum nostrum
quærendum est, an detur ignorantia invin-
cibilis primorum principiorum legis natu-
ralis, ac præceptorum Decalogi: si enim il
non detur, nec in illis erit locus sententi
probabili.

2. Sciendum proinde est legem natur
lem posse considerari, vel secundum com
muniſſima principia omnibus nota, qual
sunt: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceri*
& quæcunque vultis, ut vobis faciant hom-
nes, & vos facite illis: bonum faciendum, &
malum est fugiendum. & similia: ex quib
alia per necessariam consequentiam ded
cuntur: vel secundum particularia, quæ su
qui

quasi concluſiones ex illis neceſſario deductæ. De lege naturali priori modo conſiderata in præſenti ſermo erit, de poſteriori Articulo immediate ſequenti. Et quidem ſuperfluum videtur hanc quæſtionem inſtituere, cum vix ullus unquam prioribus ſæculis in dubium vocarit rem adeo claram, & idipſum ſufficienter ſit reſolvendum Articulo ſequenti, ubi determinabitur non poſſe dari Ignorantiam invincibilem præceptorum Decalogi, quæ ſunt concluſiones legis naturalis priori modo conſideratæ: quanto minus principiorum ex quibus illæ deducuntur? ut nihilominus diſtinctè & ordinate procedatur, hæc diſtinctis Articulis proponere & reſolvere volui.

3. Et primo loco pro ſententiâ negativâ reſolvit *Decreti compilator*, atque etiam alicubi *diludidator Gratianus*, diſerte pronuntians, Ignorantiam Juris naturalis, omnibus hominibus adultis damnabilem eſſe: *Innocentius Tertius cap. per tuas nobis. de Simoniâ.* ubi aſſerit, *quendam incurriſſe labem Simoniacam, quem tamen, ignorantiâ Juris lapſum teſtatur.* *Gratiano & Innocentio ſubſcribit*

Doctor Angelicus D. Thomas, 1. 2. q. 94. a. 6. in corp. qui hanc quæstionem clarissime resolvit: *Ad legem naturalem* ait is *pertinent primo quidem quædam præcepta communissima, quæ sunt omnibus nota: quædam autem secundaria præcepta magis propria, quæ sunt quasi conclusiones propinquæ principiis. Quantum ergo ad illa principia communia lex naturalis, nullo modo potest à cordibus hominum deleri in universali: deletur tamen in particulari operabili, secundum quod ratio impeditur applicare commune principium ad particulare operabile, propter concupiscentiam vel aliquam aliam passionem. Quantum verò ad alia præcepta secundaria potest lex naturalis deleri de cordibus hominum, vel propter malas persuasiones eo modo quo etiam in speculativis errores contingunt circa conclusiones necessarias; vel etiam propter pravas consuetudines, & habitus corruptos, sicut apud quosdam latrocinia non reputabantur peccata, vel etiam vitia contra naturam.* Et idem clarissime convincunt verba ejusdem Doctoris Angelici in summâ scilicet: *hoc* inquit, *quod non habeat aliquis con-*

scien-

scientiam sui peccati, potest contingere dupliciter; uno modo per culpam suam, vel quia per ignorantiam juris (quæ non excusat) reputat non esse peccatum, quod est peccatum: puta, si quis, fornicator reputaret simplicem fornicationem non esse peccatum mortale: vel quia negligens est in examinatione sui, contra id, quod Apostolus dicit: probet se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat: & sic nihilominus peccat peccator sumens corpus Christi, licet non habeat conscientiam peccati, quia ipsa ignorantia est ei peccatum.

4. Clarissimus est textus Cancellarij Duacensis *Estij 2. Dist. 22. §. 14.* ubi ait: *Ignorantia juris naturalis nunquam facit actum prorsus involuntarium, etiam quâ ratione peccatum est, quia non facit, ut malum prorsus ignoretur, sed semper permittit ipsum aliquo modo sciri: quamvis enim, qui hac ignorantiâ laborat, ignoret hoc malum, quod agit sub ratione generis, id est, nesciat esse peccatum: novit tamen sub ratione speciei, cui naturaliter & essentialiter tale genus competit. Exempli causâ, qui mentitur officiose putans tale mendacium esse licitum; is quidem nescit tale men-*

dacium pertinere ad genus peccati, ideoq; putat non esse peccatum : scit tamen se mentiri, & proinde actum, qui essentialiter malus est, voluntariè committit. Eadem est ratio de fornicatione, usurâ, Simoniâ, ac cæteris per se malis, id est, quæcunque non ideo mala sunt, quia prohibita, sed ideo prohibita, atque illicita, quia mala sunt. Quæ verba clarissima, alias etiam Neotericorum sententias infra adducenda evertunt, scili : posse aliquem invincibiliter ignorare mendacium esse peccatum, item fornicationem solum esse malam, quia prohibita est, non ex naturâ suâ, &c.

5. Pro eâdem sententiâ stant omnes, quot quot sentiunt non dari ignorantiam invincibilem Juris divini, cum sub illo contineatur Jus naturale, vel specialiter id negant de jure naturali : Si enim non detur ignorantia invincibilis juris naturalis, ergo omnis ignorantia in illâ est vincibilis, ergo culpabilis cum solum invincibilis secundum omnes culpâ excusat : sic autem sentiunt omnes *Vasquez* citati scil. *Albertus Magnus, Alexãder Alensis, Bonaventura, Guilielmus Parisiensis, Guilielmus Antisiodorensis, Durandus, Gabriel*

Gabriel, Gerson, Adrianus, Alphonsus à Castro, Cajetanus, Hesselius, ex quibus omnibus *Gerson. lib. de vit. spirit. eam asserit esse concordem, inquiens: quidquid sit de ignorantiâ facti, aut juris humani positivi; concors est sententia nullam in his, quæ legis divinæ sunt, cadere ignorantiam invincibilem :* quorum ratio est, quia lex naturalis ab initio creationis indita est omnium hominum mentibus, juxta illud: *Signatum est super nos lumen vultus tui Domine:* & quodammodo aliquid ipsius creaturæ rationalis juxta illud Apostoli ad Romanos 2. *Gentes, quæ legem scil. positivam non habent naturaliter ea, quæ legis (naturalis) sunt, faciunt: ejusmodi legem non habentes, sibi ipsi sunt lex, qui ostendunt opus legis scriptum in cordibus suis, testimonium illis reddente conscientiâ ipsorum & inter se invicem, cogitationum accusantium, aut etiam defendentium.*

6. Ad quod etiam facit, quod idem Apostolus paulo ante citata verba adducit. *Quicunque sine lege peccaverunt, sine lege peribunt:* Certum est autem neminem condemnandum, vel periturum, nisi legis prævari-

catorem, sive illa sit naturalis, sive positiva: ubi enim lex non est, nec prævaricatio, nec peccatum: cum prævaricantes sint omnes peccatores terræ.

ARTICVLVS III.

An detur Ignorantia invincibilis Præceptorum Decalogi?

I. DAri ignorantiam invincibilem Præceptorũ Decalogi, eorumq, transgressores ea propter à peccato excusari, hoc tempore insistendo principiis novæ probabilitatis, nihil novum est. Vnde quidam ex Neotericis suis fundamentis conformiter a peccato excusat Atheos, & Polytheos eos scil. qui nullum vel plures Deos credunt; asserit enim Deorum pluralitatem stando in puris principiis naturalibus defendi posse, & propugnari: & iterum prudentia humana viribus naturæ derelicta probabilissime crederet plures Deos: & alio loco ait posse dari ignorantiam invincibilem Dei, quoad aliquod tempus saltem breve, omnes Scholastici

stici docent. Huc etiam reduci possunt, qui docent licere æquivocare etiam cum juramento: licere optare mortem parentum, Fratrum & Sororum: Licere occidere iniquum Judicem, testes &c: non esse adulterium consentiente marito, cum illius uxore concumbere: licere rapere alienum non solum in extremâ, sed etiam in gravi necessitate: & plura similia infra ordine adducenda. Sed contrarium scilicet non dari ignorantiam invincibilem præceptorum Decalogi sensisse, non solùm Sanctos Patres, sed etiam Doctores Scholasticos, adductis eorum verbis & rationibus demonstratur.

8. Inter SS. Patres Primus hanc veritatem dilucide asseverat *Augustinus lib. de spir. & litt. cap. 14. certe* ait, *legem Moyses ministrandam populo accepit in monte scriptam in tabulis lapideis digito Dei. In illis igitur Decem præceptis, exceptâ Sabbathi observatione dicatur mihi, quid non sit observandum à Christiano, sive de non faciendis colendisve Idolis alijsve ullis Diis præter unum verum Deum: sive de non accipiendo nomen Domini in vanum: sive de honorandis parentibus: sive*

de cavendis fornicationibus, homicidiis, furtis, falsis testimoniis, adulteriis, re aliena concupiscenda? Quid horum quisquam dixerit Christianum non debere servare?

3. *S. Augustinum D. Thomas Aquinas* ut discipulus Magistrum è vestigio sequitur, dum *q. 3. de malo art. 6. in corp.* sic ait: *Ignorantia illâ, quâ quis ignorat ea, quæ tenetur scire, non est absque peccato: tenetur autem scire ea quilibet, quibus dirigatur in proprijs actibus. Vnde omnis homo tenetur scire præcepta Decalogi, per quæ potest peccata vitare, & bonum facere.*

4. Idem probant & convincunt omnes vel pleræque Sententiæ SS. Patrum, Articulo immediatè præcedenti relatæ, quibus addo Scholasticos & quidem primo *Alphonsum à Castro, qui lib. 1. de potest. leg. pœnal. cap. 2. Theologi* inquit *omnes concorditer docent Ignorantiam legis naturæ neminem excusare à transgressione illius legis*: qui ut ostendat de præceptis Decalogi, id quoque intelligendum esse, mox subjungit: *Naturali ratione suadente sine aliquo alio præceptore intelligere valent homines, ea, quæ lex in Decalogo præcipit;*

cipit; Eodem modo intelligendus *Adrianus, dum in quodlibeticis* ait: *Ignorantia juris naturalis quo ad prima principia legis naturæ, & alia, quæ quis pro officio, vel statu scire tenetur unicuique est damnabilis, & eorum* inquit, *quæ sunt legis divinæ est differentia: quædam enim sunt, quorum notitia omnibus adultis necessaria est ad salutem: Primo, ut communia juris naturalis præcepta, cujusmodi sunt præcepta Decalogi & horum ignorantia in nullo est invincibilis.* *Adrianum* sequitur *Gregorius de Valentiâ, Ignorantiam* inquiens *invincibilem posse contingere & circa quodvis factum contingens, & circa quodvis jus exceptis primis principiis legis naturæ, qualia sunt bonum esse faciendum, malum vitandum: Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris &c. item exceptis aliis præceptis, quæ ex hujusmodi principiis nullo negotio à quovis homine deduci possunt, ut, quod Numen sit colendum, quod parentes sint honorandi.*

5. Consentit *Vasquez tom. 1. in. i. 2. disp. 122. cap. 3. n. 7. concedimus* dicens *nunquam contingere Ignorantiam invincibilem in primis principiis naturalibus, neque in præceptis*

Decalogi, quæ sunt propinquæ conclusiones, ni
si ex culpâ aliquâ. Et clarius paulò infra
Dico primo inquit prima principia moralia
& præcepta Decalogi, adeo esse lumine natura-
li nota, ut si simpliciter & sine aliquâ partieu-
lari circumstantiâ occurrant, nunquam igno-
rentur sine culpâ: Quibus subscribunt *Estius*
articulo Præcedenti relatus *Corduba*, quem
asserit *Vasquez* se sequi, *Durandus Alexan-*
der de Ales, & alij.

6. Pulcherrimus est super his *S. Augu-*
stini discursus *lib. de 10. chordis cap. 10.* ubi
illo primo principio, *quod tibi non vis fieri*
alteri ne feceris, ad hominem & ad occa-
sum deducit, & infert singula Decalogi Præ-
cepta secundæ tabulæ, hoc modo: *sed dicit*
inquiens furtum si faciam, id facio, quod pa-
nolo: Si occidam, id facio, quod ab altero pa-
nolo: si parentibus meis honorem non defera-
quando volo, ut mihi deferatur à filiis meis,
facio, quod pati nolo: nam si interrogetur, dic
nolo ut uxor mea aliquid tale faciat: si concu-
piſco uxorem proximi mei, & nolo quisquam
concupiscat meam, id facio, quod pati nolo:
concupiſco rem proximi, nolens ut auferat
mi-

mea, id facio, quod pati nolo. Cum verò ad meretricem eo: cui facio, quod pati nolo? quod gravius est, ipsi Deo Etenim, quod tibi fieri non vis alteri ne feceris, ad duo præcepta pertinet: si homini non feceris, quod pati non vis ab homine, ad proximi præceptũ pertinet, ad dilectionem proximi, ad septem chordas: Si autem, quod non vis pati ab homine, ipsi Deo vis facere, quid hoc est? nonne facis alteri, quod pati non vis? charior tibi factus est homo, quam Deus: Ego, quomodo inquis injuriam facio ipsi Deo? corrumpis te ipsum: & unde injuriam facio Deo, quia corrumpo meipsum? unde facit tibi injuriam, qui voluerit forte lapidare tuam tabulam pictam, in quâ est imago tua in domo tuâ inaniter posita ad vanum honorem tuum, nec sentiens, nec loquens, nec videns: si quis illam lapidet, nonne in te factam contumeliam attendis? Cum verò imaginem Dei, quod es tu, corrumpis in te per fornicationes & diffluentias libidinis: attendis, quia ad nullius uxorem accessisti: attendis, quia post uxorem tuam nihil feciſti, quia uxorem non habes, & non attendis per libidines & illicitas fornicationes, cujus imaginem violasti? Postremo De-

us scit, quid tibi utile sit, qui vere sic servos suos gubernat, ad utilitatem ipsorum, non suam, non enim indiget servis, quasi ad adjutorium, sed tu indiges Domini auxilio: ipse ergo Dominus, qui scit, quid tibi sit utile, uxorem concessit, nihil amplius. Hoc jussit, hoc præcepit, ne per illicitas voluptates corruat templum ejus, quod esse cœpisti, nunquid hoc ego dico? Apostolum audite: nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in vobis? si quis templum Dei corruperit, corrumpet illum Deus: videtis quomodo minatur? non vis corrumpi Domum tuam, quare corrumpis Domum Dei? certe facis alicui, quod pati non vis.

7. Ratione quoque id demonstrari potest: primo, quia Præcepta Decalogi conclusiones sunt per necessariam consequentiam, & omnino facilem, ac obviam ex primis principiis naturalibus, quæ à nullo ignorari possunt deductæ, ac necessario illis cohærentes, ut conclusio demonstrativa cum præmissis primo veris: jam vero implicat eum, qui cognoscit principia universalia, ignorare particularia, saltem in confuso in ijs contenta, & non possit ipsa inferre: ut qui scit

ratio-

rationale esse risibile, & omnem hominem esse rationalē, necessario quoque scit illum esse risibilem; pari modo, qui scit; Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris: scit quoq; quod sibi nolit inferri furtum: se nolle ab altero vulnerari, occidi, aut aliam injuriam pati, &c. ac consequenter non potest invincibiliter ignorare, se nec alteri similia inferre posse.

8. Secundo, qui punitur pro delicto, non laborat ignorantia invincibili, cum illa nec reatui, nec pœnæ subjaceat, juxta communem Neotericorum sententiam; sed ij, qui contravenerunt etiam ignoranter Præceptis Decalogi subiacuerunt reatui, & pœnæ, uti clarissime ex verbis Apostoli supra allegatis deducit *S. Augustin. tract. 89. in Joannem*, *humana*, ait, *superbia, tanquam præsumens de viribus liberi arbitrij excusatum se putat, quando ignorantiæ, non voluntatis est, quod peccat. Secundum hanc excusationem inexcusabiles dicit scriptura divina, quoscunque scientes peccare convincit: Dei tamen justum judicium nec illis parcit, qui non audierunt: Quicunq; enim sine lege peccaverunt, sine lege*

peribunt,

peribunt: & quamvis seipsi excusare videa-
tur, non admittit hanc excusationem, qui scit
se fecisse hominem rectum, eique obedientia de-
disse præceptum, nec nisi eo, quo male usus est
libero voluntatis arbitrio etiam, quod transiv-
in posteros manasse peccatum.

9 Consentiunt *Sedulius* & *Haymo*. Ille
quidem in *Collect. super 7. ad Rom.* Vbi sine
lege ait, *pene lex in oblivionem jerat natura-
lis, quæ suggerebat, quid esset peccatum; idcir-
co lex litteræ supra indicta est, ut commemo-
raret oblitos.* Et mox ad illa verba, *sed ubi ve-
nit mandatum, peccatum revixit. In fine ob-
livionis* inquit, *recognitum est peccatum ad-
veniente mandato: ut omnis, qui illud fecerit
mortuum se esse cognoscat. Peccatum autem
revixit, quia vixerat per scientiam naturæ-
lem, & mortuum fuerat per oblivionem, idcir-
co dicitur revixisse per legem. Ego autem mor-
tuus sum: mortuus est homo, qui videt se Reum
apud Deum, & antea putabat se non futurum
obnoxiũ ex his, quæ peccabat. Haymo* verò in
cap. 7. ad Rom. Peccatum non cognovi inquit,
*nisi per legem, id est pœnam & vindictam pec-
cati non cognovi, nisi per legem, quæ punit pec-*

cata

cata, vel etiam quadam mala opera non cognoscebam, quod peccata essent, usque quo lex venit. Quibus adde ex *D. Thomâ* art. 3. n. 3. quod tales ignorantiæ, & Juris naturalis obliteratio ordinarie à pravis consuetudinibus & corruptis habitibus originem ducant: quorum sicut homo voluntaria causa est, sic contra ignorantiam & excœcationem ex illis ortam & viriliter pugnare, & Dei, ejusq; gratiæ assistentiam incessanter implorare tenetur. Idem sentiunt *P. Antonius Terillus, & P. Alphonsus à Sarasâ*: qui licet sint acerrimi in impugnandis *Prospero Fragnano, Sinnichio, Vincentio Baronio, Julio Mercoro, VVendrockio*, & aliis pro licito usu sententiæ minus tutæ, & minus probabilis: eidem tamen in primis principiis, & quæ immediate ac facile ex illis deducuntur locum non esse, lubentes admittunt: dum negant in illis dari ignorantiam invincibilem quæ sententiæ probabilis basis & fundamentum est. Videatur *P. Teryllus q. 16. n. 84. Conclus. primâ & secundâ.* Vbi clarissime hucusque dicta confirmat & demonstrat.

Articulus

ARTICVLVS IV.

An in materiâ morum potius sententiæ SS. Patrum, an Doctorum Neotericorum standum?

I. QUid quid huc usque in materiâ probabilitatis dictum, vel infra dicendum, id fere solâ SS. Patrum authoritate, vi ratione, nisi quam involvit auctoritas, stabilitum & stabiliendum est: unde meritò cui dubium & scrupulus suboriatur, an tanta sit allatorum testimoniorum authoritas ut illis relictâ tantâ multitudine Doctorum Neotericorum nocte dieque similibus materijs & rationibus inquirendis insudandum, acquiescendum sit. Ego quidem unum *Augustinum*, quod salvâ cujuscunque existimatione dictum velim, innumeris Neotericis præferendum censeo: *S. Augustinum* cet retractationum libros scripserit, infi vel moribus postquam ad fidem converti est, errasse, nemo asseverare audebit, futurum Ecclesiæ & tanto sancto injurius, si ausus fuerit; Neotericos licet non infide, in morum

sanc

tamen doctrinâ & erraſſe, & adhuc errare quotidie oſtendunt propoſitiones ab Eccleſiâ cenſurante felic. recordationis Alexandro Septimo iteratis Bullis condemnatæ.

2. Sed de his ſit, quidquid ſit, Neotericos veteribus præferendos cenſet & præfert quidam, qui, *non contemno*, ait, *Veteres, ſed Juniores commendo, qui illorum labore fruuntur, & multa poſſunt, quæ non potuerunt illi, quibus Prædeceſſores ſui nullos libros eruditos & accuratos reliquerunt. Puto omnia eſſe hodie melius examinata, & hanc ob rem in omni materiâ & præcipue morali libentius Juniores, quam antiquiores lego & ſequor.* Cujus veſtigiis inſiſtens quidam modernus Scholaſticus ait: *Poſteriores ſuper ſenes intellexerunt, & pleraque omnia rejicienda eſſe agnoverunt, quæ anteriores vel non probarant, vel non improbabilia exiſtimarant, primordia ſane ſemper incultiora ſunt.* Quem inſequens alius, *neque antiquos*, ait, *neque antiqua Neotericis anteponi par eſt, nam Eccleſia indies magis illuſtratur.* Quibus accenſendi, tam ille qui dicebat, *ſatis eſſe dicere, Eccleſiam in ſuis filijs usque hodie creſcere, etiam eruditione:*

quam

quam ille, qui gloriari ausus est, *se novum modum & viam in Mysterijs etiam supernaturalibus enodandis & explicandis adinvenisse, antiquis Patribus & Ecclesiæ veteri incognitum.*

3, Nec videntur hi fundamento carere; nam sicut Deus primo in veteri Ecclesiâ suscitavit SS. Patres & Doctores, sic quoq; in modernâ Neotericos & Juniores: Quamdiu enim Corpus Christi, hoc est Ecclesia fuerit, ad divinam procurationem pertinebit, ut ij, qui in Ecclesiâ Sacræ doctrinæ Doctores habentur, tanquam à Deo dati, veritatem in fide teneant, ne populus parvulorum more circumferatur. Secundo, ut bene notavit *Ægidius Romanus 2.2 dist. 37. q. 1. a. 3. posteriores existētes super humeros priorum longius vident, quam priores. Nam si nanus esset super humerum Gigantis longius videret, quam Gigas. & S. Bonaventura in c. dist. 37. a. 1. n. 8.* asserit *quod per multam discussionem dubia ducuntur ad manifestationem:* quia igitur Scholastici magis quam Patres dubia discutiunt, etiam magis, quam Patres ad manifestationem ea perducunt. Nec non & *S. Gregorius homil.*

homil.16.in Ezech. quanto mundus ait *ad extremitatem ducitur, tanto nobis æternæ scientiæ aditus largius aperitur.* Et certe nullus in Ecclesiâ doctrinæ profectus exspectandus foret, si posteriores Theologi super veteres non intelligerent.

4. Sed his non obstantibus indubitate tenendum est, novitatem vetustati non esse præferendam, imò nec coæquandam: præsertim in illis, quæ Juris naturalis & præceptorum Decalogi cognitionem concernunt. Vnde qui se Patribus anteponere non verentur, ab omnibus explodi, spernique merentur. *Est nimis mirabile* ajebat olim *Ecclesia Lugdunensis l. de tenend. verit. script. cap.8. imò horribile, quomodo ut suis adinventionibus & ineptijs credatur exigant, cum ipsi Beatissimos Patres, & Illustrissimos Ecclesiæ Doctores abjecerint. Nonne dignum est & æquum, ut qui anteriorum authoritatem vilipendunt, suam ipsi authoritatem apud posteros amittant? Væ, qui prædaris, nonne & ipse prædaberis, & qui spernis, nonne, & ipse sperneris?* Audiant tales *Hormisdam Epist. 22. ad Doroth. Thessal.* ad possessorem *Africa-*

num

num dicentem, *Errat à viâ, qui ab eo, qu*
Patrum Electio monstravit, exorbitat. Audi
ant illud *Gelasij Papæ Ep. 7. ad Episcopos; qu*
tendimus ultra definita Majorum, nunqu
sapientiores illis sumus? aut poterimus fi
stabilitate constare, si ea, quæ ab illis constitu
sunt, subruamus. Audiant, quam idem in
necam pelagianum SS. Patrum obtrectat
rem invehatur. *Majus* inquit *scelus accres*
ut sub conspectu, & præsentiâ sacerdotum
memoriæ Hieronymum atque Augustin
Ecclesiasticorum Lumina magistrorum
sca moritura exterminans oleum suavit
lacerare contendat. Audiant *felicem Gel*
Prædecessorem, dum *Epist. 1. ad Acaci*
Constantinopol. ait: *Ecclesiam talem à Nob*
die Judicij exigendam, qualem à Patribus
cepimus. Innumeras alias authoritates, ut
pervacaneas prætereo: certe omnes Pon
fices & viros religiosos antiquitatem no
tati prætulisse testis est *Vincentius Lirine*
lib. cont. prof. hæres. novit. cap. 9. morem ist
in Ecclesiâ semper viguisse, asserens, ut q
quisque foret religiosior, eò promptius n
vellis adinventionibus contrairet, un
pos

postquam verba *Stephani Papæ ad Africanos* scribentis nihil novandum, nisi, quod traditum est, adduxisset, mox subjungit : *Intelligebat enim vir Sanctus, nihil aliud rationem pietatis admittere, nisi, ut omnia, quâ fide à Patribus susceptа forent, eâdem fide filijs consignarentur, nosq; religionem, non quâ vellemus, ducere, sed potius, quâ illa duceret, sequi oportere, idque esse proprium Christianæ modestiæ & gravitatis, non sua posteris tradere; sed à Majoribus accepta servare.* Prætereo hic multa concilia idem uno sensu & ore proferentia, & sentientia.

§. Facessant igitur & conticeant, qui Novellas suas subtilitates tam deprædicatæ antiquitati præponere gestiunt, & ad tot Summorum Pontificum & Conciliorum oracula obmutescant : vestigiis non humeris veterum magistrorum insistant. Doctorem Angelicum *Vrbanus V. in Bullâ ad Tholosates* Tholosanæ Vniversitati, non ob novas ejus adinventiones, commendavit, sed quod *B. Augustini* vestigia insequens Ecclesiam Doctrinis & scientijs, quam plurimis illustraverit. Nani ergo hujus Doctoris exemplo de

plo de Gigantum humeris descendant; n
dum longius illis prospicere volunt, verti
ginem incurrant: parumq; illis erit veterum
humeris insidere, nisi probaverint perspic
ciori se visu pollere. Novum hoc non est
novitatem antiquitati præferre; Noverun
& ipsum *Massilienses* citati à *S. Prospero*, q
meliorum, quam veterum ingenia suis sæc
lis orta asserebant: idipsum & hodie aud
tur, dum sæculum modernum à quibusd
appellatur Doctissimum, literatissimum
oculatissimum, nasutissimum. De his ait C
siodorus cap. 11. *divinarum lectionum sc
nonnulli, qui putant esse laudabile, si quidq
tra antiquos sapiant, & aliquid novi, ut pr
videantur, inveniant.* At radicem hujus
perbiæ advertit. *Hugo Victorinus, in Didas
licis, lib. 3. cap. 14.* ita scribens, *Hoc tumo
vitium hinc quibusdam accidit, quod sub
sententiam nimis diligenter inspiciunt: & co
aliquid sibi esse visi fuerint, alios, quos non m
verunt, tales nec esse nec potuisse fieri putan
hinc etiam ebullit, quod nugigeruli nun
quidam nescio unde gloriantes priores P
tres simplicitatis arguunt, & secum natam s
cu

cum morituram sapientiam credunt. Longe aliter sensit Doctor Mellifluus, dum ab his duobus columnis *Augustinum* loquor & *Ambrosium*, credite mihi difficile avellor, cum his me aut errare, aut sapere fateor.

6. Per quæ fusè adducta facilis est ad præinducta argumenta resolutio, neque enim, quia allegatus ex Apostolo textus tam Neotericis, quam veteribus congruit, hinc mox æquandi sunt: scimus enim, ait *Melchior Canus, l. 8. de locis cap. 4. quantum antiquitati deferendum sit, quantum etiam Sanctitati.* Quis enim sic insaniat, ut Doctores, sive Priscos, sive Juniores æquiparet Apostolis, Prophetis, Evangelistis? & tamen in textu, sicut hos ita illos provisos divinitus Ecclesiæ legimus. Alia est claritas solis, alia lunæ, alia claritas stellarum, ita alia est authoritas Apostolorum, alia veterum Patrum, alia subsequentium Scholasticorum, unaquæque tamen ab eo, qui ascendens in altum dedit dona hominibus, dona quidem magna, sed inter se disparia. Cæteris proinde paribus Scholasticis præferendi sunt Patres, quia Apostolis & fonti veritatis viciniores, sicut

enim aqua tanta fluit purior, quanto est fo
fonti propinquior: ita Ecclesiastica Doctr
na, tanto est sincerior, & ab erroribu
immunior, quanto primis præcon
bus & Authori vicinior. Accedit, quo
Scholastici, præsertim Neoterici & Junior
philosophica plerumque immisceant, q
Theologorum Dogmatum certitudin
imminuunt: quando enim minus cert
certiori miscetur, non tam illud excresc
quam istud decrescit: inæqualium enim p
mixtio meliorum deterioratio est, & qu
ex mixto elicitur, deteriori commensura
Quia igitur in profanæ philosophiæ sal
tum Scholastici & Neoterici licentius exc
runt, quam Patres, ipsorum mentes ad co
cipiendam veritatem, conceptamvè enit
dam redduntur steriliores.

7. Vbi enim modo tanta sedulitas &
ligentia, sive Concionatores sive Schol
cos spectes in pervolvendis Sanctorum
trum *Augustini, Hieronymi, Ambrosij, G
gorij* &c. operibus, quam ante hac fuit: o
nes modo currimus ad rivulos, relictis fo
tibus. Et si quis ratiunculas novorum P

bab

babiliſtarum intrinſecus perſpiciat, plus philoſophiæ, quam Theologiæ, plus rationis naturalis, quam ſupernaturalis inveniet: ſubſidiarijsque philoſophicis maximis, quæ in probationem adducuntur, velut fulcris & baſibus fundamentalibus aſſertionum ſuarum machinas ſuperſtruunt.

8. Ad magis etiam ſtabiliendam Sanctorum Patrum contra Neotericos authoritatem facit, quod ſicut in materialibus ſtructuris tanto lapides ſunt menſurâ majores, numero pauciores, & pondere graviores, quanto ſunt baſi viciniores: ſic in ſpirituali Eccleſiæ ſtructurâ, quia baſi viciniſſimi fuere Apoſtoli, poſt illos SS. Patres, & deinde Scholaſtici, ac proinde primi præ ſecũdis, & ſecundi præ tertijs ſunt dignitatis menſurâ majores, perſonarum numero pauciores, & authoritatis põdere graviores. Prima Schoſticæ ſtructuræ Baſis eſt Chriſtus, quem ſequuntur Apoſtoli, & hos Patres, de quibus ſcriptum eſt, quod ſint ſupraædificati ſupra fundamentum Apoſtolorum, & Prophetarum ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Jeſu. Quemadmodum verò Apoſtoli ſuper

Christo, velut ima base positi sequentibus se Patribus, ut subalternæ bases subjacuerunt ita & hi Patres reliquis se sequentibus Patribus ac Scholasticis quasi bases extiterunt Tanto autem ponderosior est supportatorum authoritas, quanto sunt supportanti respective propiores.

9. Quantum ad authoritatem, & verba *S. Gregorij* attinet, dicendum ipsum non comparare authoritatem authoritati, sed notitiam notitiæ: sed & cum dicit Ecclesia scientiâ proficere, non adscribit hunc profectum solis Recentioribus, sed simul etiam Patribus, qui etsi mortui docent: sicut dicit *Paulo Augustinus* docet, quod per eum Dominus tunc Ecclesias gubernavit, & per ejus Epistolas nunc gubernat.

10. Sed quibus authoritates & SS. Patres illis quoque viluerint, quæ adducta sunt: illi inquam, qui asserere audent, se in omnibus plus ratione Dialecticæ, quam authoritate detuliſſe: nec se quærere sententias, quæ hominibus placeant, sed quæ veritati consentiant, nec curanda esse Authorum placita cum lumine rationis duce veritas inquiratur

tur, & à Nobis præsertim, qui scimus hodiernum hesterno die doctiorem esse: & alio loco, cum sibi á quodam objectum fuisset, suam sententiam esse novam, respondit, *quid inde? modo verà sit, olim erat antiqua: Nam si absit invidia & præjudicium, tota Theologia moralis modo nova est: quis enim negare audebit esse hodie in Diana centenas opiniones probabiles, quæ Augustino, & antiquis Patribus Ecclesiæ incognitæ*; sed videat is Author, ne in se quadrent, quæ de *Abaylardo Epist. 77.* asseruit olim *Doctor Mellifluus: miror inquiens admodum, si novus iste novarum inventor assertionum, & assertor inventionum invenire in hoc rationem potuerit, quæ Sanctos Patres latuerit Ambrosium & Augustinum, sive authoritatem eorum, authoritate priorem.* Et paulò supra, *Non quærimus* ait *pugnas verborum, Patrum tantùm opponimus sententias, ac verba proferimus, & non nostra, nec enim sapientiores sumus quam Patres nostri.* Et *Richardus Victorinus Doctori mellifluo* consentiens *in Benjamin major lib 2. cap. 2.* ait *nostris temporibus surrexerunt quidam Spseudo-Philosophi fabricatores mendacij, qui*

volentes sibi nomen facere, studuerunt novam venire, nec tam cura eis erat, ut assererent vera, quam ut putarentur invenisse nova. Præsumentes itaq; de sensu suo, putaverunt se sibi posse facere sapientiæ arcam: & euntes in adinventionibus suis tradiderunt sententias novas, arbitrantes secum ortam, moriturami sapientiam. Sed ecce computruerunt horum omnium arcæ, eo quod non essent de lignis Sethim lignis, scilicet imputribilibus factæ, & ecce stulti facti sunt omnes Principes Thanc eo quod stultam fecerit Deus sapientiam hujus mundi. Sed de his satis. Certe non in Dialectica inquit Ambrosius lib. 1. de fide ad Gratian. cap. 3. complacuit Deo salvum facere populum suum, & animales appellat eos Isidor Peluſiota, qui rationibus & syllogismis, & disputationibus potius innituntur, & ex his seiventores arbitrantur id. lib. 4. Epist. 127 quæ justum est, atque utile. Quid athenis & Hierosolymis, quid Academiæ & Ecclesiæ ait Tertull. lib. de præscript cap. 7. nostra institutio de porticu Salamonis est, viderint, qui stoicum Platonicum, & Dialecticum Christianissimum protulerunt. Hieronymus Epist. ad Cresiphon

tem, ita & Nobis Majores nostri, & illis sui tradidere Majores: Qui hunc & hos non sequuntur, digni sunt reprehensione *Hugonis Victorini lib. 3. Miscell. docere Magistros, arguere seniores, imperare majoribus, superbi spiritus est, & de se ipso præsumentis.*

ARTICVLVS V.

Continens propositiones probabiles contra primum Decalogi Præceptum à Neotericis Probabilistis adinventas.

I. DEscendimus jam ad particularia Decalogi Præcepta, in quibus juxta ordinem, quem ipsa requirunt, non tam rationibus humanis, quam Sanctorum Patrum authoritatibus, ijsque involutis rationibus, quæ refutanda videbuntur, refutabuntur, interque ea primum & Dei cognitionem & idolorum abnegationem continet: quod, quoad primam partem evertit Probabilista, dum asserit.

PROPOSITIO I.

Deorum pluralitas ſtando puris principiis naturalibus defendi poteſt & propugnari.

Cum quâ Symbolizat illa quæ ſequitur.

PROPOSITIO II.

Prudentia humana viribus naturæ derelicta probabiliſſime crederet dari plures Deos.

2. Quibus vides ex mente hujus Authoris probabiliſſime, & abſque peccato poſſe ab homine gentili credi plures Deos, eademque qua credit probabilitate, eos coli & adorari: unde nec ſi hoc faciat, & plures Deos ac Idola colat, à Deo puniri poterit, utpote ſequens ſententiam probabilem, ac conſequenter laborans ignorantia invincibili, quæ à peccato, ejusque pœnâ & reatu liberat, ut ſupra dictum eſt; aſſerit ergo hic Polytheiſmum, imitatus ſerpentem primorum parentum deceptorem, qui eis Polytheiſmum perſuaſit dicens, *eritis ſicut Dij*, indirecte

directe innuens plures posse dari Deos. Vnde *Justinus Martyr. in parenetria ad gentes in psal. 13.* loquens de eodem *primos homines* inquit *plurium Deorum cultum docere est ausus. Et Chrysostomus* de insipiente illo tractans, qui dixit, in corde suo non est Deus: *Primus insipiens* inquit *Diabolus fuit, qui primus insipientiæ seminator extitit, & primus præco multitudinis Deorum dicens eritis sicut Dij.* Ex quo infert idem *Chrysostomus*, eundem quoque seminando Polytheismum induxisse Atheismum, unde paulo post subjungit: *Quicunque multos Deos adorat, dicit non est Deus: quemadmodum enim maritorum multitudo efficit, ut non censeatur maritus, ita multorum Deorum cultus est impietas, & perinde est, ac si nullum colas, multorum enim Deorum admissio est unius negatio.* Consentit *Athanasius orat. cont. idololat.* inquiens, *multitudo Numinum, nullitas Numinum:* cui concordat *Apostolus, ad Ephesios* inquiens *illos tempore Gentilismi fuisse sine Deo in mundo.* Ad quæ verba *Chrysost. comm. in Actor. 19. Et quomodo* ait *Ephesij sine Deo: hinc simulacra, illinc imagines, illic Neocros Diana, illic*

Demetrius argentarius, qui faciebat templa Dianæ argentea: tantus est grex Deorum, & quomodo sunt absque Deo Ephesij? sed propterea sunt impij & absque Deo, quod cum multos Deos elegerint, ab uno exciderunt Igitur multitudo Numinum nullitas Numinum, qui proinde sentit probabiliter defendi posse stando in puris principijs naturæ dari pluralitatem Deorum, is quoque ex mente sanctorum Patrum sentit.

PROPOSITIO III.

Probabile est secundum humanam prudentiam sibi relictam non dari Deum.

3. Nec hoc cuiquam tam mirabile videtur, cum Author propositionum proximè allatarum idipsum non incongrue insinuet, dum asserit.

PROPOSITIO IV.

Potest dari invincibilis ignorantia Dei quoad aliquod tempus saltem breve.

Et hanc sententiam non esse improbabilem, sed probabilem ipse sentit, dum hoc ab omni-

omnibus Scholasticis admitti affirmat: nec solum hoc, sed probabilem etiam æstimat illam, quæ sequitur.

PROPOSITIO V.

Probabile est, posse dari hominem bono judicio præditum qui invincibiliter tota vita Athæus sit.

Et quæ subjungitur.

PROPOSITIO VI.

Probabile est posse dari Rempublicam, quæ invincibiliter ignoret Deum.

Has inquam probabiles putat, cum dicat primam à paucis, posteriorem à pauciori bus Scholasticis, adeoque plus, quam uno defendi, ac ita insistendo principijs Probabilistarum, secundum quæ, illud quod sentiunt plures Doctores Scholastici rem ex professo tractantes, est sententia probabilis, & hæc indubie erit talis: certè posteriorem, quam pauciores amplectuntur, ipse approbare videtur, dum continuo subdit, multas respublicas fuisse, & quidem bene gubernatas, à

quibus omnium Deorum cultus proscriptus fuit, apud excellentissimos Authores videmus. Pro cujus confirmatione allegat noviter subactos Indiarum aliquos populos; sed nec probat illorum respublicas fuisse bene gubernatas: nec ignorantiam illorum factâ veritatis allegatâ suppositione fuisse invincibilem: nec Excellentissimorum illorum Authorum aliquem nominat.

4. Ecce quo novarum adinventionum Cursores ducat libido novitatum, ut etiam contra legem naturalem singulorum mentibus inditam, Sanctos Patres & Ethnicos etiam Philosophos Atheismum & Polytheismum, sive Idololatriam probabilem, & in conscientiâ licitam judicent, apud illos saltem, qui lumine fidei nunquam imbuti sunt. Sed audiamus, Quid ad hæc Sancti Patres; certe præter assignatos *Chrysosthomum & Athanasium:* non posse Deum invincibiliter ignorari, sentiunt *Cyprianus lib. de vanit. idolor. vulgus* inquit *in multis naturaliter Deum confitetur, cum mens & anima sui Authoris, & Principis admonetur. Dici frequenter audimus, O Deus, & Deus videt, & Deo*

commen-

commendo, & Deus mihi reddet, & quod vult Deus, & quod Deus dederit, atq; hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possis. Tertullianus in Apologetico c. 17. Quod immensum est, soli sibi notum est, hoc, quod est Deum æstimari, facit, dum æstimari non cupit. Ita enim vis magnitudinis & notum hominibus objecit & ignotum. Et hæc est summa delicti nolle agnoscere, quem ignorare non possunt. Vbi signanter notandum est, utrumque patrem asserere Deum ignorari non posse, utique invincibiliter, & sine culpâ. Aug. tract. 106. in Joan. hæc est enim ait vis veræ divinitatis, ut creaturæ rationali jam ratione utenti nõ omnino, ac penitus possit abscondi. Damasc. Nemo est mortalium inquit, cui non hoc naturaliter à Deo insitum sit, ut Deum esse habeat perspectũ. Ambros. l. 1. adversus gentes. quisquamne est hominum inquit, qui non cum istius Principis notione diem primæ nativitatis intraverit? Cui non sit ingenitum, non sit affixum, imò ipsis pene in genitalibus matris non impressum, non insitum, esse Regem ac Dominum Cunctorum, quæ sunt, Moderatorem? Nullus proinde juxta hos Sanctos Patres absque culpâ,

ignorare potest, Deum esse, & si ignoret, pœnam meretur teste *Minutio*, qui *eos merito torqueri* inquit, *qui Deum nesciunt, impios, ut injustos, nisi profanus nemo deliberat: cum parentem omnium, & omnium Deminum non minoris sceleris sit ignorare, quam ladere.*

5. Sanctis patribus subscribunt Theologi Scholastici, *Gonzales, Montesinus, Alvarez, Valentia Vannez*, qui ait, *negari posse demonstrari Deum esse, quantum sat est, ad obligandum homines ad cultum Dei, est hæresis.* Cui addo *Didacum Savedra in suo Principe politico Christiano Symbolo 24.* ubi ait *mox ordinem Reipublicæ turbarent vitia sublato fine principali felicitatis, quæ in virtute consistit, & fundamento illo, ac propugnaculo religionis, nisi in animum suum inducerent civem aliud supremum esse tribunal, pro solis mentis cogitatis, quæ vel supplicis æternis puniet, vel bonis æternis munerabit: Cajus Caligula Deos irridebat, dum tamen cœlum tonaret, aliam agnoscebat potentiorem manum, à quâ castigari posset. Nemo est, qui eam ignoret, neque ullum cor humanum, quod divino illo magnete tactum*

tactum se non sentiat, & sicut acus Nautica ex cognatione quadam naturæ & consensu in perpetuo motu est, donec sese firmet ad lucem stellæ istius polaris, circa quam voluuntur orbes cœlestes, ita nobis quietis vivere non licet, donec agnoscamus & veneremur increatum illud sidus, in quo vera est requies, & unde rerum omnium motus proficiscitur. His conformiter cecinit *Poëta:*

Aspice convexo nutantem pondere mundum,
Aspice stelliferæ nobile molis opus.
Ipsa tibi ingentis spatiosa volumina cœli
Narrabunt Domini facta stupenda sui.
Maxima stellantis dicet tibi Fabrica mundi,
Talia quæ fecit, quanta sit ista manus.
Vsq; adeo sunt nota opera omnipotẽtis, ut isthæc
Nox non nulla roget, non roget ulla dies.

6, Nec solùm SS. Patres & Scholastici, sed etiam ipsi Gentiles, lumine fidei carentes, solo naturali lumine intellectus, cognoverunt Deum esse, & Deorum pluralitatem implicare. *Aristoteles* postquam *12. Metaph.* dixerat *mundum debere optimo regimine gubernari*, his verbis concludit, *malum est pluralitas*

ralitas principatuum, unus ergo Princeps. Socrates, si Ciceroni credimus, quia deriserat multitudinem Deorum ab Athenienſibus occiſus eſt. Et *Orphœus dicitur ſcripſiſſe ſolum Regem formatorem aſpice mundi, unicus ac ſibi perfectus, ſunt omnia ab uno.* Ne ad cognoſcendum Deum eſſe, neceſſarius eſt diſcurſus Syllogiſticus (hic enim ab homine naturaliter ſimplici & ſtupido vix fieri poſſet) ſed per intuitam & conſiderationem creaturarum abſque difficultate quis devenire poteſt in cognitionem Creatoris, ſicut ex fumo quilibet cognoſcit ignem abſque ullo diſcurſu ſyllogiſtico & difficultate.

7. Hic quoque ſpecialiter obſervandum occurrit, Authorem Superiorum propoſitionum aſſertorem plus probabilitati, quam omnipotentiæ divinæ tribuere: dum aſſerit per probabilitatem poſſe tuto credi, & coli plures Deos contra primum Decalogi præceptum; cum tamen aſſerat Deum in tribus primæ tabulæ præceptis non poſſe diſpenſare contrariè, ex quo ſequitur, illa ſemper obligare, ſaltem eatenus, ut nemini liceat exercere actus contrarios, quod ſuperioribus aſſertionibus diametraliter contrariatur.

Sicuti allegatæ supra propositiones Deitatem & Deitatis unitatem, sic binæ sequentes, ejusdem omnipotentiam aggrediuntur. Earum prima est.

PROPOSITIO VII.

Potest Deus creare homines exleges seu nulli legi subjectos.

8. SEnsus est, posse Deum creare homines nulli legi, nec sibi subjectos: neq; enim nisi per legem Deo subijci poterunt, in hoc enim rationalis ab irrationali differt creatura, quod illa per rationem naturalem, quæ lex naturalis est, hæc solum titulo creationis & conservationis, absque ulla creatoris, vel sui intellectuali notitia Deo subjiciatur: ac proinde Deum posse creare homines, non homines, seu homines ratione carentes, qui eo, quod rationales non sunt, nec homines erunt, de quorum essentia est rationale, & rationis participem esse: id, quod bene advertit S. *Augustinus in psal. 118. Conc. 25.* cui id æquè impossibile videtur, quam homines præter naturam generis humani creari

creari: cum enim asseruisset, *nullum esse, qui faciat alteri injuriam, nisi qui fieri sibi nolit, & in hoc transgredi legem naturæ, quam non sinitur ignorare, dum id, quod facit non vult pati.* Paulo post ibidē inquirit. *Nunquid lex ista naturalis non erat in populo Israel. 2.* Ad quod respondet, *erat plane, quoniam & ipsi homines erant. Sine lege autem naturali esse sent. si præter naturam generis humani esse potuissent.* Addo implicare hominem, qui ignoret hæc legis naturalis principia, *Bonum est faciendum, malum est fugiendum.* Si sic, utique legem naturalem talia dictantem habebit, adeoque *Exlex* non erit; sed & asserto ultimo positæ propositionis eandem ipse cō vellit, dum Deum in primæ tabulæ tribus Articulis non posse dispensare contrarie asserit, adeoq; omnes ab illo creabiles illinc necessario subjecti erunt, non itaque *Exlegis* ut asserebatur.

Secunda Dei omnipotentiam impugnans in quâ sicut & in priori asseritur, Deum posse facere impossibile, imò, quod ex naturâ suâ malum est, hæc est.

Propo-

PROPOSITIO VIII.

In præceptis primæ tabulæ potest Deus dispensare contradictorie, in reliquis contradictorie & contrarie.

9. Sensus est, posse Deum in præceptis primæ tabulæ dispensare, ut liceret eadem omittere, ut possit quivis data occasione omittere agnitionem & cultum Dei &c. adeoq; Deum dixisse non opus est, ut alteri faciatis, quod vobis fieri non vultis. In præceptis verò secundæ tabulæ posse & potuisse Deum mandare contrarium, ut sint homines quo ad ipsum non solùm *exleges*, sed etiam *antileges*, ut nimirum loco istius legis naturalis, Dictaminis & principij. *Quæcunque vultis, ut faciant vobis homines & vos facite illis.* Surrogetur istud etiam generale sed adversum: *Quidquid vultis ab hominibus vobis fieri, contrarium facite illis.* Vultis à filijs vestris honorari? sed vos inhonorate parentes vestros: vultis à nemine occidi? sed vos occidite, quotquot poteritis. Vultis, ut nullus

res

res vestras furto, vel rapina vobis auferat sed quidquid poteritis clam, vel palam aliis auferre, auferte: vultis, ut ad uxores vestras extraneus nullus accedat? sed vos, qui si equi emissarij ad uxores proximorum hinnite; vultis ut nullus contra vos testimonium falsum proferat? sed vos in hypocrisi quimini mendacium, unusquisq; cum proximo suo, & de proximo suo: vultis, ut nemo concupiscat uxores vestras? nemo domum vestras, aut servos, aut ancillas, aut boves, aut asinos, aut aliud quidquam vestrum? sed concupiscite vos quidquid occurrerit commodum, aut delectabile in bonis alienis, sive uxor fuerit, sive domus, sive servus, sive ancilla, sive bos, sive asinus, sive aliud quidpiam libidini vestræ complacitum.

10. Nec est, quod hic quisquam recurrat ad Dei omnipotentiam: nam hæc ad impossibile & iniquum se non extendit; unde optime *Theodoretus, nihil vult Deus facere, quod natura non congruit. Natura autem est bonus, nihil ergo vult mali: natura est justus, nihil ergo vult injusti: natura est verax, mendacium ergo respuit, natura est immutabilis, omnia*

mutationem ergò non recipit, & Augustinus, quod non potest juste, non potest justus.

PROPOSITIO IX.

In rigore loquendo videtur, quod homo non teneatur unquam tempore vitæ suæ elicere actum charitatis.

11. Hanc propositionem Anno 1665. censuravit fel. record. *Alexander VII.* eandemque jam dudum ante scil. Anno 1657. ad requisitionem Episcopi Gandavensis improbarat facultas Theologica Lovaniensis, & biennio post ab Episcopo Namurcensi in suâ synodo Diœcesiana circumscripta erat. Tenent eam saltem æquivalenter, quotquot docent, præceptum charitatis indirecte solum & ratione alterius obligare, tunc scilicet, quando impius, eo quod Sacramentum pœnitentiæ non est in promptu, non habet aliam viam, quâ se justificet, nisi eliciat actum contritionis, in quo actus charitatis involvitur: adeoque cessante hoc inconvenienti, si cui semper in promptu sit Sacramentum pœnitentiæ, nunquam tenebitur elicere a-

ctum amoris Dei. Vnde quidam ex Neoa
ricis : *mihi* ait *placet doctrina illius, qui doc*
hoc præceptum charitatis impositum fuisse
justificationem impij : solùm igitur tunc ob
gare, quando impius, quia Sacramentum pa
nitentiæ non est in promptu, non habet alia
viam, qua se justificet, nisi eliciat actum c
tritionis, quæ super aliquo tandem modo actu
amoris Dei super omnia dilecti involvit. Co
sequenter igitur, & indirecte ratione suæ jus
ficationis ad actum charitatis fideles obliga
tur. Vide supra, ubi idem loquendi modus m
placuit de præcepto actus fidei & spei. Ha
ille, qui idem ibidem, *licet* inquit *comm*
nis sententia doceat dari præceptum speciale
amando Deo, in illis verbis diliges Domin
Deum tuum, & alibi : tamen non ignobi
Doctores docent, hoc præceptum non esse s
ciale, & speciali tempore implendum, sed
nerale imbibitum in omnibus præceptis : sic
secundum præceptum de dilectione proxi
non est speciale, sed in Decalogi præceptis co
tentum : nam propterea dicitur in his duob
præceptis, id est dilectionis Dei & proximi,
niversa lex pendet & prophetæ : si enim, s
serv

servat præcepta diligit, quiq; diligit servat, jam unum ex his continetur in alio, & consequenter præceptum charitatis indirecte solum, & ratione alterius obligabit Fatetur hic Author sententiam suæ contrariam esse communem, nihilominus nulla fundamentali ratione, sed auctoritate non ignobilium Doctorum (quorum nullum nominat) seductus evertit Basim, & fundamentum omnium divinorum præceptorum, in quo omnia incipiunt, & consumantur: præceptum scilicet divinæ dilectionis. *Soto lib. 2. de just. & jure 43. n. 10.* Sententia asserens sufficere actum dilectionis Dei in articulo mortis ridicula visa est: *si dixeris* ait ille, *satis esse semel in vitâ, idque in articulo mortis implere, profecto longe à naturâ præcepti aberras: Cum enim præceptum hoc cæterorum omnium sit præambulum & ut ait Paulus, finis: Ridiculum esset, dicere, quod liceat transigere totam vitam, antequam nos obliget.* Qui Author, si allegati Authoris sententiam audisset, illam certe plus, quam ridiculam judicasset.

12. Stupenda & mirabilis audacia, ut id, quod Christus appellat, primum omnium mandatum

mandatum in lege, hoc Doctor Catholicus Christi discipulus audeat dicere, solum indirecte, & ratione alterius obligare, adeoque non esse primum, & principalius, sed illud alterum directe obligans, ratione cujus ipsum indirecte solum obligat. Sed absit, ut hujus præconi novæ legis, & præcepti aures præbeamus: audiamus potius Cyprianum *Serm. de Bapt. Chri.* antiquum Christi, ejusq; mentis conformem præconem, qui ait: *justum est Domine, ut diligamus te, quia & tu nos diligis, & iniquum omnino est, ut te in aliquo dilecti tui offendant, vere hoc mandatum legis complectitur, & Prophetas, & in hoc verbo omnium Scripturarum volumina coarctantur. Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat Authoritas, hoc ex ore tuo audivimus, hic invenit consummationem omnis religio primum est hoc mandatum & ultimum, hoc in libro vitæ conscriptum indeficientem hominibus & Angelis exhibet lectionem. Legat hoc unum verbum, & in hoc mandato meditetur Christiana religio, & inveniet ex hac scriptura omnium doctrinarum regulas emanasse, & hinc nasci, & huc reverti quidquid Ecclesia*

stica continet disciplina, & in omnibus irritum esse, & frivolum, quidquid dilectio non confirmat. Non pertinet Domine ad te, nec tuus est, qui te nõ diligit. Ubi omni studio notanda verba: *Hoc natura, hoc ratio, hoc Domine verbi tui clamat authoritas:* clamat quippe creatura amandum esse creatorem & conservatorem, clamat ratio redamandum esse amatorem: *nimis* enim teste *Augustino lib. de catech. 2. cap. 4. durus est animus, qui dilectionem, si nolebat impendere, nolit rependere,* & paulo infra, *quis non redamare affectet justissimum, & misericordissimum Deum, qui prior sic amavit injustissimos & superbissimos homines, ut propter eos mitteret unicum Filium suum per quem fecit omnia. Et lib. 4. confessionum. Hoc est quod diligitur in amicis, & sic diligitur, ut rea sit humana conscientia non redamando amantem. Et lib. de moribus Ecclesiæ Cap. 11. Maximum,* ait, *quod ad beatam vitam ducit, primum q3 mandatum est, Diliges Dominũ Deum tuum ex toto corde tuo & ex anima & mente tua.* Et paulo post. *Summũ bonum* inquit *quod omnium optimũ dicitur, non modo diligendum esse, nemo ambigit: Sed ita*

diligendum, ut nihil amplius diligere debe-
mus, idq; significatur & exprimitur in eo, qu
dictum est, ex tota anima & ex toto corde
ex tota mente.

13. Ipsa ratio naturalis singulorum me-
tibus insita quemlibet docet, ut sit grat
benefactori, redametque sincerè amante
gentes enim nullo lumine fidei illustrati
faciunt teste Christo. *Matth. 5. Si enim d*
gitis eos, qui vos diligunt, quam mercedem h
bebitis? Et si salutaveritis fratres vestros
tum, quid amplius facitis? nonne & Ethn
hoc faciunt? quænam proinde erit obliga
eum diligendi, qui cunctum genus hum
num, & quemlibet in particulari homin
tot tantisque & prævenit, & prosequitur b
neficijs? qui cœlum terramque & quidq
cœli, terræq; ambitu continetur, creavit
ministerium hominis: ipsis etiam Angeli
spiritibus illi factis administratorijs; q
eum ad imaginem, & similitudinem suam
limo terræ formavit, & Dœmonis astu
deceptum & infernalis Baratri reum infini
æstimabili, & digno pretiosissimi Filij sui sa
guinis pretio è Dœmonis & inferni faucib
eripu

eripuit? Continuò cum toties quasi de novo producens, quot momentis in esse conservat? Et hæc erit gratitudo ad tantum benefactorem, ut dicere homo audeat, se non teneri unquam de vitâ actum amoris, seu potius redamationis elicere?

14. Nec solum Sancti Patres, sed & Scholastici Doctores huic Probabilistarum sententiæ amoris hominis erga Deum eradicativæ adversantur: inter quos Banner. *22. q. 44. a. 1. dub. 1 concl. 3. adz. fortassis* inquit *nobis ignorantibus aliquando est omissio hujus præcepti, diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo &c. Sicut etiam solet esse omissio præcepti orandi Deum: Et propterea oportet dicere semper ab occultis meis munda me Domine.* Clarius *Bannezio Silvius. Certum est* inquit in *22. q. 44. a. 6. q. 3. hoc præceptum sæpius in vitâ obligare. Cum enim datum sit ad vitam rectè instituendam, & ad salutem æternam promovendam, nullo modo verisimile est, quod solum obliget in periculo mortis, quando vita jam est finienda. Punctualiter autem definire singula tempora, quibus sit implendum sub reatu peccati mortalis, est impossibile, prudenti pro-*

inde Judicio opus est ad judicandum, an p
nimis longum tempus fuerit quis sine dilectio
Dei. Et quia nobis non advertentib9 aliqua
do accidit hujus præcepti omissio, ipsam esse cr
dimus inter peccata, de quibus Psalm. 18. dic
tur. Delicta quis intelligit? ab occultis m
munda me. In quibus, teneri hominem ad
ctum amoris Dei, certum & solum obliga
in articulo mortis, ne quidē verisimile asser

15. Clarius *Doctor Angelicus 1.2.9.100.*
11. in corp. confirmans num. immediatè pr
cedentem: *præcepta moralia* inquit *exi*
dictamine rationis naturalis efficaciam habe
etiamsi nunquam in lege statuantur, hor
autem triplex est gradus, nam quædam su
communissima, & adeo manifesta, quod edit
ne non indigent, sicut mandata de dilectione D
& proximi, & alia hujusmodi, ut supra
ctum est, quæ sunt quasi fines præceptorum, n
de in eis nullus potest errare secundum judi
cium rationis. Quædam verò magis sunt dete
minata, quorum rationem statim quilibet
am popularis potest de facili advertere, &
men, quia in paucioribus circa hujusmodi co
tingit judicium humanum pervertı: hujusm
di

di editione indigent, & hæc sunt præcepta Decalogi: Quædam verò sunt, quorum ratio non est adeo cuilibet manifesta, sed solis sapientibus, & ista sunt præcepta moralia superaddita Decalogo, tradita populo à Deo per Moysen & Aaron. Sed quià ea quæ sunt manifesta, sunt principia cognoscendi eorum, quæ non sunt manifesta: alia præcepta moralia superaddita Decalogo reducuntur ad præcepta Decalogi per modum cujusdam additionis ad ipsa. Quibus verbis, præceptis dilectionis Dei & proximi tantam vim obligandi attribuit, ut etiamsi per positivum Dei mandatum non emanassent, nihilominus obligandi eandem, quam modo, vim haberent, non solum in quantum modus est aliarum virtutum, sed ut est specialis actus: hinc paulo ante præoccupaverat, dicens: *actus charitatis dupliciter considerari potest, unò modo secundum quod est quidam actus per se & hoc modo cadit sub præcepto legis, quod de hoc specialiter datur, scil. Diliges Dominum Deum tuum, & diliges proximum tuum: alio modo secundum quod est motus aliarum virtutum &c.* ubi vides ex mente D. Thomæ præceptum charitatis non solum

indirectè, sed etiam directè per se & speciali præcepto ad se immediatè terminato præcipi. Et in responsione ad primum subdit *Dominus non dixit, si vis ad vitam ingredi, serva unum mandatum, sed serva omnia mandata, inter quæ etiam continetur mandatum de dilectione Dei & proximi.*

16. Pulcherrimè ad intentum, & mentem Doctoris Angelici *Cassiodorus*, cujus ferè singula verba Emphasin habent & inductæ opinionis sunt refutativa. *De virginitate ita lib. de amicitia* ait *datur consilium non præceptum, qui potest capere, capiat, & de virginibus quidem Præceptum Domini non habeo, consilium do. Charitas autem à Deo præcipitur, ipsius q3 præceptum fortiter & enixè & sub terminatione cordibus humanis inditur mandavit & quidem hoc mandatum Dominus custodiri nimis: & ut ipse cordibus nostris altius quasi clavum infigeret, velut crebros ictus sæpius ingeminavit, prius ut diligeremus ex toto corde, postea subjungit, quod ex totâ anima demum adijcit, quod ex totâ virtute nostra. Velut clavus, aut stimulus est hoc præceptum nam sicut Salomon dicit, verba sapientum sic*

muli sunt, & quasi clavi in altum defixi. Nonne plus quam stimulus est, aut clavus sermo Dei efficax, & penetrabilior omni gladio ancipiti? sane duritiæ cordis nostri exigebant hanc inconculcationis instantiam, ut præceptum ad nostrorum cordium interiora transiret, sicut duro stipiti clavus crebra percussione infigitur, donec interius adigatur.

Quod si fundamentum allatæ positionis inquiras, respondebit novus Probabilista.

PROPOSITIO X.

Nunquam aliquod Præceptum obligat, nisi sit determinatum.

17. CUjus assertionis ratio est, quia cum non possit uti indeterminatum exire in executionẽ, non censetur practicè esse completum. Insignis certè ratio, quæ tantum abest, ut evincat allatam propositionem, ut potius omnia positiva Dei Præcepta: Scilic. *Dominum Deum tuum adorabis*; *diliges Dominum Deum tuum*; *honora Patrem & Matrem tuam*; evertat, in illis enim omnibus, cum non sint determinata, eo quod à

Deo nullum se adorandi,& diligendi,vel parentes honorandi tempus assignetur : liber quis erit ab eorum obligatione,nisi in quantum indirecte, & ratione alterius aliqua obligatio oriatur : unde immerito queritur contra populum suum apud Malachiam *cap. 1.* Deus, *Filius honorat Patrem,& servus Dominum suum,si ergo Pater ego sum,ubi est honor meus ? & si Dominus ego sum,ubi est timor meus ?* certum est longe majori obligatione teneri erga Deum hominem,quam erga Parentem filium , major enim obligatio est creaturæ ad Creatorem , Plasmatis ad Plasmatorem,Redempti ad Redemptorem, quam geniti ad Genitorem , & quidem talem Genitorem , qui illi etiam ut Genitor subordinatus est : qui dicit, *Patrem nolite vobis vocare super terram : Vnus est enim Pater vester,qui in cœlis est:* ad quæ verba alludens quidam recens commentator *Franciscus Lucas in cap. 23. Matth. Is Pater* inquit, *qui in cœlis est,nempe Deus est Author totius vitæ vestræ, ille corpus vobis firmavit , ille animam vitæ principium infudit,ille vos pascit , fovet,educat,provehit , servat. Ille pars hæreditatis ve-*

stræ

ſtrâ, & calicis veſtri: de illius denique cura, providentia pendetis toti, à quo omnis paternitas nominatur in cœlo, & in terra. Huic ſi comparentur mortales, patres dici non merentur: quorum providentia in educandis, ſervandis, provehendis, & locupletandis filijs admodum incerta eſt, in generandis autem nihil niſi ſemen adminiſtrat formando corpori, & hoc ipſum Dei munere acceptum. Si proinde teneantur filij Parentibus, ut admittunt adverſarij, ſigna benevolentiæ oſtendere, non obſtante, quod præceptum honorandi parentes ſit indeterminatum, nec ullum illi tẽpus præfigatur & determinetur à Deo, quanto magis tenebitur homo amoris vicem Deo rependere, qui perfectiori modo pater eſt.

18. Mirum etiam obliviſci antagoniſtas illius principij primi legis naturalis: *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris.* An non ipſi, ſi cui tanta beneficia impendiſſent, quanta homini Deus, nec ullum benevolentiæ vel gratitudinis ſignum ab eodem recepiſſent, illum impietatis & ingratitudinis arguerent, & beſtiæ quam homini ſimiliorem reputarent? Cur ergo, quod ſibi ab alijs fieri no-

lunt, ipsi alijs faciendum suadent, & libris im
pressis docent? *Væ qui condunt leges iniquas, væ qui dicunt malum bonum & bonum malum, ponentes lucem tenebras & tenebras lucem.* hinc censet Socrates *teste Pet. Greg. lib. 10. de Repub. cap. 5. num. 18. pejus esse in legibus constituendis vel interpretandis errare, quam hominem interficere. Ejusmodi namq; error multos per multa sæcula interficit animos simul & corpora.* Et *Isidorus Pelusiota lib. 4. Epistol. 84. malum est quidem* inquit *injustè agere, sed injustam sententiam ferre, id longè est deterius. Alterum enim spem auxilij relinquit ei, qui injuriâ affectus est, alterum verò hanc ipsam spem aufert & injustum factum corroborat* & tandem *Orisius Epist. ad Augustinum: Dilacerati sumus* inquit *gravius à pravis Doctoribus, quam à cruentissimis hostibus.*

Ex ijsdem Fundamentis & Principijs à
positis conformiter Author, qui supra, asse
ruit non teneri hominem totâ suâ vitâ elicere
actum charitatis, etiam asserit.

Propo-

PROPOSITIO XI.

Non tenetur homo totâ vitâ ſuâ elicere actum fidei & ſpei.

19. CUjus prima ratio eſt, quod nullum adhuc Doctorem obvium habuerit, qui ſibi ſatisfecerit in explicando, quomodo neceſſitate præcepti homo teneatur elicere actum fidei, maximè cum præceptum illud non ſit determinatum, utpote cujus executioni non ſit ullum à Deo tempus præfixum: ejus proinde obligatio ſimilis erit, quę præcepti charitatis, quod ſupra dictum eſt, ſolum obligare indirectè & ratione alterius præcepti ſcil. juſtificationis, uti Author adductis ſingulis temporibus & præceptis ratione quorum quis actum fidei & ſpei elicere obligatur, demonſtrare nititur. Sed quia ab auctoritate negativa non valet argumentum & fundamenta allata non ſubſiſtunt, ut jam viſum in præcedentibus, illis diutius immorandum non eſt.

PROPOSITIO XII.

Majorem & potiorem curam politiæ Civilis & Regionis, quam Religionis oportet habere.

1. VEtus & vulgatum adagium est, ubi Deus Ecclesiam, illic in viciniâ exstruit Satanas ædiculam: vniversam naturæ legem exiguo decem præceptorum numero in tabulis lapideis Moysi in monte Synai Deus legislator, cui similis non est in legislatoribus, tradiderat; in illis totam legem naturalem jam aliqualiter obscuratam renovans & perfectissimam humanæ vitæ normam præscribens, posito primo præcepto de sui cognitione, cultu & adoratione, tanquam aliarum omnium basi ac fundamento, sed ecce illi oppositum in fine sæculorum Decalogum in inferni penetralibus fabricatum & digitò Dœmonis scriptum publicat Machiavellus, cujus primum Præceptum primi Decalogici divini est directe eversivum. Refert hūc Satanæ Decalogum Prænobilis Cō-

sultissi-

sultissimusq; Dominus *Guilielmus Ignatius* Schütz *quondam Cancellar. Fuldens. nunc supremi Judicij Cameral. Assessor in suis reflex. Polit. Consolat. cap. 2. num. 3.* ex quo eundem hic subjungere placuit.

AntiDecalogus Machiavelli.

Præceptum I.

Religio rationi status famuletur.

II.

Pietatem, quam non habet, præ se ferat.

III.

Religionem statui pro tempore congruentem falsis miraculis firmet.

IV.

Religionem Ethnicam Christianæ præferat.

V.

Fortunæ non virtuti, casui non Deo felicitatem adscribat.

VI.

Moysis authoritatem & leges vi & armis, non fide & Deo nixas fuisse credat.

VII.

Status servandi, ampliandiq; causa cum

debeat omnia jura perfringere, ad omnem ventum vela vertere paratus sit.

VIII.

Credat virtutes, si semper verè adsint & serventur pernitiosas, si inesse putentur, fructuosas esse.

IX.

Belli justitiam in eo, quod sibi utile videtur, statuat.

X.

Tyrannum aliquem insignem imitetur contemptâ crudelitatis famâ: immanitatem animo impetu, sensim vero beneficientiam exerceat.

2. Ecce præclarum insignis illius impostoris & nequissimi principum informatoris *Anti-Decalogum*; sciebat is, nihil efficacius esse religione ad subditorum animos intra debitæ obedientiæ terminos & honestatem cohibendos: *sine religione enim* ait *Lactantius lib. de irâ Domini cap. 22 aut immanitati belluis, aut stultitiâ pecudibus adæquamur, in sola enim religione, id est, in summa notione summa sapientia est: vera enim religio optima Rectrix est humanæ vitæ, justi injustiq; norma, frenum in prosperis, in adversis solatium, spes*

in

in dubijs, unica deniq; mentis Domina. Forſtnerus in not. polit. ad Cornel. tacitum lib. 1. pag. 65. Longè tamen à recto tramite aberravit Machiavellus, dum loco veræ falſam religionem vel eligere, vel ſaltem fingere docuit: *Reipublicæ* inquit idem *lib. 1. cap. 12. Regnive Moderatores, ac Principes religionis fundamenta ſervare debent: nam ea ratione Rempublicam ſuam religioſam conſervabunt, & quod inde conſequens eſt, etiam integram, & ſtudijs non diviſam. Opus verò eſt, ut quæcunque ad religionem fovendam amplificandamque appoſita ſunt, etiamſi aliter ſentiant, amplectantur augeantque.*

3. In quibus verbis oſtendit, Religionem à Principe ſolum ut medium pro conſervatione unitatis & pacis attẽdi debere, ſive vera ſive ficta ſit: in quo quid aliud ſuadet, quam humana divinis, terrena cœleſtibus, æternis temporalia, ſacris prophana prophaniſſimè anteponere & Sponſam Chriſti ſæculo, Chriſtum mortali Principi ſubjicere; ac Principem Reginamque pietatem facere politiæ civilis fœdiſſimâ ſervitute pediſſequam, directè contra illud Salvatoris: *Quarite primum*

mum Regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia (terrena scilicet) *adjicientur vobis.* Ex quo consectarium est aliud Machiavellistarum assertum, Deo nimirum relinquendam religionis curam, ut illam quæ sibi maximè placuerit, introducat & conservet, nihil illius curam ad principem spectare.

4. Sed Machiavello longe melius *Didacus Savedra in suo principe politico Christiano symbolo 24.* ubi ait *verum non obstantibus quam plurimis exemplis similibus & experientijs, fuit non nemo, qui impiè docere ausus est, Principem posse pro libitu religionem aut dissimulare, aut fingere: qui eam fingit, nullam omnino credit, etsi ejusmodi fictio artificium quoddam est politicum ad copulandos animos, & tuendam rempublicam: multo id præstabit melius vera religio quam falsa, hæc enim caduca est, illa æterna.*

PROPOSITIO XIII.

Cujus Regio, illius est Religio.

5. HUjus assertionis, quæ hisce temporibus velut oraculum & axio-

ma

ma circumfertur, sensus est, penes Principem Regionis, potestatem esse quam placuerit religionem introducendi, sive illa Lutherana, sive reformata sive Catholica illa sit, idq; vi transactionis Passavicæ *de Anno 1552.* pacis Religiosæ & instrumēti pacis §. *29.* qui sic habet, *quantum deinde ad Comites, Barones, Nobiles, vasallos, Civitates, fundationes, Monasteria, commendas, Communitates & Subditos, Statibus Imperij immediatis sive Ecclesiasticis, sive Sæcularibus subjectos pertinet: Cum ejusmodi Statibus immediatis cum jure territorij & superioritatis ex communi per totum imperium hactenus usitata praxi etiam jus reformandi Exercitiū religionis competat* &c. Vbi vides cuilibet Principi Territoriali Jus reformandi religionem, eamque quæ sibi placet, introducendi concedi, salvis nihilominus exceptionibus Anni 24. §. *sequent. Hoc non obstante* contentis.

6. Certe nec instrumentum pacis, nec pax religionis, nec transactio Passaviensis eā vim habent, ut unius veræ solum salvificantis religionis (unus enim Deus, una Fides, unū Baptisma) obligationem, quæ à solo Deo est,

est, tollat: quæ si ullos, maximè tangit Principes, ut illam, si ab eâ aberrarint, sedulo inquirant, subditosque suos amplecti faciant; reddituri, si secus fecerint, Deo non solum sui ipsorum, sed & omnium animarum exemplo suo à vera religione deviantium & abductarum gravissimam rationem. Proinde licet in foro fori id per contractum (Deo nihilominus unicam solum religionem præcipiente & plures vetante) initum liceat, conscientiæ tamen obligatio in ordine ad veram religionẽ per hoc nequaquam tollitur; id, quod etiam advertit & asserit *Justus Sprengerus Lutheranus in suo libro, quem scripsit de pace religionis* ubi *cap. 1. Quamvis hæc unica duntaxat religio sit (quam colentibus teste Livio libr. 5. omnia prospera eveniunt) in sacris patefacta litteris, cujus prævaricatio cum summo à facie Dei reprobationis conjuncta est periculo, extra aleam tamen dubietatis positum est, à primis usque conditi mundi natalibus innumeras de vero Dei cultu in Ecclesiâ extitisse dissensiones &c.* sed an bene & licitè ?

7. Idem *cap. 15.* fusius repetit: *præter verbi divini scripturam naturale animi lumen, u-*

num Deum & præter hujus cultum omnino nullum esse, testatur Cicero de naturâ Deorum. & quænam vera & illibata sit religio, id est, in quo nobis aqua hæret. Sacra Scriptura Author ejus formandæ & colendæ. At tam falsitas, quã veritas sub hoc tegmine quærit sibi hospitium. Quis igitur Judex, qui disjectâ falsitatis nubeculâ splendorem veritatis aperiat? Hanc cognitionem non ad Præfectos vrbis, neque Provinciarum Præsides translatam esse, sed synodum ad controversias in hujusmodi casu sedandas coactam fuisse historiæ & Apostolorum acta demonstrant. Talis erat illa Apostolica contra Cerinthium, Nicœna contra Arrium, Constantinopolitana contra Macedoniũ & Ephesina contra Nestorium &c. Et paulo infra prima ait cura erit Hæreticos, eorumque labe infectos impellere, ut errore cognito ad unitatem Ecclesiæ revertantur, secundum illud Lucæ 14. compelle intrare. Quo facto, si perfrictè in errore perstiterint, ut finibus ejiciantur, reipublicæ & Ecclesiæ interest, quia conducibilius est ab Imperio impietatem cedere, quam ædem Dei perdere, & secundum S. Augustinum: melius est perire unum, quam unitatem. Quod teste

Vin-

Vincentio Lirenensi in lib. contra prof. hæres. novelli dogmatis inductione non solum parvæ res, sed & maximæ labefactatæ sunt : nec enim affinitates tantũ, cognationes, amicitiæ, domus, verum etiam urbes, provinciæ, nationes, & universum regnum funditus eversum est. Quod adeo verum est, ut etiam Deus in ejus populo Reges severe animadverterit, qui puritatem religionis, vel ipsi contaminarunt, vel ab aliis pollui permiserunt. Hæc ille, quasi sibi obji-ciens, & postea negativam tenens; sed verissima nihilominus esse adducta fundamenta nec à se soluta, inferius, cum de punitione hæreticorũ agetur, ad oculũ monstrabimus.

PROPOSITIO XIII.

Diversas Religiones in Regno vel Principatu permittere expedit.

8. IMmediatè ante citatus *Sprengerus* loco citato hanc propositionem hilce formalibus asserit : *Principibus hoc inprimis incumbere, ut ortæ in articulis religionum controversiæ ex verbo Dei, statim*

deci-

decidantur. Interea, dum istud malum mutari nequit, tolerandam esse religionum varietatem non approbandam, manifestè autem impios & blasphemos (cujusmodi sunt Epicurei, Anabaptistæ, antrinitarij) quorum abominabile est dogma, non tolerandos, sed ut publicæ paci consulatur, exilio mulctandos esse statuo.

9. *Christianus Liebenthal in suo collegio Politico exercit. 13 q. 4. hanc quæstionem* ait *esse talem, quæ florentissimam Galliam, Angliam, Hispaniam & Belgium acriter hactenus concussit & absumpsit: ita ut in Gallia intra duorum & viginti annorum spatium ab Anno scilicet 1562. usque ad 1584. quadraginta centum millia hominum absumpta sint.* Et licet hic Author negativam teneat, affirmativam tamen Catholicorum his argumentis, quæ tamen postea sed frustra solvere conatur, proponit.

10. Primo, quia munus politiæ primarium est, omnes distractionum ac discordiarū civilium vias præcludere: sed nihil magis subditorum mentes distrahit, & discordias promovet, ac facit religionum diversitas, cū experientia testetur, continuas rixas & conten-

tentiones, animorumque dissensiones esse inter eos, qui religione dissentiunt: hinc enim Romani caverunt, ne aliquis separatim haberet DEOS novos.

Secundo, quia unus tantum est DEUS, et una forma recte colendi Deum, quam ille nobis proposuit & extra quam impossibile est placere DEO, violatores etenim unius certæque religionis DEUS atrociter punire vult *Deut. 13.* pugnat enim hæc libertas cum vera & unicâ fide, quam dubiam ac incertam reddit & sic plures religiones, fidesq; introducit.

Tertio, quia hac libertate religionis extremum Numinis contemptum blasphemiasq; via & fenestra aperitur.

Quarto, quia pari passu ambulant, omnis religio & nulla religio: rudis enim plebecula eas de religione contentiones cernens, solâ hominum opinione constare veritatem censet.

Quinto, quia transgressores humanarum legum rei criminis læsæ Majestatis, fures, stem & homicidæ gladio, alijsq; pœnis è medio tolluntur, cur non etiam transgressores legis divinæ rei criminis læsæ Majestatis divinæ?

11. Hæc sibi objicit, plerisq; argumentis insolutis: ad quæstionem tamen negativè resolvens, idq; ex fundamentis tam diu à Sanctis Patribus explosis, scilicet, quod religio non imperari, sed suaderi debeat; Fides enim est donũ Dei sedẽ in anima habens, nec ulla sit gravior Tyrannis, quam velle conscientiæ dominari, idq; probat ex aliquot Imperatoribus, qui suis subditis liberum Religionis exercitium permiserunt: periculosum esse aliquem ad religionem certam cogere, semperq; illud malè cessisse: inordinationes illas, quæ ex diversis religionibus ortæ sunt, magis à pertinaciâ Magistratuum, quam subditorum originem sumpsisse, & nec cessasse admissis diversis religionibus liberoq, illarum exercitio. Sed valde frivola sunt hęc Argumenta: si enim, quia Fides est donum Dei, ad quam nemo cogi potest, cur in Angliâ, Suecià &c. omnes aliæ Sectæ cujuscunque nominis admittuntur solâ Romano-Catholicâ unicâ & verâ religione exceptâ? cur illa potius vetatur quam alia? illa ergo non consistit in interiori homine? Cur ante citatus Sprengerus sicut & Theodorus Reinkingh

kingh judicat Anabaptistas, antitrinitario similesq; permitti non posse, cum ipsi æqu ac Lutherani asserant se habere veram rel gionem salvificantem, eamq; longe melio ex puro verbo Dei probare se autumen Certe nullus Lutheranus aliquem suæ pro fessionis substantialem à Catholicis disce pantem Articulum, ex solis S. Scripturæ ver bis, seclusis interpretationibus & consequen tijs hucusque probare potuit, vel unquam poterit: multo minus demonstrare suam prætensam religionem omni aliâ ad vitam ternam conducibiliorem, idque tali funda mento, quo alij Sectarij non utuntur, utifun demonstravit *Franciscus Veronius in sua E pitome controversiarum Fidei* & Reverendis simi Domini *VValenburgici in sua Metho Augustiniana.*

12. Sed diversas Religiones absolutè per mittendas non esse, clamant tam sacræ pa ginæ, quam historiæ: hinc illa verba Apostol li, *nemo potest bibere calicem Christi & calicem dæmoniorum. Cor. 10. Hæreticum post unam alteram admonitionem devita ad Tit. 3. Qui non est mecum, contra me est, & qui non colligit*

mecum

mecum dispergit. Matth. 12. & illud Jehu ad Josaphat: impio præbes auxilium, & his, quì oderunt Dominum, amicitiâ jungeris, idcirco iram Dei merebaris.

Nota est illa S. *Polycarpi* de S. *Ioanne Evangelista* historia, quod is lotionis causâ Ephesi balneum ingressus, inibi videns Cerinthum hæreticum mox resilierit, *fugiamus hinc* inquiens *ne balneum ruat, quod intus sit Cerinthus veritatis hostis.* Ipseque *Polycarpus* aliquando *Marcioni* itidem hæretico obviam factus, & ab illo, *cognoscis nos*, interrogatus respondit, *cognosco primogenitum Diaboli.* ita *Eusebius lib. 4. hist. cap. 14.* unde est & illud *Ioan. 2. Si quis venit ad vos & hanc doctrinam non adfert, nolite eum recipere in domum, nec Ave ei dixeritis.*

13. Nec solum S. Scriptura, sed & ipsi Imperatores, ad quorum judicium appellant protestantes, leges de non permittendis Hæreticis, diversisque religionibus tulerunt. *Constantinus apud Eusebium lib. 3. de vita ejus c. 65.* in quodam adversus hæreticos Edicto sic eos alloquitur: *O veritatis hostes, Inimici vitæ, internecionis Authores & Consilia-*

arij, omnia apud vos veritati contraria, turpibus consentientia, maleficijs, ineptijs & commentitijs fabulis exultantia &c. Sit igitur hoc ratum statutumq3, ut post hunc diem nullo in loco vel publico vel privato nefarij vestri conventus in unum coire audeant.

14. Gratianus, Valentinia. & Theodos. in l. 1. C. de sum. Trin. & fid. Cath. Cunctos populos quos clemẽtiæ nostræ regit temperamẽtũ, in tali volumus religione versari, quam divinum Petrum tradidisse Romanis, religio usq3 nunc ab ipso insinuata declarat, quamq3 Pontificem Romanum Damasum sequi claret, & Petrum Alexandriæ Episcopum virum Apostolicæ Sanctitatis. Et paulo post §. 1. Hanc legem sequẽtes Christianorum Catholicorum nomen jubemus amplecti, reliquos verò dementes, vesanosq3 judicantes, hæretici dogmatis infamiam sustinere: nec conciliabula eorum, Ecclesiarum nomen accipere: divinâ primum vindictâ, post etiam motus nostri, quem ex cœlesti arbitrio sumpserimus, ultione plectendos.

15. Theodosius & Valentinianus Impp. Manichæos, Hæreticos, sive Schismaticos, omnemq3 Sectam Catholicis inimicam ab ipso

aspectu

aspectu urbium diversarum exterminari præcipimus, ut nec præsentiæ criminosorum contagione fædentur: statuũt insuper *Honorius & Theodosius: qui Catholicæ Sectæ sunt inimici intra patriam militare præcipimus. Nullus nobis sit aliquâ ratione cõjunctus, qui à nobis fide, & religione discordat.* Sed de his pluribꝰ infra.

16. Unde bene notavit *Didacus Savedra* Politicus vere Christianus nunquã satis laudatus *Symbolo 24. Plures Principes dissensionibus in religione perijsse quam armis. Eam ob rem concilium Toletanum VI. sapientissimè ordinavit, ut nemini Coronæ possessionem adire liceret, nisi prius dato jure jurando ad promitteret, nullum sese in regno suo toleraturum, qui veræ & orthodoxæ fidei mysterijs ritè imbutus non esset. Hispania quieta esse non potuit, donec errores Arrij deponeret, & omnes religionem Catholicam amplecterentur.* Et paulo infra: *quà in re* ait *fuit constantia insignis Philippi secundi, ejusq; Successorum, qui nunquam induci se passi sunt, ut ad componendas seditiones in provincijs belgicis conscientiæ libertatem concederent: tametsi hac ratione dominia illa integra conservare potuissent, & tot parcere*

sumptibus, quos in bellum impendere opus fuit: pluris scilicet Dei honorem & gloriam æstimarunt, quam felicitatem propriam. Eà in re etiam exemplum insigne pietatis præbuit Philippus IV. Cum enim post susceptа regni gubernacula in consilio ageretur de continuandis cum Batavis inducijs, quo consiliarij quidam vehementer propendebant, è ratione status esse arbitrantes, ne aut bellum susciperet, aut in principio susceptæ gubernationis quidquam immutaret, mox sese illis opposuit dicendo: nolle se hanc nomini suo notam inurere, ut vel horam unam pacem servaret cum iis qui Deo & Coronæ suæ rebelles essent, atq; induciias rupit illico.

17. Quod proinde de pluribus alijs, hoc & de Imperio Romano Germanico meritò metuendum, nunquam ad pristinam gloriam ipsum rediturum, nisi omnium in Imperio Principum animi coalescant, & fiat in religione Cor unum, & anima una, *unum ovile & unus Pastor:* causam hujus adducit *Petrus Ribadeneira* dum *lib. 1. cap. 23. sui Principis Christiani,* pro summario præfigit hoc lemma. *Fieri non posse, ut in eadem Re-*

publica

publicâ Catholici cum Hæreticis firmâ societate jungantur. Sancta & Augusta, quam colimus, religio persimilis est reginæ singularis pulchritudinis, eximiæque Majestatis è Cœlo delapsæ, quæ nihil fœditate deforme, nihil opinione disjunctum, nihil nisi cœleste prorsusq; divinum admittit. Itaq; quemadmodum inter corporis membra unicum caput, inter planetas sol unus, unica singulis corporibus movendis ac regendis anima data est, Rex unus in Regno, in Exercitu Imperator, unus denique Deus, qui hanc rerum universitatem administrat: ita fieri non potest, ut in hoc Spirituali mundo, id est, Ecclesia, sit alia atque alia Fides: sed una est religio, quâ tanquam necessitudine quâdam consuetudinis & amoris, ut Rebecca cum suo Isaac, Rachel cum Iacobo, Regina cum Rege, Ecclesia cum Christo conjungitur. Quis ergo cum hac Reginâ, virgineq; castissimâ, turpissimum ac infame scortum, cujusmodi est hæresis, copulet? quis in eadem acerrâ: sacrum & prophanum ignem offerat? quis in eadem arâ & ædiculâ Arcam Dei & Idolum Dagon collocet? Christum & Antichristum societ? si Christus Deus est, cur Baalam sequimur? si Baal Deus

est, cur Christum amplectimur & confitemur? Non bene convenit signo Christi & signo Diaboli, castris lucis & castris tenebrarum, non potest una anima duobus deberi. Qui justitiam & sanctitatem Abelis vult factis exprimere, oportet illum à Caini, etsi fratris consortio divelli. Qui saluti suæ cupit consultum, cum Loth à Sodomis recedat: cum Ismaële non ludat ut Isaac, Esau fugiat ut Iacob, & ut tyrannidem Pharaonis evadat Ægyptum cum Israële deserat. Alia causa ex S. Augustino in propositione de punitione hæreticorum adducetur.

18. His nihilominus non obstantibus, quin Princeps possit tolerare Hæreticos, quando deest illi potentia eos exterminandi absolutè, vel non sine gravissimo damno aliorum Catholicorum, eo quod debeat cum tritico exterminare zizania, viribusque sint hæretici illis longè superiores, nulli dubium est; ita à *Reinkingh* citatus *VVilhel. Ferdinand. ab Efferen lib. 3. Class. 1. cap. 1. Quod Catholici Principes* inquit *aliquando permittant diversæ religionis homines in suis provinciis vivere, quando sine periculo ejici non possunt,*

sunt, non quod Hæreticis faveant, sed quia aliter impedire non possunt. Quando vero fortiores facti, lenitatem rigori præferunt, & quos jure capitis pœnâ afficere possent, spe conversionis sine damno bonorum emigrare concedunt. Neque tamen Princeps in suis Provincijs hæreticos ideo permittere tenetur, quod per illorum expulsionem timeatur aliorum Catholicorum in alijs Provincijs persecutio: charitas enim benè ordinata incipit à se ipsa. *Naturæ* ait *Hieron. in cap. 44. Ezech. super hoc probatur affectus, ut ordine charitatis, juxta quod scriptũ est, ordinate in me charitatem post rerum omnium parentem Deum carnis quoque pater diligatur, & mater, filius & filia, frater & soror.* & *D. Thom. quæst. de charitate A. 9. Primo* ait *diligendus est Deus; secundo Parentes, inde Filij, post Domestici:* magis proinde obligatur suis Subditis, quam Extraneis succurrere, & ab ijs omne malum amovere, juxta illud: *auferte malum ex vobis 1. Cor. 5. Et infidelis, si discedit, discedat, ne una ovis morbida totum gregem contaminet 1. Cor. 15.* At in his sciunt Principes Romani Imperij, quid valeant conformiter ad instrumentum Pacis,

quo talis potestas in foro fori suspensa est; an in foro poli? ipsi utique scient: quibus tamen malis omnibus obviari potuisset, si tempestivè advigilatum fuisset, juxta illud:

Principijs obsta serò medicina paratur,
Cum mala per longas invaluêre moras.

APPENDIX REFVTATORIA THEODORI REINCKING

Circa regimen Ecclesiasticum.

AD has quoque laxitates reducuntur quædam à pseudopoliticis & heterodoxis adiuventæ noviter & propugnatæ sententiæ, primo Decalogi præcepto adversantes, quas ex Reinckingij tractatu *de Regim. Sæcul. & Eccles.* sparsim desumptas, paucis deliberare placuit; ad obviandum nihilominus criticorum censuris præmoni-

tum

tum velim, nullatenus inquirere me, quid circa tractanda in foro fori (hoc enim abundè monstrat Transactio Passavienſis, Pax Religionis & Instrumentum Pacis) sed quid in foro poli & conscientiæ tenendum sit, cujus examen instituto vitæ meæ conveniens est; cæterorum determinationem Statistis transcribo.

PROPOSITIO I.

Princeps summam potestatem habet Rerum tam Ecclesiasticarum, quam Civilium.

I. HÆc propositio est, quam unanimiter defendunt & propugnant omnes protestantes, ut aliqualiter suam à Romano Catholicâ religione defectionẽ justificent, & se à jurisdictione summi in terris Christi Vicarij violenter eximant: suis Sæcularibus Principibus jus tam Ecclesiasticum quam civile, Episcopale & territoriale arrogantes: quam materiam, quia ex proposito quotidiè publicis Thesibus & libris exponunt, placuit eam ex Domino *Theodoro Reinkingh*

desumptam breviter refutare, servato ordine, ac methodo illius, ac ostendere summam potestatem Ecclesiasticam, nulli nisi Ecclesiastico Prælato, Summoque Pontifici posse competere, sicuti & conciliorum convocationem, hæreticorum punitionem, in Bonis Ecclesiasticis dispositionem &c. idque propositis & refutatis eorum assertionibus.

PROPOSITIO II.

De Iure divino Princeps Sæcularis habet potestatem Ecclesiasticam, estque Episcopus.

2. HAnc assertionem probat *Reinkingh lib. 3. cap. 1.* hoc modo. *Magistratus custos esse debet utriusque tabulæ, omnemq; curam in eo collocare, ut religionis imprimis summa habeatur ratio: Certum est enim Ecclesiam esse in Republicâ, non verò Rempublicam in Ecclesiâ. arg. Novell. 3. 5. 6. 16. &c. Vnde Reges nutritij, Reginæ verò nutrices Ecclesiæ appellantur. Isaiæ 49. Pastores Ecclesiæ. Isa. 44. hoc pertinet ad Reges sæculi, Christianos* inquit *S. Aug. ut temporibus suis pacatam velint habere*

bere Ecclesiam matrem suam, unde spiritualiter nati sunt. c. quando 24. q. 4. hoc Jus habet Magistratus & Imperator non ex privilegio Papæ, ut vult Gloss. cap. in synodo in fine dist. 63. sed jure regiæ potestatis à Deo concessæ. Cui enim potestas data à Deo, ea quoque data censenda sunt, sine quibus ad finem à Deo constitutum perveniri commodè non potest: Idque probat exemplis *Josuæ, Davidis, Josiæ, Ezechiæ & Gentilium. Sed & Christus & Apostoli Ecclesiam, quatenus adhuc in vitâ militat politicæ potestati subjecerunt act. 25. Quin imò Ecclesiasticas res & personas in tuto nunquam esse posse, nisi eas regia potestas defendat & tueatur.* & infra *cap. 10. per transactionem Passaviensem & subsecutam Religionis pacificationem & novam pacis constitutionem Jurisdictio Ecclesiastica Pontificiorum in provinciis Augustanæ confessionis addictorum suspensa est, tam in illis, quæ sunt ordinis, quam jurisdictionis Episcopalis.* Hęc *Reinkingh.* cum quo consentit *Liebenthal in suo collegio politico exercit. 9. q. 5.* omnesque protestantes ijsdem fundamentis nixi. Sed hæe argumenta tantæ efficaciæ non sunt, ut ideò à tot sæculorum

praxi, Ecclesiæ, Sanctorumque Patrum Authoritatibus recedendum sit.

3. Respondetur proinde Ad. 1. Concedendo quidem Magistratus Sæculares esse custodes, Protectores, Nutritios Ecclesiæ &c. sed hinc non sequitur, ergo sunt Sacerdotes & habent potestatem Ecclesiasticam & Episcopalem, dum enim Augustali coronâ redimitur Imperator, *juxta Clem. unicam de jurejurando, & Pontificale Romanum cap. tibi Domine dist. 63.* promittit, spondet, & jurat coram Deo & B. Petro, se de cætero fore Protectorem, Procuratorem, & Defensorem Summi Pontificis, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ: Vnde *Carolus V.* Anno 1530. 24. Febr. Bononiæ iuxta *Melchiorem Goldastum* juravit in hunc modum: *Ego Carolus Romanorum Rex, & brevi (Dei gratiâ) futurus Imperator Cæsar per Deum Divumq; Petrum promitto, polliceor, testificor atque juro, me imposterum pro viribus, ingenio, & facultatibus meis Pontificiæ dignitatis, & Romanæ Ecclesiæ perpetuum fore defensorem: nec ullam Ecclesiasticæ libertati vim illaturum; sed potestatem, jurisdictionem, & dominationem, ipsius quo-*

ad

ad fieri potest conservaturum, ac protecturum. Cujus rei testem invoco Deum ipsum & hæc sancta Evangelia. Neque enim illius, cujus quis custos & protector est, mox Dominus efficitur. Auctoritas *S. Augustini* contrarium evincit, si enim Imperator est Filius & Ecclesia mater, utique illius Dominus non est.

4. Quod autem Ecclesiasticam potestatem non habeant sæculares Principes ex privilegio Papæ, nimis quam certum est: nunquam enim illis, maximè, qui non sunt de gremio Ecclesiæ Catholicæ, tanquam incapacibus, illam Summus Pontifex concessit. Ridiculum autem, quod jam ab omnibus Acatholicis tanquam certum supponitur, eos illam habere titulo regiæ potestatis, & de jure divino: si enim sic est, jam omnes Reges, Principes & Magistratus, Imperator Turcarum, Reges & Imperatores Gentilium, eo ipso, quo Reges sunt & Sacerdotes, habent potestatem Ecclesiasticam & ordinandi de religione, Subditosque suos contra divina mandata ad Idololatriam, hæreses, & superstitiones juxta superius allegatam propositionem (cujus Regio illius est religio) astringere poterunt. 5. Cer-

5. Certè potestas Episcopalis ab illo solo originem ducit, qui constitutus est Rex temporalis & spiritualis super Sion montem sanctum, id est Ecclesiam, qui illam non in Reges & Principes, sed in illos, quos *per Spiritum Sanctum posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo*, transtulit: *Apostolos*, inquam, quibus dixit, *accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, quorum retinueritis, retenta sunt.* Ostendant ergo prætensi Episcopi, unde Episcopalis illa potestas ad illos derivata: ab Apostolis se accepisse nunquam ostendere, vel remonstrare poterunt: sed nec ullus Imperator, nisi Sacrilegè ante adventum Lutheri vel post, nec modernus Imperator potestatem Ecclesiasticam sive ordinis sive jurisdictionis sibi arrogavit, etiamnum arrogat, vel arrogare potest, cum probare nequeat, unde ipse vel aliquis suorum Antecessorum eam acceperit.

6. Neque etiam ullum ostendere poterunt, qui in veteri Ecclesiâ à sæculari potestate Episcopus, aut præsbyter ordinatus, qui non ab Episcopis ordinationem, & potestatem

testatem acceperit: quamvis probæ vitæ testimonium, & consensus à populo frequenter requisitus fuerit: juxta Apostolum *1. ad Timo. 3.* S. Iacobus juxta Chrysost *Hom. 87. in Ioann.* Hierosolymitanæ Ecclesiæ à S. Petro prępositus est. Clemens Romanus ab eodem teste Tertul. *in lib. de præscrip. edit. Paris. pag. 89* S. Polycarpus ab Apostolis in Asiâ teste Ireneo *lib. 3. c. 3.* Gregorius Taumaturgus à Phædino, à Gregorio autem Alexander Carbonarius Episcopi ordinati sunt, ut docet Gregorius Nyssenus *orat. de S. Gregorio Taumaturgo.* Frumentius ab Athanasio, S. Basilius à S. Gregorio Naziazeno, S. Augustinus à Valerio, & innumeri alij Episcopi ab Episcopis ordinati sunt, cum tamen ne unus sit reperibilis, qui à potestate sæculari presbyter, aut Episcopus in Ecclesiâ Catholicâ ordinatus sit.

7. Cum proinde is eam non habeat, quomodo protestantes, seu Lutherani in imperio Principes eam prætendere possunt? qui tamen nihil habent jurisdictionis, nisi cum quâ ab Imperatore, ut Vasalli Imperij investiuntur: teste enim *Reinkingh* Imperator fons est,

est, unde omnis Jurisdictio dimanat. Si proinde nec Imperator & consequenter nec Imperij Principes Jurisdictionem Ecclesiasticam & Episcopalem habeant; unde eam ipsorum Superintendentes & Prædicantes accipiunt, ut Sacramenta efficere & administrare valeant? nemo dat, quod non habet.

8. Deinde si eo ipso, quo quis Rex aut Princeps est, habeat potestatem & quidem primariam Episcopalem ad alios derivandam: ubi quæso fuerunt claves Ecclesiæ, & Potestas conficiendi Administrandique Sacramenta sub tot tyrannis Idololatris Ecclesiam prosequentibus? An & illi fuerunt Episcopi? sola itaque successio ab Apostolis & potestas ab illis ad Nos derivata, vere index est Ecclesiæ Orthodoxæ, quã successionẽ nec *Reinkingh*, nec ullus alius cũ sua fictitia Papissa interpellare, vel destruere poterit.

9. Argumentum à Regibus desumptum falso nititur: ut sileam ineptam ab antiquâ ad novam legem Cæremonialijs & judicialibus in hac abrogatis esse consequentiam, sic invictissimis rationibus probante *Martin. Becan. in tractat. de primat. Regio.* & contra *Guilielm. Tocker. in duello cap. 2. per tot.* Qui-

bus adde fateri antoganistas, quod actum Sacerdoti proprium, ut est adolere incensum, vel similem nunquã præsumpserint, alioqui eodem, quo Ozias modo animadvertendi: Illi enim teste *Eulogio* apud *Theodoret. lib. 4. cap. 15. à Sacerdotibus dictum est: Non est tuum officium Ozia, ut adoleas incensum Domino, sed Sacerdotum*: & de *Saule* ait, *Rupertus lib. 1. in libros Reg. cap. 20. Homo non de tribu Levi sed Benjamin regio fastu nihil sibi non licere arbitratus: Afferte* ait *mihi holocaustum & pacifica: & obtulit holocaustum: hoc nimis grande fuit Regis supercilium, dignè supremo judicio feriendum.*

10. Nec valet argumentum à fine ad media desumptum, quasi illi, cui potestas regiminis Sæcularis, illi Ecclesiastica tanquam medium ad illam concessa sit: finis enim non medium politiæ civilis, est religio: ad hoc enim Regibus potestas à Deo concessa est, ut conservando pacem & tranquillitatem Reipublicæ, unà cum commisso sibi grege ad vitam perveniant sempiternam, qui primarius religionis finis est.

11. Sed & si Imperator sit caput Ecclesiæ, & cu-

& cuſtos utriusque tabulæ : cur ergo ei in
cauſis Eccleſiaſticis, tam proteſtantes, quam
reformati tam diu, tam obſtinatè, tam cervi
cosè reſiſtunt? Cur capiti ſuo inferiora cor
poris membra non parent ? Cur utriusque
tabulæ cuſtodi non obtemperant ? Cur
œcumenico concilio per eum non quidem
indicto, ſed tamen procurato, & impetrato
non acquieſcunt ? Cur Eccleſiarum refor
matori morem non gerunt ? Cur cauſarum
Eccleſiaſticarum deciſiones à ſacris ejus
conſiſtorijs profectas conculcant? Cur Ec
cleſiaſticæ Jurisdictioni incommunicabili
ter ei vigore Majeſtatis divino humano
que, ut aiunt, jure competenti ſe ſubtrahunt
forte conſcientiarum ſuarum velamen ob
tendent? ſed idem penitus Quackeri, Her
vordiæ adhuc conſiſtens Labadie ſimilesque
fanatici obtendunt ; profecto nugas habe
pijſſimæ mem. *Carolus V.* eliſit, dum in Co
mitiis Auguſtanis Anno 1530. per Electo
rem Brandeburgenſem Principibus prote
ſtantibus proponi curavit : *Illorum partem*
fuiſſe VVormatienſi Edicto, ut par erat, obtem
perare : non Fidei articulos tot Sanctorum
rorum

rorum decreto receptos, & approbatos, tot Martyrum sanguine confirmatos, quod capitale est, in dubium & contentionem revocare, suarumque conscientiarum fumum objicere, quasi non omnibus perspicuum sit, quantum suis conscientijs tribuant, quantâq; se libertate à Catholica Ecclesia separaverint, &c.

12. Et paulo post idem ad eosdem: Cæsaream ajebat majestatem plurimum admirari, ipsos audere profiteri, ita se in vanis suis opinionibus fundatos esse, ut errare minimè possint, & quæ hactenus ab eis facta essent, à Dei potius jussu, quam ab eorum judicijs processisse: cum perspicuum omnibus sit suos dogmatistas nihil novi adduxisse, sed quæ orthodoxorum Patrum authoritate ante multos annos damnata, & sepulta fuerant, ab inferis revocasse. Neque in Evangelio, quod ipsi nusquam non jactitant, Cæsarem unquam legisse, licere aliena rapere, raptaq; invitis dominis retinere, & si quando ad ea restituenda urgeantur, ea se salvis conscientijs restituere non posse prætendere. Mirari præterea, quâ confidentiâ doctrinam eorum orthodoxorum, quam Cæsares cæterique ordines servant, falsam profiteri audeant

ant: quasi verò non nefas sit, credere tot Imperatores summâ pietate præditos, tot Electores atque Principes per tam multa sæcula errasse, seque eorum responsione perceptâ satis exploratum habere ipsorum nova dogmata conciliorum decretis damnata, & à Christianâ republicâ explosa esse, veluti cum Evangelicis, & Apostolicis litteris pugnantia.

13. Hæc nomine Cæsareæ Majestatis Brandeburgicus ad protestantes: ex quibus liquidissimè constat ab eo, quem ipsi, utrinque tabulæ custodem & in materiâ Fidei Judicem admittebant, suas novas adinventiones tanquam doctrinæ Evangelicæ repugnantes esse anathematizatas; cujus utiq; tanquã à se delecti Judicis sententiæ stare secundum omnia jura tenentur: quod si ad Sacram Scripturam ejusque judicium appellare cupiant: illane se sola inter illos & non sententiam feret? sed muta est, & ex ea, tanquam quæ Luthero est Liber Hæreticorum, omnes hæreses fabricantur, ad eamque omnes appellant: quis ergo eam explicabit? quis, an illa Reformatorum, an protestantium doctrinæ faveat, palam edicet? utrique

Impe-

Imperatorem, quem alias, utriusque tabulæ cuſtodem aſſerunt (ſi contra eos pronũtiet) Summum Pontificem, omnes Catholicos Epiſcopos, Reformati proteſtantes, & è contra, vel quaſi Sacram Scripturam non intelligentes, vel quaſi partiales, & Summi Pontificis ambitioni nimis faventes rejiciunt: adeoque nil ſupereſt, quam quod utriq; contra omnia jura ſint Judices in propriâ cauſâ, & de ſuâ doctrinâ adinvicẽ contrariante ſententiam dicant inſpirante non illo Spiritu, qui ex Deo, ſed qui in ſe ipſum diviſus eſt, cujus Regnum ſtare non poteſt.

PROPOSITIO III.

Summus Pontifex in Eccleſiaſticis & ſæcularibus Imperatori ſubjectus eſt.

14. VAtiniano odio *Lutherum* flagraſſe in ſummum Pontificem tota illius vita & hiſtoriæ clamant; hinc non eſt veritus illum vocare *Antichriſtum* & Eccleſiam ex alto illi commiſſam *Sodomæ Colluviem, Cathedram peſtilentiæ, Antichriſtianam, diabolicam*: imitatus nimirum exemplum-

plum tot Hæresiarcharum se præcedentium & comitantiũ, Berengarij, Wickleffi, Hus Fratricellorum, Waldensium &c. imo ultimum suum Sanctum vel quasi Spiritum e flaturus, non omisit salutare summum Pon tificem, inquiens:

Pestis eram vivus, moriens tua mors ero Pap

Sed vacua fuit hæc illius in tantum à suis m gni Germaniæ jactati Prophetæ vatici tio: mortua est pestis Germaniæ & Religi nis, & vivit etiamnum Papa verus Vicari Christi & Successor Petri, vivetque dum veniat is, cujus est vicarius judicare sæculu per ignem. Patriarcham suum Lutherum quotquot de illius professione sunt, egregi imitantur, conquisitis undique argumenti ut summum Pontificem potestati sæculi contra omnem rationem subjiciant, in quos Theodorus Reinkingh specialiter hoc allaborat *lib. 1. Class. 2. cap. 6.* ni turque probare *nunquam factam esse dona tionem à Constantino, imo si facta esset, posse summam Pontificum ingratitudinem revocar Christum, cujus Pontifex est Vicarius no*

assum-

assumpsisse sibi dominia, sed dixisse discipulis Reges gentium dominantur eorum, vos autem non sic: & volentibus se facere Regem, fugisse in montem. Sed eadem argumenta à seipso soluta mox ostendetur.

15. Summum Pontificem Episcopum Romanum pro spirituali capite orbis, & dignitate superasse dignitatem Imperialem illique non esse subjectum, omnes Sancti patres priorum sæculorum senserunt, uti paulo post fusius mõstrabitur. Singulariss imũ est ejusdẽ à *S. Bernardo*, quem *Lutherus* summe deprædicat, ei datum præconium. *Age* inquit *l. 2. de consid. cap. 8. ad Eugenium Pontificem, indagemus diligentius quis sis, quam videlicet personam geras pro tempore in Ecclesiâ Dei. Quis es? Sacerdos Magnus, Summus Pontifex. Tu Princeps Episcoporum, Hæres Apostolorum, tu primatu Abel, gubernatu Noë, Patriarchatu Abraham, ordine Melchisedech, dignitate Aaron, Authoritate Moyses, judicatu Samuel, Potestate Petrus, unctione Christus. Tu es, cui claves traditæ, cui oves creditæ sunt. Sunt quidem & alij Cœli Janitores & Gregum Pastores, sed tu tanto glorioſior, quanto & differentius utrumque*

que præ cæteris nomen hæreditasti. Habenti
sibi assignatos Greges, singuli singulos, tibi
versi crediti, uni unus. Nec modo ovium sed
Pastorum tu unus Pastor. Vnde id prob
quæris? ex verbo Domini. Cui enim non
Episcoporum, sed etiam Apostolorum sic
solutè & indiscretè totæ commissæ sunt ovi
me amas Petre, pasce oves meas: Quas?
vel illius populos civitatis, aut regionis,
certi Regni, Oves meas inquit: cui non
num non designasse aliquas, sed assignasse
mnes? nihil excipitur, ubi distinguitur nihil

16. Eadem mens fuit omnium tam Sanctorum Patrum etiam primorum sæculorum, quam Imperatorum.

S. *Ignatius* Martyr Christo & Apostolo coævus *ad Philadelphios* scribens: *Princeps* ait *subditi estote Cæsari, Presbyteri vero atque Diaconi, & omnis Clerus simul, cum omni populo & militibus atque Principibus; sed Cæsares obediant Episcopo &c.*

S. *Cyprianus* unicam hæreseos & schismatum causam eam judicat, quod sacerdoti summoque Pontifici non obeditur: *aliunde* ait *Epist. ad Cornelium papam*

natæ hæreses & orta schismata quam quod Sacerdoti Dei non obtemperetur, nec unus in Ecclesiâ ad tempus Sacerdos, & Judex vice Christi cogitatur, cui si secundùm mysteria fidei obtemperaret fraternitas universa, nemo adversus sacerdotum collegium quidquam moveret.

17. Notum est illud in synodo Sinuessanâ tempore Diocletiani accusante se ob commissam timore suppliciorum idololatriam S. Marcellino summo Pontifice latum decretum: *Prima sedes à nemine judicatur.* Quod renovatum est in *secundâ synodo Romanâ* hisce formalibus: *Nemo judicabit sedem primam, quoniam omnes sedes à prima sede justitiam desiderant temperari: neque ab Augusto, neque à Regibus, neque ab omni Clero, neque à populo Judex judicabitur.* Ad quæ *B. Ennodius* Apologiâ pro Symmacho Papâ: *aliorum forte hominum causas Deus voluerit per homines terminare, sedis illius Præsulem suo sine quæstione reservavit arbitrio. Voluit B. Petri Apostoli successores cœlo tantùm debere innocentiam & subtilissimi discussoris indagini inviolatam exhibere conscientiam.*

18. S. *Athanasius* Epist. ad solitariam vi
tam agentes, de *Constantio* Ecclesiastica li
arrogante. *Quid igitur* ait *hic quod An*
Christi sit omisit? aut quid ille ubi venerit p
committere poterit? aut quomodo ille in
ventu suo non repererit sibi expeditam via
ad dolos ab isto praparatam? siquidem jam
nuo in locum Ecclesiasticæ cognitionis su
palatium constituit, earum causarum tri
nal seque earum litium summum Pontifex
& Authorem facit. Et paulò infra: *Gra*
ait *sunt ista & plus quàm gravia, sedam*
ejusmodi quæ congruunt in eum qui An
christi nomen induerit. Quis enim vide
eum in discernendo Principem se facere Ep
scoporum & præsidere judicijs Ecclesiasti
non merito dicat illum esse eam ipsam abo
nationem desolationis quæ à Daniele pro
cta est.

19. S. *Ambrosius lib. de dignitate sacer*
tij cap. 8. Honor. & sublimitas Episcop
nullis poterit comparationibus adæquari:
Regum fulgori & Principum diademati co
pares longe erit inferius, quàm si plumbi
tallum ad auri fulgorem compares: quip
cu

cum videas Regum colla submitti genibus sacerdotum. Et *Epist. 1. ad Timoth. Cum totus mundus* ait *sit domus Dei, Ecclesia tamen domus Dei dicitur cujus hodie Rector est* NB. non Imperator sed summus Pontifex *Damasus.* Et *Epist. 13.* ad *Valentinianum Imperatorem: Quando* inquit *audisti Clementissimè Imperator in causâ fidei laicos de Episcopis judicasse? ita ergo quâdam adulatione curvamur, ut sacerdotalis juris simus immemores & quod Deus donavit mihi hoc ipse aliis putem esse credendum? si docendus est Episcopus à laico, quid sequetur? Laicus ergo disputet & Episcopus audiat? Episcopus discat à Laico? At certè si vel scripturarum seriem divinarum, vel vetera tempora retractemus, quis est qui abnuat in causis fidei Episcopos solere de Imperatoribus Christianis, non Imperatores de Episcopis judicare.*

20. S. *Gregorius Nazianzenus* ad Imperatorem & nobilitatem *sic* ait: *sermonem suscipitis liberum Lex Christi vos meæ potestati meoq; tribunali subjicit: imperamus enim & ipsi, addo imperio majori & perfectiori: nisi forte oporteat spiritum carni subesse, & cœle-*

stia terrestribus cedere. Suscipe igitur votum hanc liberiorem ex me, & scito te esse ovem gregis mei, magni pastoris agnum.

21. Ex quibus clarissime elucet jurisdictionem SS. Patrum primorum à Christo sæculorum Romanum Pontificem non Imperatoris, sed Imperatorem Romani Pontificis in Ecclesiasticis subesse tribunali. Stultissimè proinde Acatholici pro injustificabilis defectionis suæ defensione causas Ecclesiasticas, sacrarum scripturarum interpretationem, differentias in puncto Religionis ad Cæsaris deferri volunt tribunal. Nam *modo* ait *Basilius Imperator in Synod. 8. act. 5. Laicis licet de Ecclesiasticis causis sermonem movere neque penitus resistere integritati Ecclesiæ & universali Synodo adversari: hoc autem investigare & quærere Patriarcharum Pontificum & sacerdotum est, qui Regiminis officium sunt sortiti qui solvendi & ligandi potestatem habent: qui Ecclesiasticas & cælestes adepti sunt claves, non nostrum qui pascere debemus, qui sanctificari, qui ligari, vel à peccamento solvi egemus.*

22. Cui consentiens *Honorius* Imperator

tor ad fratrem ſuum *Arcadium* ſcribens, *ſi quid* inquit *inter Epiſcopos agitur Epiſcopale oportet eſſe judicium, ad illos enim divinarum rerum interpretatio, ad nos religionis ſpectat obſequium* : Qui etiam de poſt orto inter Sacerdotes diſſidio illius judicium admittere noluit, ſed ad futurum Concilium remiſit. Et ante hos *Conſtantinus Magnus* ad *Synod. Arelat.* inter alia contra Donatiſtas ſic ſcribens : *meum judicium poſtulant, qui ipſe judicium Chriſti expecto. Dico enim, ut ſe veritas habet. Sacerdotum judicium ita debet haberi, ac ſi ipſe Dominus reſidens judicet.* Et ad ſacerdotes in *Nicæna Synodo* diſcordantes: *tom. 21. Concil. in Concil. pariſ. pag. 253. Deus* ait *vos conſtituit Sacerdotes, & poteſtatem dedit de nobis quoque judicandi, & ideò nos à vobis rectè judicamur: vos autem non poteſtis ab hominibus judicari : propter quod Dei ſolius inter vos expectate judicium, & jurgia veſtra quæcumq; ſunt ad divinum illud reſerventur examen.*

23. *Conſtantinum* imitatus *Theodoſius Magnus* Macedonianos perperam de ſpiritus ſancti divinitate ſentientes non ipſe judicans,

dicans, sed synodo Constantinopoli convocatæ judicandos dimittens teste *Concil. Constantinop.* primâ synodicâ ad *Damasum.*

Theodosius Junior prioris ex *Arcadio* nepos suo tempore exortam Nestorianam hæresim Episcopis Ephesi congregatis damnandam relinquens, unde est illud *S. Prosperi Aquitanici lib. 2. de ingratis & pelagiana hæresi*

Pestem subeuntem prima rescidit
Sedes Roma Petri, quæ pastoralis honoris
Facta caput mundo, quidquid nõ possidet armis
Relligione tenet.

24. In eandem sententiam concorditer ierunt Imperatores successores. *Gratianus* cum *Valentiniano* & *Theodosio* imperij consortibus in rescripto ad *Valerianum de Synodo Aquileiensi.*

Martianus in & de Synodo Chalcedonensi loquens *part. 3. cap. 3. Justinianus in Epist. ad Patres Synodi 5. generalis, Constantinus* cognomento *Pogonatus in Epist. ad Leonem II.* quæ est *in actis Synodi sextæ generalis Act. 18.* Idem cum matre sua *Irene* sensit *Constanti-*

nus

nus Sextus cognomento *Porphyrogenitus*, ut videre est in Epistola ejusdem ad Patres *Synodi VI. generalis* & est in actis ejusdem *Act. 1.* Et *Carolus Magnus* (à *Christiano Nisanio* Superintendente Bileveldiensi quasi Romanocatholicus non fuerit, sed Lutheranus jam prídem iniquè traductus) in Epistolâ ad Episcopos Hispaniæ in Actis Synodi Francofordiensis ubi ait *Jussimus SS. Patrum Synodale ex omnibus undiq; nostræ ditionis Ecclesiis congregari Concilium quatenus Sancta omnium unanimitas firmiter discerneret quid credendum sit de adoptione carnis Christi.* Quod idem clarissimis verbis asserit in præfatione sui capitularis Aquisgranensis.

25. Bene proinde dixit *Didacus Savedra Symbolo 24. Etsi verò ad Regum officium spectat tueri in Regnis suis religionem, & verum Dei cultum promovere, tanquam qui vicarij ejus sunt in temporalibus, ut gubernationem ad majorem illius gloriam dirigant: illud tamen sciant oportet, non posse se de cultu & controversiis religionis decidere.*

Hæc enim curà ad caput Ecclesiæ spirituale dire-

directè pertinet, cui soli hanc potestatem cessit Christus: Regibus sola executio, custodia & defensio committitur eorum, quæ ab ipso decreta & ordinata fuerunt: Oziam Regem graviter increpabant Sacerdotes & severe castigabat Deus, quod incensum adoleret. Cultum divinum in toto corde Christiano uniformem esse, illud est quod ejus puritatem conservat: brevi nos deficiet veritas, si unicuique Principum eam rationibus suis ac finibus accommodare liceat. Distinctæ inter se jurisdictiones sunt spiritualis & temporalis. Hæc illius authoritate ornatur, illa verò hujus tuetur potestate. Obedientia heroica est, quæ alterò se submittit vicario illius, qui sceptra largitur & adimit. Glorientur in eo licet Reges, quod statutis Patriæ subjecti non sint, attamen Decretis Apostolicis parere eos oportet. Temerè proinde Summum Pontificem sæcularium Principum judicio subjicere conantur Acatholici, claretque quam ineptè asserant.

PROPOSITIO IV.

Principi Sæculari competit jus instituendi Dies Festivos.

PROPOSITIO V.

Principis Sæcularis est Ministros Ecclesiæ vocare & per se vel alios visitare, & differentias in materiâ fidei decidere.

26. DIxi sæcularis, quin enim hæc competant Catholicis Principibus Imperij, qui simul sunt Episcopi nulli dubium est, nec abnuunt ipsi adversarij.

Primam harum Assertionum habet *Reinkingh lib. 3. Class. 1. cap. 2.* Sed eam non probat, nisi ab exemplo *Moysis*, & *Davidis*, quæ Exempla à veteri testamento deprompta in novo nihil convincunt cum lex vetus, quoad cerimonialia sit abrogata.

Secundam quoad primam partem. *loc. cit. cap. 6. Ad Principis potestatem Ecclesiasticam* ait *pertinet cura vocationis, visitationis, sustentationis, & protectionis ministrorum. Cum hac nihilominus differentiâ, ut ipsa vocatio non ad Principem, sed Ecclesiam spectet: Illi enim datæ sunt claves Regni cœlorum, adeoq; potestas vocandi ministros*, idque probat ex *Matth. 18.* quod tamen caput expres-

se contrarium monstrat: nam illo loco *Christus* Discipulis, non Ecclesiæ istam potestatem dedit; imò distinctionem facit inter ipsos & Ecclesiam: postquam enim dixisset, si Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut Ethnicus & Publicanus, mox ad Discipulos: *Quæcunque* ait *allegaveritis &c.* Vnde licet ante hac populi consensus, vel etiam electio ad vocationem prærequireretur, nunquam tamen ipsa vocatio & ordinatio, quæ est primarius actus Jurisdictionis Ecclesiasticæ ab alio, quam Episcopo, qui solus illius capax est, fieri potuit.

27. Proinde hoc ipso, quo claves Ecclesiæ suis Principibus tollit *Reinkingh*, & tradit Ecclesiæ, eo ipso prætensam, & ante illis attributam potestatem Episcopalem tam Jurisdictionis, quam ordinariam omnino evertit. Sic quoque per hoc, quod jus reformandi religionem non ex mero & nudo Principis arbitrio dependere, sed Ecclesiæ consensu fieri debere asserit, directè *Instrumento Pacis §. 29. Quoad Comites, Barones* cum ibi nulla Ecclesiæ fiat mentio, & illi in quo se principaliter fundant asserto: *Cujus Regio,*

Regio, illius est Religio, contradicit. Principis enim, non subditorum est Regio, ergo & Religio. Nimirum cum missionem legitimam, ad Ecclesiæ Ministros necessariò requisitam ob defectionem à Catholica religione (apud quam tempore Lutheri juxta concessionem ipsiusmet *Reinkingh* hic *num. 22.* potestas mittendi erat) probare nequeant, alios modos se extricandi quærunt: asserentes Ecclesiam in terris militantem, illiusque Dominium, non Monarchium, sed vel Aristocraticum, vel Democraticum esse: cum tamen Ecclesia Catholica in terris militans assimiletur Ecclesiæ in cœlis triumphanti, quæ est perfectissimè Monarchica: *Monarchia* enim, ut ait *Boxhornius instit. polit. lib. 2. cap. 2. Respublica est, in quâ uni alicui & soli suprema potestas & præcipua Imperij cura demandata est:* illa autem in Ecclesiâ triumphante Deo Opt. Max. in militante Summo Pontifici, tanquam Christi in terris vicario in verbis, *Pasce oves meas* demandata est: ab eoque omnis potestas Ecclesiastica, sive illa jurisdictionis, sive ordinaria sit ad Episcopos; ab his ad Sacerdotes, Pastores &c. derivatur. 28. Sed

28. Sed ecce potestatem clavium, quam loco jam citato Ecclesiæ attribuerat infra *lib. 3 cap. 10. class. 1.* iterum Ecclesiæ aufert & principibus largitur: *In his itaq;* inquiens, *quæ ordinis sunt, ut est prædicatio publica verbi divini, Administratio Sacramentorum potestas ligandi & absolvendi, quæ clavium dicitur, & ipsum ministerium respiciunt, Principes & status Augustanæ confessionis sæculares se ipsos intromittunt; sed curam & potestatem externam circa hæc usurpant, ut per Superintendentes & ministros Ecclesiæ, secundum ordinem divinitus institutum ad normam Evangelicam decenter perficiantur. Ea verò quæ sunt Jurisdictionis Ecclesiasticæ & legis Diœcesanæ per consistoriales expediunt.* Vbi videt omnia tam quæ sunt ordinis, quam Jurisdictionis Principi attribui, cum alij nomine ipsius faciant: quod autem quis facit per alium per se ipsum facere censeatur *Reg. Juris in. 6.*

29. Alteram partem secundæ propositionis docet, *lib. 3. class. 1. cap. 1.* ubi inter alia hæc habet: *unde apparet novum esse & recenti traditione calentem Pontificiorum doctri-*

nam

nam, quæ solis Clericis relictâ scripturarum lectione, nec in vulgari sermone vertendam, nec Laicis legendam pleno ore vociferantur, ut eo, melius fascinentur & diutius variæ traditionis præstigiis eludantur Laici. Cujus causam dat numero 28. *præstat enim* inquit *ex limpidissimis sacrarum litterarum fontibus bibere hianti ore, quam ex cœnosis traditionum lacunis. Cum enim puram licet haurire aquam, lutum quis mallet? Et sane miseri essemus immortalitatis candidati, si fides nostra in tam lubricâ & ludicrâ traditionum humanarum cymbâ, quæ cuivis, vel levissimæ auræ ludibrio objiciatur, ad portum salutis nunquam passa naufragium deberet appellere*: Sed gravissimæ sunt hæ Ecclesiæ Catholicæ impactæ calumniæ & antiqua Hæreticorum resuscitata cantilena: illi præstigiare prorsus conantur, qui suis sequacibus scripturam sacram clarissimam esse clamant, & tamen quotidie eam in scholis explicant: qui ipsam scripturam esse talem sine traditione probare nequeunt, qui se solâ scripturâ contra Hæreticos nequaquam defendere possunt; Et quæso unde novit *Reinkingh* suum Patriar-

cham *Lutherum* rectè & legitimè vocatum, & in Ecclesiâ Catholicâ fuisse potestatem legitimæ vocationis nisi ex traditione?

30. Ad S. Scripturam appellare & traditiones rejicere omnibus hæreticis solemne semper fuit, unde etiam ab ipsomet *Luthero* scriptura liber hæreticorum est appellatus. *Lutherus, Calvinus, Menno, Arrius, Jovinianus* omnesque hæretici scripturam sacram per se claram & manifestam clamitant, interpretatione non egere, & nihilominus unus ab alio in substantialibus fidei dissentit articulis, unusque alteri, quod scripturam non intelligat, maleque interpretetur, exprobrat. Vnde bene *Augustinus lib. 2. de Nuptiis & concupiscentiâ cap. 31. Memento* ait *neminem hæreticorum esse, qui se non secundum scripturas prædicare ea, quibus blasphemat, mentiatur. Hinc enim Marcellus Dei verbum cum legit, nescit: hinc Photinus hominem JESUM Christum, cum loquitur, ignorat: Hinc & Sabellius, dum quod Ego & Pater unum sumus non intelligit, sine Deo patre est: hinc Montanus per insanas fœminas Paracletum alium defendit: hinc & Manicheus*

nicheus & Marcion legem odit, quia littera occidit, & mundi Princeps Diabolus est. Omnes scripturas sine sensu loquuntur, fidem sine fide prætendunt: scripturæ non in legendo sunt, sed in intelligendo.

31. Appositè proinde ad refutationem eorum, qui traditiones rejiciunt ait *S. Basilius lib. de script. S. cap. 27. Dogmata, quæ in Ecclesiâ prædicantur, quædam habemus è Doctrina scripto prodita. quædam rursus ex Apostolorum traditione in mysterio, id est in occulto tradita recepimus: quarum utraque parem vim habent ad pietatem, nec his quisquam contradicit, quisquis sane vel tenuiter expertus est, quæ sint jura Ecclesiastica. Nam si consuetudines scripto non proditas tanquam haud multum habentes momenti conemur rejicere, imprudentes gravissimum Evangelio detrimentum inferemus, imò potius ipsam fidei prædicationem ad nudum nomen contrahemus.*

PROPOSITIO VI.

Imperatoris non Summi Pontificis est, convocare Concilia.

32. Hanc

32. HAnc assertionem ponit *Reinkingius lib. 3. class. 1. c. 4. Ad curam* inquit *Principis Ecclesiasticam pertinet curare, ne errores pernitiosi & schismata in Ecclesiam inducantur, inducta foveantur ac dissensionibus, & inanibus contentionibus purus Dei cultus impediatur & candida sponsæ stola deformetur. Ortis autem erroribus, dissensionibus, & schismatibus, nihil ad conciliandas dissensiones, & extirpandos errores salubrius est, quam Conciliorum convocatio.* Et paulò post *authoritas convocandi concilia, non ad Pontifices, sed ad supremi Principis curam Ecclesiasticam pertinet.* Idque probat exemplis novi Testamenti *Constantini Magni, Theodosij Senioris, Theodosij Junioris, & Marciani Imperatoris*: quasi ij quatuor Concilia Generalia *Nicenum, Constantinopolitanum, Ephesinum & Chalcedonense*, quò sequuntur ordine convocarint directè contra sui similem supra *Art. 5. prop. 13.* allegatum *Justum Sprengerum*, additque *Carolum Magnum* in concilio damnasse Iconomachiam. Et in libello supplici in Comitijs Francofurtensibus An. 1609 exhibito inter cætera Lutherani asserunt

Carolum

Carolum Magnum nullâ habitâ Pontificis Romani ratione in ſuis provinciis, quæ vel armis ſubegerat, vel hæreditate adierat, ſubinde Concilia Ratisbonæ, Rhemis, Turone, Cabilone, Pariſijs, Arelate, Compoſtellæ, Regiâ authoritate convocaſſe &c. Imò & hoc motivo anſam ſumpſerunt Concilium Tridentinum impugnandi, tanquam non fuerit œcumenicum, eo quod ipſum non authoritate Cæſaris, ut olim, ſed Papæ Convocatum, nec liberum, nec bono reipublicæ Chriſtianæ, ſed tantum ad Majeſtatem Romanæ Curiæ ſtabiliendam, congregatum fuerit.

33. In hiſce igitur tria aſſerunt: *Primo* Concilia ante hac non authoritate Pontificis, ſed Imperatorum convocata. *Secundo* Concilium Tridentinum ex defectu hujus non fuiſſe œcumenicum idque *Tertio* quia non liberum, nec bono reipublicæ inſtitutũ.

Quod ad primum attinet falſiſſimè tam *Carolo Magno*, quam aliis Imperatoribus imponitur per illos nullâ habitâ ratione Summi Pontificis convocata concilia: præter enim ſupra citatos Imperatores contrarium oſtendunt,

34. I. *Va-*

34. I. *Valentinianus III.* ad Collegam imperij Patrem suum in Epist. quæ est in Act. Synodi Chalcedon. scribens: *fidem à Majoribus nostris traditam, debemus Nos cum omni competenti devotione defendere, & dignitatem propriæ venerationis B. Apostolo Petro intemeratam in nostris temporibus conservare: quatenus Beatissimus Romanæ Civitatis Episcopus, cui Principatum Sacerdotij, super omnes antiquitas contulit, locum habeat, ad faciendem de fide ac Sacerdotibus judicare.*

35. *Valentiniano* succedat *Marcion Augustus* ad Papam *Leonem Magnum* scribens: *Reverendissimos Viros* ait, *quos ad nostram pietatem Sanctitas sua direxit, libenter, & sicut decebat animo grato suscepimus; superest, ut si placuerit tuæ Celsitudini in has partes advenire & Synodum celebrare, hoc facere religionis affectu dignetur: nostris utiq; desideriis vestra sanctitas satisfaciet, & sacræ religioni, quæ utilia, decernet. Si verò hoc oneri sumeres, ut tu ad has partes advenias, hoc ipsum nobis Sanctitas proprijs literis manifestet; quatenus in omnem orientem, & in ipsam Thraciam, Illyricum Sacræ nostræ literæ dirigantur.*

ad quendam definitum locum, ubi vobis placuerit, omnes Sanctissimi Episcopi convenire, & quæ Christianorum religioni, atque Catholicæ fidei prosunt, sicut sanctitas tua secundum Ecclesiasticas regulas definierit, suâ dispositione declarent.

36. Eodem modo *Justinianus in Epist. ad Joannem* Pontificem quæ habetur in *Tomo 3. Concil. general. semper nobis fuit magnum studium unitatem vestræ Apostolicæ sedis & statum Sanctarum Dei Ecclesiarum custodire: quæ hactenus obtinet, & incommotè permanet nullâ intercedente contrarietate: Ideoq; omnes Sacerdotes universi Orientalis Tractus & subjicere & unire sedi vestræ Sanctitatis properavimus. In præsenti ergo, quæ commota sunt, quamvis manifesta, & indubitata sunt, & secundum Apostolicæ vestræ sedis Doctrinam, ab omnibus semper Sacerdotibus firmè custodita & prædicata necessarium duximus, ut ad notitiam vestræ Sanctitatis perveniat, nec enim patimur quidquam, quod ad Ecclesiarum statum pertinet, quamvis manifestum & indubitatum sit, quod moveatur, ut non etiam vestræ innotescat Sanctitati, quæ caput est omnium Ecclesiarum*

37. Teſtatur *Marcellus I.* in Epiſt. ad Orientales *Apoſtolos inſpirante Domino Sanxiſſe: ut nulla Synodus fieret præter Sedis Apoſtolicæ authoritatem:* ſed & *Dioſcorus Patriarcha Alexandrinus*, quia auſus fuerat facere Synodum ſine ſedis Apoſtolicæ authoritate, in ſynodo Chalcedonenſi repulſus fuit, ne inter alios Epiſcopos conſideret. In concilio quoque Francofordienſi ſub *Carolo Magno Can. 1.* fatentur Patres concilij ſe convenisſe Apoſtolicâ authoritate & piiſſimi Regis Caroli Juſſione. Claret proinde unicum quod ſub Carolo Magno celebratum est generale Concilium authoritate Apoſtolicâ eſſe ſervatum: quod verò provincialia & particularia Concilia, hinc inde celebrari curarit nihil præjudicat authoritati Pontificiæ, cum talia ſine illius conſenſu & approbatione nullum vigorem habeant.

38. Ex quibus apparet *Reinkingij*, & aliorum, quos citat, fundamenti ad impugnationem Concilij Tridentini quaſi non fuerit œcumenicum allati falſitas: & piiſſimæ memoriæ *Carolum V.* quem tanti fecerunt omnes: ut Germani eum *Carolum Magnum* Gal-

Galli *Herculem*; Itali *Davidem*; Siculi *Scipionem Affricanum*: Hiſpani *Alexandrum Magnum*: Turcæ *Julium Cæſarem*: & Africani *Hannibalem* vocarent: Inhæſiſſe veſtigiis Anteceſſorum ſuorum, cum de negotio fidei judicare noluit, ſed id dubio procul ad Summum Pontificem & ſedem Apoſtolicam pertinere aſſeveravit, in edicto Wormatienſi 1521. hiſce formalibus: *Ad honorem Omnipotentis Dei, Romaniq; Pontificis, & Sanctæ Sedis Apoſtolicæ debitam Reverentiam, pro Imperialis dignitatis officio ac debito, nec non Zelo & ſtudio, quo Majorum noſtrorum more, & ingenitâ nobis vi, ad defenſionem Catholicæ fidei Sanctæq; Romanæ & univerſalis Eccleſiæ honorem, tutelam & protectionem, omnes noſtras vires, & facultates, Imperium, Regna, Dominia, Amicos, vitam deniq; & animam ipſam noſtram, exponere ſumus parati: ex imperiali & Regiâ authoritate, nec non conſilio & aſſenſu Electorum, & omnium Sacri Romani Imperij Principum, ordinum & ſtatuum in hac celeberrimâ & frequentiſſimâ Imperiali Dietâ Wormaciæ congregatorum ad perpetuam rei memoriam, exequen-*

exequendo Sanctissimi Domini nostri Pa
veri in hâc parte Judicis sententiam, Decr
tum, & condemnationem in literis Apostoli
ad nos directis contentam, Martinum Luth
rum, ut membrum ab Ecclesiâ Dei abalienu
tum, ut obstinatum, Schismaticum & Noto
um Hæreticum à Nobis haberi declaramu
& ut talem à vobis omnibus & singulis habe
dum decernimus, & edicimus.

39. Omitto hic, quod illa etiam conci
lia, quæ Lutherani tanquam œcumenicam
biscum admittunt sic definiverint, & inpr
xi servaverint: inter Canones enim prim
Concilij Nicœni hic unus *fuit: non debe
præter sententiam Summi Pontificis Roma
Cõcilia celebrari.* Nullum q; Oecumenicu
Concilium hucusque sit servatum, cu
confirmatio à Romano Pontifice petit
data non sit, magisque credendum Con
lio Tridentino se legitimum & spiritu S
cto, congregatum in omnibus sessioni
asserente, quam contrarium asserentibus
eodem condemnatis Hæreticis.

40. Ad Tertium assertum, quod attin
ejus contrarium evincit ipsum *Concilium*
Trident

Tridentinum sessionibus 13. 15. & 18. & refert *Possevinus Tom. 1. Bibliothecæ selectæ lib. 7. cap. 18. Coacta est œcumenica Synodus Tridenti in liberâ civitate interfuêre Principum pene omnium Christianorum Legati, fides publica data, Judices ijsdem & Assessores fuêre, qui ab Apostolorum sæculo semper fuerunt, & quos ipsi Hæretici Augustæ legitimos esse confessi fuerant. Si quis Tridentum venit ex protestantibus, impunè abijt, licet perstiterit in suâ pertinaciâ. Ex omnibus interim partibus, intrepidè concurrerunt Episcopi, per media maria, & Regna, quæ non minus bellis, quam illa fluctibus & pyratis excurrentibus fervebant. Soli Apostatæ demorantes cum suis monialibus non venere. Sed interim moverunt bella, Civitates ademerunt Imperio, cœnobia erasere, fœtus multiplices Hæresum pepererunt, viam ad Atheismum spatiosam & latam complanarunt.*

41. Ruunt proinde Argumenta ex adverso per *Reinkingh* proposita tantò certiùs, quantò supra clariùs remonstratum, Jurisdictionem Episcopalem & Ecclesiasticam de Jure divino Principibus non competere

sed

sed illis, quibus à Christo Domino tradi
sunt, claves Regni Cœlorum, quique
Successores Christi & Apostolorum, ta
quam primorum Episcoporum.

PROPOSITIO VII.

Hæretici extremo supplicio nequaqu puniendi.

THeodorus Reinkingh. lib. 3. classi. cap. postquam essentialia hæreseos, qu
scilicet sit error pertinax Catholicæ fi
contrarius in illo, qui fidem Christi pro
tetur per partes explicasset, tandem *num.*
seditiosus verò ait *& Blasphemus Hæretic*
aliquid moliatur & publicæ blasphemia
majestatem evomat, puniri pro delicti gra
tate potest: hæc enim res mali exempli est,
non toleranda l. Exemplo Cod. de prol. Et
fidem nemo cogi debet, externa tamen disci
na conservanda est, ne liceat petulantibus
bare ordinem Ecclesiæ, & disciplinam Ch
stianam &c. Tales ait *Hæretici sunt Anab*
ptistæ, in quos de novissimis Imperij consti
tionibus gladio ultore animadvertitur.

42. Cor

42. *Christianus Liebenthal* in suo *Collegio Politico Exercit. 13.* quæstionem hanc proponit, & mox *affirmativam* ait *quæstionis partem tenent, qui ubera Antichristi sugunt, Pontificij sanguisugæ &c.* Cui meritò replicetur: negativam partem tenent, illorum Fautores & Patroni si non imitatores quos.

Cyprianus Martyr vocat *Antichristos & linguas Diaboli venenatas.*

Synesius: Sathanæ Apostolos.

Basilius Magnus: Satanæ progeniem.

Ignatius Martyr: Diaboli propaginem.

Gregorius Nissenus: malos cauponatores.

Augustinus: Adjutores, & filios Diaboli.

Lactantius: Dæmoniacis fraudibus irretitos.

Nazianzenus: Chorum & propugnaculum Diaboli.

Bernardus: Prædones habitu oues: astu vulpes, crudelitate lupos.

Athanasius: Diaboli, ejusq; Dæmonum amicos.

Tertullianus Idololatras cum magis circulatoribus & astrologis negotium habentes.

Hæreticos inquam ipso suo patrocinio

quanto charitatis vinculo illis connexi sunt, ostendentes & se suspectos reddentes.

43. Sed Hæreticos juste extremo supplicio & capitali sententiâ affici, constans Ecclesiæ & Sanctorum Patrum opinio fuit: unde *Roffensis* contra *Articulum 33. Lutheri, nequaquam* ait *Neoterica est hæresis ista, quippe, quæ multos jam annos vexavit Ecclesiam:* & paulò post: *quis* ait *tam imprudens est, ut lupos cum ovibus committat? sed inquies, aliud est arcere, aliud interimere; Arceri licet, nam hoc permisit Christus: at interimere non licet, Ego quidem interimendos opinor, ubi aliter non potes salvare Gregem. Quis enim rapacem lupum, ubi Gregi metuit suo, non prius occiderit, quam sinat oves abeo dilaniari? quis est, qui nesciat, quod Pastori charior esse debeat suarum ovium salus, quam luporum vita? Quamobrem si liceat feras non arcere modo, sed etiam interimere ne pecudibus noceant, multo magis id licebit de Hæreticis statuere, ne tantam animabus sanguine Christi redemptis inferant pernitiem. Nam quâ pro cor aliâ ratione Christiano Gregi contra istos lupos succurrere poteris? Num censuris Eccle-*

siasti-

fiasticis? sed has ipsi contemnunt, An amissionis rerum suarum metu? sed isti nec Deum nec hominem metuunt. An exilio? sed per litteras poterunt hæreses suas disseminare. An carceribus? at custodes crebro per ipsos corrupti sunt. Breviter, quocunq; loco vivere permittantur, nunquam ab ipsorum dentibus tuta fuerit Christiani Gregis salus.

44. Cujus verbis præluſit *S. Hieronymus lib. 3 in cap. 5. ad Galatas. Scintilla* ait *res parva est, & pene, dum cernitur, non videtur; sed si fomitem comprehenderit & nutrimenta sui, quamvis parvus ignis mœnia, urbes, latissimos saltus, regionesq; consumit. Fermentum res modica videtur, & nihil, sed cum farinâ conspersum totam massam suo vigore corruperit, in illius vim transit omne, quod mixtum est; Ita Doctrina perversa ab uno incipiens vix duos aut tres in exordio reperit, Auditores, sed paulatim, ut cancer serpit in corpore, & juxta vulgare proverbium, unius pecudis scabies totum commaculat Gregem. Igitur & scintilla statim ut apparuerit extinguenda est, & fermentum à massæ vicinia semovendum; secandæ putridæ carnes, & scabiosum animal à cau-*

lis ovium repellendum, ne tota domus, mass[a], *corpus, pecora, ardeat, corrumpatur, putresc*[at], *intereant*: Et *Augustinus Epist. 89. Timen-dum est, ne plures putrescant, dum putribu*[s] *parcitur. Quænam est ista misericordia u*[t] *parcere & innumeros, imò omnes in discri-men adducere*, non misericordia sed crudeli-tas est.

Merito proinde à *Leone Decimo* & *Co-cilio Constantiensi, sess. 25.* condemnatæ sunt ambæ sequentes *Joannes Huss* & *Lutheri* pro-positiones.

PROPOSITIO VIII.

Doctores ponentes, quod aliquis per Cen-suram Ecclesiasticam emendandus & corrigi noluerit, sæculari judicio [e]*tradendus: pro certo in hoc sequuntur Pontifices, scribas, & Pharisæos, qui Christum sæculari judicio tradiderunt & tales sunt Homicidæ graviores ſi-lato.*

Propo-

PROPOSITIO IX.

Hæreticos comburi est contra voluntatem spiritus.

45. PRimo, quia Idololatris & maleficis justæ pœnam mortis infligi, ipsi Adversarij fatentur, *Maleficos enim* ait Deus *Exodi 22. non patieris vivere:* unde *Philo Judeus lib. de specialibus legibus, lex* ait: *vult veneficos & venefica ne unum quidem diem vivere, sed mori, quamprimum deprehensi fuerint, nec ullo pacto differri supplicium:* certum est autem Hæreticos longe magis nocivos, quam maleficos, cum peius sit animas, quam corpora intoxicare. *Augustin. contra Epist. Parm. lib. 1. cap. 10. Quid istis* ait *videtur,* (intelligit Hæreticos) *ut crimen Idololatriæ putent juste ab Imperatoribus vindicari: aut si nec hoc volunt, cur in veneficos vigorem legum exerceri juste fatentur: in Hæreticos autem, atq; Schismaticos impiâ dissensione nolunt fateri, cum in ijsdem iniquitatis fructibus authoritate Apostolicâ numerentur.*

Secundo Fures & Latrones juste interimi, &

extremo obnoxios ſupplicio omnibus noſ
eſt, ſed Hæretici fures ſunt & latrones qui te
ſte Chriſto *non intrant per oſtium, ſed aliun
aſcendunt: qui veniũt, ut furentur* præſtanti
ſimum animæ theſaurum & mactent anima

46. Tertio teſte *Reinkingh* conformit
Imperij conſtitutionibus Blaſphemi extre
mo ſupplicio rei ſunt juxta illud *Lemtici
qui blaſphemaverit nomen Domini morte mo
riatur:* Eo quod propter talia delicta Deu
provocatur ad Iracundiam, & Respublic
læditur. At numquid non læditur ab Hære
ticis Respublica, & Deus ad iracundiam
concitatur? An non Blaſphemi Hæretici
An non Blaſphemus Arrius, Filio Dei divi
nitatem tollens? An non Blaſphemus Mani
cheus præter Deum aliud rerum creatarum
principium conſtituens? An non Blaſphe
mus Calvinus omnipotentiam Dei impu
gnans? An non Blaſphemi &c. aliarum an
tiquarum Hæreſum ſuſcitatores & nova
rum inventores?

47. His pro concluſione accedat *Doctor
Angelicus 22 q. 11. a. 3. in corp. Circa Hæreti
ait: Duo ſunt conſideranda, unum ex par
ipſorum*

ipsorum, aliud vero ex parte Ecclesiæ. Ex parte ipsorum est peccatum, per quod meruerunt non solum ab Ecclesiâ, per excommunicationem separari: sed etiam per mortem à mundo excludi: multo enim gravius est corrumpere fidem, per quam est animæ vita, quam falsificare pecuniam, per quam temporali vitæ subvenitur, unde si falsarij pecuniæ, alijq; malefactores statim per sæculares Principes juste morti traduntur, multo magis Hæretici statim ex quo convincuntur de Hæresi possunt non solum excommunicari, sed & juste occidi.

Quibus concordant tot sacræ scripturæ *Deut. 17. Qui superbierit nolens obedire Sacerdotis Imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto judicis morietur homo ille,* non aliunde autem ortas Hæreses, quam quod Sacerdoti Dei non obeditur: ostensum supra est, ex *Cypriano. Dan. 3.* Jussit *Nabuchodonosor* omnes occidi, qui blasphemarent Deum *Sidrach, Misach, & Abdenago, & Artaxerxes: Esdræ 7.* omnes illos, qui non feciſſent legem Dei, quem colebat *Esdras.*

Moyses mansuetissimus hominum, qui sunt in terra, adjunctis sibi Levitis, omnes

vituli aurei adoratores interemit. *Exod. 32.* *Elias* ipse quadringentos Prophetas *Baal* propria manu interfecit. *3. Reg. 18. Matathias* Sacerdos Judeum idolis sacrificantem super ipsam aram trucidavit *Machab. 2. Samuel* Idololatram Regem *Agag* in frusta concidit *1. Regum 15.*

Sed distinguunt Adversarij inter Hæreticos seditiosos, & pacificos, ut priores compellantur, & in Exilium mittantur, non tamen mortis pœnâ afficiantur, posteriores si aliter fieri non possit, permittantur: Sed frustra hæc distinctio adhibetur: Hæreticos enim ex naturâ suâ ad seditionem inclinari testantur acta *Arrij*, & illi adhærentium, qui totum quasi orbem flammâ suâ devastarunt, non spirituali solum paci reipublicæ, sed & temporali bono summe nocivi: & ingemiscens orbis terrarum se Arrianum esse, nesciebat inquit *S. Hieronymus* & *Vincentius Lyrinensis cap. 6.* *Tunc* ait *temeratæ conjuges, depopulatæ viduæ, profanatæ virgines, Monasteria demolita, acti in exilium Sacerdotes, completa sanctis ergastula, carceres, metalla, quæ pars maxima interdictis urbibus protrusi, e-*

quæ-

que extorres inter deserta speluncas, feras, saxa, nuditate, fame, siti, affecti, contriti, & labefactati sunt. Idem de Hæreticis *Donatistis* refert *S. Augustinus lib. 3. contra Julian. cap. 1. Illorum* inquit *furor occupavit Africam totam, nec prædicari à Catholicis veritatem contra suum errorem patiebantur: violentis aggressionibus, Latrocinationibus, rapinis, ignibus, cœdibus, multa vastantes, cuncta terrentes.* Quid Calviniſmus in Galliis & Belgio, Lutheraniſmus in Romano Imperio motuum & turbationum cauſaverint, plus quam notum eſt.

50. De Luthero in Edicto Imperiali teſtatur *Carolus V. Eum contemnere authoritatem Sanctorum Patrum qui ab Ecclesiâ recepti sunt, tollereq; funditus obedientiam ac politiam Ecclesiasticam. Denique universaliter nihil aliud spirare ejus scripta quod non seditionum, distractionum, bellorum, cædium, rapinarum, exustionum & occasus fidei Christianæ materiam causamq; præbeat.* Et paulò poſt: *Nec erubescit* ait *palam petulanterq; SS. Concilia perstringere proq; animi sui morbo taxare, deformare, lædere. Sigismundum*

Imp. Sacriq; Rom. Imperij Principes atq; senatum publicum Antichristos, Diaboli Apostolos, parricidas, Pharisæos nominat. Ne ve cætera studio brevitatis, innumera flagitia Lutheri ordine prosequamur: constat hunc unum cum non hominem sed dæmonem potius figura & specie humana cucullo q; monastico indutum complurium hæreticorum damnatas haereses quæ tamdiu obsoleverant in unam quasi Lernæam paludem coëgisse.

51. Ecce illius quem Lutherani utriusq; tabulæ custodem, & caput Ecclesiæ volunt de Pseudo Patriarcha Luthero testimonium non absimile Lutheranis attribuit Erasmus Rotherodamus in Epist. ad Vulturium Neocomum pridiè non. Novembris 1519 *Jactatis vos* ait *Evangelicam veritatem jam plus mille annis sepultam revocare nobis in lucem. Si verum dicitis, difficilius negotium agitis quam Apostoli. At in his quæ vos convellitis, quid obsecro vel absurdum, vel ridiculum? Aut quis unquam Prophetes prædixit hoc futurum, ut totus orbis ignoraret Christum ab Apostolis prædicatum, ac pro Deo coleret idolatum quotquot in Apostolorum vicem succes-*

runt

rant excœcati, nihil viderent in SS. literis, deinde post 1300. annos à nescio quibus novis Evangelistis ad veritatis cognitionem revocarentur. Vos strenuè clamatis in luxum Sacerdotum, in ambitionem Episcoporum, in tyrannidem Rom. Pontificis, in garrulitatem Sophistarum, in preces, jejunia & Missas. Nec ista purgari vultis sed tolli; Zizaniam evellitis cum tritico, aut, ut melius dicam, triticum evellitis pro zizaniis. At quid interim nobis profertis melius & Evangelio dignius, ut ab assuetis recedamus? Circumspice populum istum Evangelicum, & observa, num minùs illic indulgeatur luxui, libidini & pecuniæ, quàm faciunt ij quos detestamini. Profer mihi quem istud Evangelium ex commessatore sobrium, ex feroci mansuetum, ex rapaci liberalem, ex maledico benedicum, ex impudico reddiderit verecundum. Ego tibi multos ostendam, qui facti sunt seipsis deteriores. Nunquam illorum ingressus sum Ecclesias, sed aliquando vidi redeuntes à concione veluti malo spiritu afflatos, vultibus omnium iracundiam ac ferociam miram præ se ferentibus. Sic opinor discedunt milites à concione ducis ad prælium.

Quis unquam vidit in illorum concionibus quenquam pro peccatis suis fundentem lacrymas, tũdentem pectus, aut ingemiscentem? Arrogata est confessio, sed interim nec Deo quidem confitentur plurimi. Abjectus est cum jejuniis ciborum delectus, sed interim gnavius indulgent crapulæ, & ita quidem effugerunt Judaismum, ut cœperint esse Epicurei. Si libertatem Evangelicam amplectimur, sic excutimus jugum Legis, ut Charitas plus ultro præstet quàm Lex imperabat. Excussum est jugum humanarum constitutionum, sed ubi sunt qui submiserunt cervicem suavi jugo Domini? Et interim constitutiones humanæ constitutionibus humanis, imò parum humanis mutantur. Titulus modò mutatus est: vocantur enim verbum Dei: cæterum res adeò nihil est mutata, ut complures boni viri præferant, ultroneum exilium isti magnificè decantatæ libertati. Magis vereor, ne plerique pro gravi jugo hominum portent gravius jugum Diaboli. Excussa est obedientia Episcoporum, sed tantum profanis quidem Magistratibus pareatur. Olim Christiani sub Ethnicis principibus quietè vivebant. At iste populus tam Evangelicus,

etiam Turcarum Principi dicitur detestabilis, quem ait Seditioni natum. Quos subinde tumultus excitat? quoties, quam levibus de causis procurrit ad arma: ne suis quidem Ecclesiastis satis obtemperans, nisi dicant blanda auribus, prosligandi etiam si liberiùs in vitam illorum invehantur, aut ab opinione dissentiant. Nunc circumspice mihi soliditatem istam Evangelicam, quot habet adulteros, quot temulentos, quot aleatores, quot aliis vitiis deditos? Et hos quidem habent etiam in deliciis, tantùm abest ut vitent. Apostoli quò magis vacarent Evangelio, aut abstinebant ab uxoribus, aut legitimè ductas vertebant in sorores. Nunc floret Evangelium, quo Sacerdotes & Monachi contra leges certè humanas, contra professionem suam ducunt uxores. Condonetur hoc. Circumspice, num castiora sint eorum conjugia, quàm aliorum quos ducunt pro Ethnicis. Stultum est mala mutare malis, dementis etiam mala mutare deterioribus. Atque interim dum neminem amant præter sese, dum nec Deo, nec Episcopis, nec Principibus ac Magistratibus obtemperant, dum Mammonæ, gulæ, ventri & inguini serviunt, postulant haberi

pro Evangelicis, & Lutherum magistrum præferunt. At qua fronte Lutherum magistrum agnoscunt, qui, quod præcipuè docet & inculcat Lutherus, in primis negligunt? Fidem ubiq; prædicat Lutherus. Ea ubi est, otiosa non potest, operatur per Charitatem, nec operatur nisi bonum. Spiritum ubiq; prædicat Lutherus, at qui sunt fructus Spiritus? Charitas gaudium pax, patientia, benignitas, bonitas longanimitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas &c.

52. Quod si dicas plures esse Hæreticos qui pacifice vivunt, ad suam sectam nemnem cogentes: illis & omnibus Hæreticis merito respondetur, quod *S. Augustinus Petiliano* inaniter glorianti absit à nostrâ conscientiâ, ut ad nostram fidem aliquem compellamus, respondit: *facitis ubi potestis, quod autem non facitis, non potestis, sive legum, sive invidiæ timore, sive resistentium multitudine.* Nimirum affectus nocendi, aliosque in eam societatem trahendi, in hæreticis quibuscunque semper adest, licet ob defectum potestatis effectus desit. *Catuli luporum venatione nocere non possunt, jam tamen*

guine gaudent & morsibus delectantur Chrys. in cap. 22. Matth. Quod illis merito applicatur, de quibus Christus ait. *Veniunt ad vos in vestimentis ovium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces: Nulla enim bestia, si neminem vulneret,* ait *Augustinus: propterea mansueta dicitur, quia dentes & ungues non habet.*

53. Nec repugnat mansuetudini Ecclesiæ, Hæreticorum etiam usque ad extremam peremptionem persecutio, cum ipsa solùm super crimine hæreseos tanquam causâ indubitate ad Judicem Ecclesiasticum spectãte instituat inquisitionem, quâ repertâ reum brachio sæculari relaxat, nullatenus petens illum capitali sententiâ puniri, aut flammis tradi, sed id fieri, quod justitia dictat; licet non ideo libertas sit magistratui sæculari, aut potestas ita relaxatos à pœnâ capitali absolvendi, sed tenetur Pœnam mortis obstinatis juxta jam dicta debitam, ut sui officij & obligationis est mox prompte & indilate exequi.

54. Posset hic pro coronide quæri, quænam sit certissima nota Hæreticorum *D. Reinkingh lib. 3. Class. 1. cap. 6. n. 21.* concordans

dans in hoc cum Catholicis, censet esse defectum vocationis: *qui* ait *sine vocatione intrant tanquam fures & Latrones, ac gregem Dei dilaniant, venientes in vestimentis ovium* &c. Sed frustra Patriarcham suum *Lutherum*, quem sine vocatione intrasse bene allucuerat *Antonius Faber*, excusare conatur legitimè vocatum prætendens; ac per hoc longe magis superstitionis suæ morbum, & injustam à Romana, & verâ Catholicâ religione defectionem prodens: legitimè nihilominus vocatum *Lutherum* in ordine ad prædicandum verbum Dei & reformandam Ecclesiam, probat quoad primam partem.

55. *Quia ad docendum verbum Dei illi hominibus apud quos isto tempore potestas mittendi erat* (scilicet Romanocatholicis) *missus est: Primo: cum ad Ecclesiasticum munus ordinatus. Secundo: cum professio Theologica ipsi demandata. Tertio: cum Doctorali laurea insignitus. Vnde licet huic vocationi multa defuerint* ait jam dictus: *Reinkingh, quoad substantiam tamen valida fuit: non potuit enim purè Evangelium prædicare* (*quod ipsi commissum erat*) *nisi Dogmata Papalia redar-*

guendo,

guendo. Sed quis unquam audivit, cuivè juri conforme est posse legatum vel commissarium excedere limites commissionis suæ & agere quod sibi commissum non est, & agere contra committentem? imò pro Commissario nullo habito, vel producto mandato sub prætextu omnibus hæresiarchis communi conscientiæ fictâ & nequissimâ Larvâ se intrudere? Lutherus in suâ ordinatione, Admissioneque ad Professionem & Doctoralem lauream, præstiterat Juramentum fidei Catholicæ, se credere, quiquid credit Ecclesia Catholica in eâque velle vivere, mori, illamque prædicare, nec ut illi contrarium doceret ullum unquam à Deo à quo se missum & cujus quintum Evangelistam se fanatice jactitabat produxit mandatum, quomodo ergo illam impugnare potuit? Certè illius vocatio in ordine ad arguendos à se fictos errores, nec quoad modum subsistere potest, cum nulla sit & illam habeat nec à Deo, nec ab Ecclesiâ. Nunquid Protestantes approbarent, si quis illorum Prædicantium prætextu suæ qualisqualis vocationis contra Augustanam confessionem doceret, illiusq;

justos

justos jam pro veritate venditos errores[que] dargueret? vocationem divinam, quam *Lutherus* prætendit: prætendunt *Arrius, Calvinus*, pluresque alij Hæresiarchæ, quorum etiam aliqui in Ecclesiâ Catholicâ fuêre ordinati Sacerdotes: an ideo etiam illorum prætensâ vocatio quoad substantiam bona fuit?

56. *Quoad Ecclesiæ reformationem, quæ feliciter*, ut ait *Reinkingh à Luthero peracta ea aliquid extraordinarij delitescit. Prout dubio enim à Deo excitatus est, ut fideli ipsius ministerio Ecclesia errores agnoscere discerent & à tenebris post jam diu perpessam servitutem liberaretur.* Et paulò infra *habemus alia haud obscura divinæ istius missionis indicia, argumenta qualia sunt.*

1. *Doctrinæ puritas & cum scriptis Apostolicis convenientia.*

2. *Donorum Excellentia, præsertim rebus et magnitudo animi.*

3. *Felicissimus & inexspectatus toto etiam mundo fremente & renitente successus & tandem.*

4. *Apostolica prædictio Apoc. 11. v. 2. 14 & 16.*

Ecc

Ecce Cantilenam risu digniſſimam ab omnibus fere Hæreſiarchis ante ſæcula decantatam. Eandem, quàm in *Luthero* proteſtantes, hanc in ſuo Patriarchâ *Calvino* Doctrinæ puritatem & cum ſcriptis Apoſtolicis convenientiam, Donorum excellentiam & animi Magnitudinem deprædicant reformati: Quid adhoc Lutherani?

57. Quoad Tertium ſi feliciſſimus eſt *Lutheri* in puncto religionis deformandæ ſucceſſus, longe felicior fuit *Arrij*, qui rem eo deduxit, ut ingemiſcens totus orbis Terrarum ſe *Arrianum* eſſe neſciret, & nihilominus Hæreſiarcha fuit. Miraculum tam felicis ſucceſſus etiam Divus & Sanctus (ſi diis placet) Doctor *Martinus Lutherus* adhuc vivens deprædicavit, ſed inſigniter illi obviavit *Angliæ Cancellarius Thomas Morus*, ut refert *Stapletonus* in vitâ ejusdem *cap. 13. Ad propoſitam*, ait *libidinoſæ vitæ licentiam populum ruere, id habet tantam miraculi ſpeciem, quam Saxa Deorſum cadere.* Et benenam quod converſio totius mundi ab Apoſtolis facta miraculum fuerit, inde provenit: quod de via laxiori ad arctiorem natu-

ræ &

ræ & appetitui ſenſuali repugnantem, *Lutherus* verò ab Arcta ad laxiorem omnibus absque hoc gratam vocaret. Vnde, quod *Viviano* de multitudine Aſſeclarum ſuorum glorianti reſpondit *S. Hieronymus lib. 2. contra eundem cap. 29.* Id quoque *Luthero* ejus aſſeclis proportione & diſcretione ſervata reſponderi poſſet. *Favent* ait *tibi craſſi, tidi, dealbati, adde, ſi vis juxta Socraticam riſionem omnes ſues & canes, & quia carnes amas, vultures, quoque Aquilæ, Ancipitres, Bubones. Nunquam Nos Arriſtippi mulier do terrebit. Quoscunq; formoſos, quoscunq; Calamiſtratos, quos crine compoſito, quos re bentibus Buccis, videro, de tuo armento ſum imò inter tuos ſues gruniunt: De noſtro Gre ge triſtes, pallidi, Sordidati, & quaſi peregri huius ſæculi licet ſermone taceant, habitu l quuntur & geſtu. Ne glorieris, quod multos D ſcipulos habeas? Filius Dei docuit in Judæa duodecim tantum Apoſtoli illum ſequuntu Torcular inquit, calcavi ſolus & de gentib non eſt vir mecum. Ille in paſſione ſolus rema ſit & Petri quoque erga eum trepidavit co ſtantia: Phariſeorum autem Doctrina omn*

popul

populus applaudebat dicens. Crucifige, Crucifige, & non habemus Regem, nisi Cæsarem, id est vitia sequimur, non virtutes: Epicurum non Christum, Jovinianum Lutherum *non Apostolum Paulum. Quod multi acquiescant sententiæ tuæ, indicium voluptatis est: non tam enim te loquentem probant, quam suis favent vitiis. In Circulis Platearum quotidie victus hariolus stultorum nares verberat, & obtorto fuste dentes mordentium quatit, nec tamen deest, qui semper possit induci, & pro magna sapientia deputas si plures porci post te currant, quos Gehennæ succidiæ natrias?*

PROPOSITIO X.

Dispositio circa Bona Ecclesiastica est penes Principem Sæcularem.

58. HÆc assertio ex Principijs ex adverso superius positis efficaciter sequitur, si enim Princeps jure divino sit simul Episcopus, utique hæc dispositio circa bona Ecclesiastica ad ipsum spectabit: Sed modo non solum dispositionem, verum & Dominium Bonorum Ecclesiasticorum Princi-

Principes hoc nequam sæculo sibi viâ facti Juris
arrogant : Acatholici dum expulsis Archi- mario
Episcopis, Ecclesiasticis, Religiosis in od- ac de
um Religionis tot Archi Episcopatus Ab- vocat
batias & Monasteria viâ facti sibi incorpo- *nedict*
rarunt, arbitrantes nimirum obsequium *pore*
præstare Deo, si Papistas, maxime Religio- *nasteri*
sos & Monachos persequerentur, eosque & omnil
Deum ac Sanctos quibus dicata sunt Bona S. *Aur*
privarent. Catholici verò, dum ad augen- *dicto* i
dum ditiones suas ; Jurisdictiones, Privile- fert *R*
gia, Bona Monasteriorum sub larvâ ratio- *Joann*
nis status invadunt. Roma

59. Pro quo sciendum est Fundatores eo qu
Archi Episcopatuum Episcopatuum, Mona- tuit,
steriorum, ea in honorem Dei, & certi alic- stravit
cujus Sancti erexisse, simulque sub interm- gatis
natione divini Judicij, & maledictionis æter- 60.
næ intentionem suam sanxisse, ut certi ait jam
Ecclesiastici, cum suo Archi-vel Episcopo *etsi hi*
vel Religiosi E. G. S. Augustini, Benedicti *altaria*
Dominici &c. cum suo superiori Regulari *rum e*
Deo sibi & proximis inibi viverent, divinas- *lebran*
que laudes nocte dieque decantarent: addi- *mentis*
tis ex liberali donatione Bonis, Privilegijs & *Christ*

Juris-

Jurisdictionibus : Talia proinde Bona Primario Deo, secundario Sancto vel Sanctis ac denique certis personis donata sunt: hinc vocata Patrimonium Sanctorum *Petri, Benedicti* &c. sic *Henrici IV.* Imperatoris tempore Comes *Adalbertus Hirsaugiense Monasterium* & ipsum locum *Hirsaugiam* cum omnibus appertinentijs ex toto super altare S. *Aureoli* tradidit Domino Deo & S. *Benedicto* in potestatem & proprietatem, ut refert *Romanus Haij in Astro inexct. q. 1. n. 58. Joannes Patritius Romanus* teste Breviario Romano ad diem 5. *Augusti* Matrem Dei, eo quod liberis careret, Hæredem instituit, quod sibi placitum cœli Regina monstravit, dum in honorem sui ex bonis sibi legatis Ecclesiam ædificari voluit.

60. *Pleni sunt his Catholicorum libri*, ut ait jam citatus *Haij, in horto Crusiano n. 444. etsi hi tacuerint lapides clamabunt, plena sunt altaria, sive templa ea cumprimis, quæ sanctorum erga morbidos beneficiis ac virtutibus celebrantur, hujusmodi Donariis, cereis, Paramentis, calicibus &c. quorum Dominium Christiani pijq; homines à se penitus abdicantes*

tes quadam juris fictione in proprietatem & potestatem omnimodam hujus illiusvè Sanctii vel materialis Ecclesiæ in ipsorum honorem, & nominis invocationem consecratæ toto affectu transcribunt: & idem de terris, ac Bonis immobilibus dicendum. Verum autem earumm rum & immediatum Dominium in eos transfertur, qui tali Ecclesiæ deserviunt.

Quæ si ita sint, mirum non est, Deum sce pius tam graviter in Direptores, usurpato res, aut quomodolibet Eversores Bonorum Ecclesiasticorum, animadvertisse. Plenæ sunt historiæ Ecclesiasticæ exemplis Princi pum, Ducum atque militum, quos ob viola ta templa, & raptas Ecclesiæ facultates, ul trix Dei manus secuta est. Inter quos sit

61. Primo: Julianus Apostatæ Julian avunculus, & defectionis socius: is enim cum antiocheno templo sacra vasa sacrile ge abstulisset eaque cum Imperatoris the sauro junxisset, rèpente sævo morbo corru ptus, visceribus putrefactis, totoque corpo re vulneratus ebullientibus etiam & sce stam carnem depascentibus vermibus, tandem non per solitos meatus, sed per

blaspho

blasphemum egredientibus excrementis, sordibusque ventris miserrime perijt.

Felix Imperatoris quæstor & Juliani jam dicti in spoliando templo adjutor: ruptâ venâ cum sanguine animam evomens, celerriter extinctus est, æternæque morti contraditus. *Ita Petrus Ribadineira in suo Principe Politico Christi. lib. 1. cap. 37.*

62. Non absimilis fuit *Leonis IV.* Imperatoris Constantinopolitani exitus, qui cum coronam auream prætiosissimam ab *Heraclio* Imperatore templo S. *Sophiæ* dicatam, cui præter alias gemmas pretiosissimus & inæstimabilis erat insertus carbunculus abstulisset, & suo capiti imposuisset: subito pestilens inflammatusque natus est in capite tumor, quem carbunculum vocant, eoque & extinctus est: ut refert *Sigebertus in Chron. Anno 781.*

63. Narrat Gregorius Turonensis post spoliatam & incensam à quibusdam militibus in Agemiensi oppido basilicã *S. Vincentij* Martyris, eos tam acres Sacrilegij sui pœnas luisse, ut alijs ambustæ manus fumum emitterent, alios correptos & altis vo-

cibus S. Martyrem in clamantes Dæmon
discerperet: alij sibi ipsis manus inferrent
& propriis se vulneribus conficerent, *Greg*
Turon. lib. 7. hist. Francic. cap. 35.

64. *Trithemius in Chronico Ducum Ba-*
variæ author est, nonnullis divinitus Patefa-
ctum, *Dagobertum* Galliæ Regem, quod Ec-
clesias partim expilasset, de impiâ hac usur-
patione ante divinum tribunal postulatum
fuisse; & *Carolum Martellum* summâ fortu-
tudine ducem, *Pipini* Patrem & *Caroli Ma-*
gni Imperatoris Avum suppliciis æternis ob
idem scelus destinatum. Addunt alij *S. Eu-*
cherium Aurelianensem Antistitem jussisse
sepulchrum ejus aperiri, nihilque aliud in eo
inventum præter aspectu deformem inusi-
tatæ magnitudinis serpentem.

65. Prætereo hic *Gundericum Vvanda-*
lorum Regem, *Agilum Gothorum*, *Vvaca*
Alphonsi Regis VI. filiam, aliosque quam plu-
rimos Bonorum Ecclesiasticorum invaso-
res & Direptores gravissimis pœnis, ut his-
storiæ loquuntur, animadversos. De *Comite*
Cabilonensi narrat *Petrus Æmilius*, fidus
rerum Gallicarum scriptor: *Fama* ait *eum*
bri

bris est, Cabilonensem Comitem dum frequenti Procerum convivio Epularetur, ab ignoto quodam in equo præforibus sedente evocatum exijsse, coactumq; è vestigio equum conscendere, è conspectu procul raptum, nec deinceps usquam apparuisse. Idem de alio Comite narrat S *Petrus Cluniacensis.*

66. *Genebrardus in Chron. Anno 995.* & alij Gallicarum rerum scriptores affirmant causam cur Deus ablatam Gallici Regni coronam stirpi Clodouei, qui Primus è Galliæ Regibus Christo nomen dedit, in Caroli Magni familiam transmiserit; non postremam fuisse, quod hujus Nepotes & Posteri indiligenter Ecclesiæ bona & facultates administrassent.

Sed his non attentis, quid modo frequentius tam apud Catholicos quam Acatholicos Principes, quam invadere Bona Ecclesiastica? Acatholici in tot Episcopatuum, Monasteriorum & Bonorum Ecclesiasticorum occupationibus Imperatoris donationem vel cessionem, jus Belli, & quod in meliorem usum sublatâ superstitione Papistarum v. g. in Hospitalia, & studiorum semi-

naria à se sint conversa : Catholici verò
necessitatem publicam vel quod inconve
ens judicent, Religiosos paupertatis vo
adstrictos Dominia, jura Regalia, vel his
nexa Jurisdictionalia habere, prætendun
Vix ullum est Monasterium Germaniæ (
mendicantium excipias) quod ex suâ pr
mævâ fundatione non fuerit aliquibus ju
risdictionalibus V.G. Jure gladij, primæ i
stantiæ, mero vel mixto imperio dotatum
sed bellis ingravescentibus coacti sunt Pra
lati Advocatos, vel Protectores, Principe
aliquos vicinos suscipere, hæcque prima vi
fuit paulatim in jura Monasteriorum & Bo
norum Ecclesiasticorum serpendi, ut no
immerito in Capitulatione moderni Impe
ratoris *Leopoldi I. n. 9.* omnia nova Prote
ctoria sint vetita: sub prætextu enim Advo
catiæ & protectionis quidquid licitum
putaverunt in locis suæ advocatiæ & pro
ctioni concreditis.

67. At jam allegati prætextus neq
quam invasores in conscientia securos re
dunt, quo minus Bona sic occupata, illis p
quibus immediate fundata sunt, restitue
obli

obligentur: Fundatoris enim voluntati in omnibus obsequendum esse, & lex divina & naturalis dictat: *Impium enim est, & inhumanum, facere contra voluntatem testatoris, etiamsi fiat distributio ad pios usus soc. in jun. const. 128. vol. 1. & Hug. in cons. 328. n. 5. neque oportet de ejus voluntate argumentari, qui ne id facere possemus, indicium nobis suæ voluntatis reliquit Mantica lib. 3. tit. 6. de conject. ult. vol. quinimò ad unguem impleri debet ultima voluntas, adeò, ut relicta ad certum non possint etiam in meliorem usum ab Executoribus commutari: Natta. Cons. 7. Lapus alleg. 86. præsumitur enim quis durare in eadem voluntate in quâ decedit. C. majores de babt. Abbas in cap. precatium de precar. n. 6.* Hæcque ex eo oriuntur, quod *Summus Pontifex & Romanorum Imperator*, ut ait *Fillucius tractat. 44. de alien. bon. Eccles. n. 74. & cap. 3. n. 45. tam ex officio, quam ex contractu cum ijs, qui Bona Ecclesiæ reliquerunt, obligati sunt lege divinâ & naturali tam illis fundatoribus, quam ijs, in quorum emolumentum relicta sunt, non alienare, quam ut illorum voluntate permuti probabiliter præsumi possit: Non po-*

test autem, ut inquit *Petr. Ant. de Petra* [illegible] *de Jure quæs. non toll. cap. 32. n. 88. Princeps* [illegible] *nire contra contractum, vel pactum, quia* [illegible] *Jus Naturale, quod non potest tolli, nisi* [illegible] *tingat illud tendere in damnum publicum.* [illegible] *cap. 24. n. 198. tantæ* ait *potentiæ non est Prin* [illegible] *ceps, ut possit extinguere Jus Naturale. Vel* [illegible] *jus quæsitum, de jure gentium mediantum* [illegible] *tractu non potest tolli per Principem de ple* [illegible] *tudine potestatis.*

69. Non potuisse autem nec posse Im peratorem Romanum, vel quemcunq; Prin cipem Sæcularem de Bonis Ecclesiastici quidquam disponere, ea ve alienare, etiam Lutheranorum ante hac opinio fuit, sed [illegible] post ad defendendam tot Bonorum Eccle siasticorum ad se factam translationem a Imperatore faciunt Summum Pontifice Vicarium Christi, successorem Petri, & Epi scoporum omnium Antesignanum, à quo omnis potestas Episcopalis, ut à fonte dima net, quod à Sancto Athanasio merito abo minatio desolationis est appellatum; quæ absurditatem advertit etiam & refutat Ma theus Wesenbecius citans *Hyeronimum*

Schur

Schurpfium.conſ.48.cent.1. ſic diſcurrentem.

70. *Certum eſt, quod omnes Eccleſiæ, Monaſteria, pia loca, & eorundem Bona etiam de jure civili ſint Exempta ab omni poteſtate & Jurisdictione Sæcularium Dominorum, quacunque etiam fulgeant dignitate etiam Imperiali, ita quod Dominis & Poteſtatibus temporalibus ſub maximâ pœnâ prohibitum ſit quidquam diſponere vel ſtatuere, de Eccleſiarum, Monaſteriorum &c. Bonis & Rebus. L. Jubemus cod. de ſacroſ. Eccleſ. §. non igitùr in auth. de non. alien. aut permut. col. 2. §. hoc etiam ſuper his & §. Jubemus hoc in authent. de alien. & Emphit. col. 9. authent. hoc Jus porrectum cod. de SS. Eccleſ.* hinc dicit *pulchre Innocent. in C. noverit de ſent. Excomm. poſt principi. Credimus, quod à Deo habeat Eccleſia Privilegium, quod ipſa ſola res Eccleſiaſticas adminiſtrare debeat, allegans ad hoc cap. Imper. 96 diſtinct. Quapropter S. Ambroſius Epiſcopus etiam Comitibus miſſis ab Imperatore ad ſe, ut traderet Imperatori quandam Baſilicam allegantibus Imperatori omnia licere & Imperatorem jure ſuo juſſiſſe tradi debere, in cujus quidem poteſtate eſſent omnia, &*

ipſius eſſe univerſa. Reſpondit Sanctus vir & Epiſcopus, Nec mihi fas eſt tradere, nec tibi Imperator expedit accipere: Domum privatam nullo potes jure temerare, Domum autem Dei exiſtimas auferendam? Noli te gravare Imperator, ut putes te in ea, quæ divina ſunt, imperiale aliquod jus habere. Noli te extollere, ſed diutius vis Imperare, eſto Deo ſubditus: ſcriptum eſt, quæ Dei Deo, quæ Cæſaris Cæſari. Ad Imperatorem palatia pertinent, ad Sacerdotem Eccleſiæ, publicorum illis mœnium ſit commiſſum eſt non ſacrorum. Et habentur hæc omnia in cap. Convenior. 23. q. 8. ubi pronunt hæc verba Ambroſij: Si ergo Imperator non poteſt jubere ſibi tradi Eccleſias, ſi vult eſſe Catholicus, quomodo inferiores à Cæſare & ſubditi ejus hoc poſſunt.

71. *Schurpfio & VVeſenbecio* accedit Ernestus Cothmannus, ut in ore duorum vel trium Teſtium ſtet omne verbum. Hic in Academiâ Roſtochienſi Juris Profeſſor Primarius *Conſil. 100. n. 20. & 34. vol. 2.* Admodum ait *pie ac proclare Divus Ambroſius* Baſilicam *ad Imperatoris Mandatum tradere juſſus animo forti, & magno reſpondit. Nec mihi fas eſt* tradere

tradere nec te accipere Imperator expedit &c. Quibus verbis gravissimis Author testatum facit res Deo, Ecclesiæ & pauperibus mancipatas contrectantem in eam Decalogi partem graviter delinquere, quæ furtum fieri severe vetat. Quid verò dicturum fuisse putamus S. Ambrosium si in hæc tempora incidisset? Quid si vox illa clamantis hodiernos mores nostros inspiceret & contemplaretur? Quemadmodum Herodi in faciem dicebat: Non licet tibi filiam fratris uxorem ducere, utiq; nunc quoque exclamaret: non licet tibi res Deo, Ecclesiæ & pauperibus dicatas possidere, & in usus tuos convertere Sed obiit Ambrosius & vox clamantis obmutuit, vel certe raucedine sic est affectâ, ut sonorum sonum non edat, & hoc est, quod hodie dici & deplorari solet, paucos esse Joannitas. Et si res hæc exemplis illustranda & decidenda sit.

72. Quis est, qui ignoret Balthasarum Regem Babilonicum cum vasa aurea & argentea, quæ Pater ipsius Nabuchodonosor ex templo Hierosolymitano abstulerat, proferri & hellucinationi dicari juberet istius Sacrilegij sui cum Blasphemiâ conjuncti pœnas præsentissi-

mas & gravissimas dedisse, & vasorum Sa-
crorum abusu vita ac lucis usum amisisse, &
ut Babilone captâ Chaldæorum & Assyriorum
Monarchia ad Medos, & Persas transferretur
impietate suâ effecisse & procurasse? Quis e-
qui in memoriâ non habeat, vel saltem revo-
care in mentem, non statim queat Regis Ju-
Exemplum contrarium, qui collationibus &
donis piorum templum Dei instaurans, in
quod ex pecuniis largiter erogatis reliquum
fuit, pro Domo Domini & pro Ministerio di-
vino in vasa aurea & argentea expendit, &
Dei auxilium longo tempore præsertim quod
Jojadæ consilio uteretur, ejusq; monita sequ-
retur est expertus: Quorum exemplorum al-
terum pœnæ atrocitate, alterum præmiorum
exspectatione Principum, aliorumq;, qui præ-
dia & reditus Dei & Pauperum possident, co
commovere, & ad meliorem mentem incitare
& ad eorum, quæ propriâ vel præfectorum &
Ministrorum arte & opera, quoquo modo ab-
lata vel interversa sunt, largam spontaneam
& hilarem restitutionem inflectere certo de-
bebat.

73 Parùm certè emolumenti imò plu-
detri-

detrimenti Ecclesiasticorum bonorum direptoribus, invasoribus, vastatoribus, ex ijsdem accedere: & antiquæ historiæ, & quotidianæ docent experientiæ. Stantibus adhuc sub *Henrico Octavo* omnibus in *Anglia* Monasterijs Pseudo Evangelici teste *Sandero lib. 1. de schismate Anglicano* jactabant neminem in Anglia pauperem deinceps fore si semel claustra sacra diriperentur, & thesauri quibus Abbates incubarent, prædiaq; & agri quibus pauci jam monachi alerentur, in manus plurium devenirent: sed contrarium reiprobavit eventus: licet enim tempore hujus *Henrici* prius Ecclesiæ Catholicæ defensoris, de post lupi & vastatoris.

Millia dena unus templorum sustulit annus

Omnium tamen Regum suorum antecessorum fuit pauperrimus, & unicus ipse plura tributa, & vectigalia civibus suis imposuit, quam omnes simul Reges, qui per quingentos annos ante se fuerant: & sub ipso ubi ante direptionem bonorum Ecclesiasticorum erat unus pauper, & mendicus, de post viginti reperti sunt: non obstante quod

teste *Nicolao Hapsfeldio* ad calcem historiæ Anglicanæ annuus valor Ecclesiarum ad 320180. libras sterlingas quæ in florenis conficiunt decuplum amplius: cùm unaquæque libra Sterlinga contineat florenos decem se extenderet: Deo nimirum detestante direptionem bonorum sibi consecratorum.

74. Optime proinde dixit *Sinnichius* in suo numquam satis laudando *Saule Exeget. lib. 1. cap. 56. §. 252.* Ecclesiastica bona non male assimilari tineæ exedenti pannum, cariei consumenti lignum, rubigini erodenti ferrum. Et *Klockius de Ærario lib. 2. cap. 83. n. 10. & 11.* comparat pennis aquilarum de quibus refert *Plinius*: ab ijs mixtas aliarum alitum pennas aduri, ac devorari. De lupinis fidibus referunt alij: quod si cum ovinis in unâ cheli intendantur, ea intervertere occultâ quâdam vi naturæ, juxta versus in præsenti materiâ applicatos.

Fabula prisca refert, aquilæ si penna propinqua
Pennæ (quod est mirum) junctas absumere
pennas:

Sic

Sic & chorda lupi, chordas prædatur ovillas. Non aliter bona sacra bonis si quãdo prophanis Miscentur; contra fas & jus omnia perdunt, Extremumq; malum raptoribus insuper addunt.

Vultur ex altari carnes, & carbones surreptos nido inferens, & nidum, & pullos exussit. Sic Harpijæ & vultures isti qui bona Ecclesiastica per vim rapiunt, eadem non commodo, sed exitio sibi fore experientur: juxta vulgatum illud Pfaffengut Raffengut/ hat Adlers Federn/ es kombt nicht auff den dritten Erben: & iterum, Kirchengut hat eisene Zähne / es frist eins mit dem andern hinweg.

75. Quod verò nostri Adversarij tot bonorum Ecclesiasticorum occupatores, se excusent, & per talem invasionem & occupationem in meliorem usum abolitâ superstitione papistarum esse translata prætendant, duplici suppositio laborat: primò quasi à quovis possint bona contra mentem fundatorum in alium usum ex erronea sibi imaginata conscientia transferri, cujus contra-

rium num. 67. ostensum est. Secundo quam melior sit usus in quem translata sunt, quod falsissimum & merum hæreticum figmentum est, ab omnibus etiam hæresiarchis eorumque assectis in omnem æternitatem non probandum. Vt præteream latens sub his principijs pestilens venenum & periculosissimam pro papistis consequentiam, posse nimirum adhuc quæ illis supersunt Ecclesiastica bona, sub eodem nequissimo, papisticæ superstitionis prætextu invadi & occupari. Sed quid si aliquando alter novus *Lutherus* exurgat & Antecessorem ejusque Assectas superstitionis arguat & injuste directa per pœnam talionis Deo permittente reciproce tollat? nisi justitia exigente prioribus quibus sub interminatione divini judicij & maledictionis æternæ legata erant dominis Deus Opt. Max. ut pie credendum ea restituere maluerit. Ridendum quoque quod magnum putent se apud Deum fecisse si loco Celeberrimi Monasterij pauperum reditus pro sustentatione pauperum studiosorum, aliis sibi incorporatis impendant: scilicet magni meriti est, ex ablatis

Petro

Petro vestimentis calceos nudipedi Paulo ex singulari commiseratione & liberalitate donare.

76. Experiuntur proh dolor plures Principes, tam A-quam Catholici, fortunam Deum & omnia sibi quodammodo adversari: nec cogitant id à vindice Dei manu bonorum, & jurium Ecclesiasticorum invasionem & detentionē punientis procedere: qui licet quandoque talibus injustis invasoribus ad tempus, ob quædam eorum opera moraliter bona ut justitiæ administrationem, misericordiæ exhibitionem, &c. bene esse sinit: cum tamen completæ fuerint iniquitates *amorh*-eorum auferentium, & sufficienter puniti à quibus ablata sunt: postliminio suis legitimis hæredibus ea sciet restituere.

PROPOSITIO XI.

Pacta cum Hæreticis nequaquam servanda.

77. COmmune est omnibus Hæreticis quod Catholicis imponant, quasi ij doceant Hæreticis, qui fidem Deo in Baptismo

ptiſmo datam fregerunt non eſſe ſervandam fidem juxta vulgatum axioma. *Frangenti fidem, fides frangatur eidem.* Nihilominus, quia multa illicite fiunt, quæ tamen facta tenent & obtinent roboris firmitatem, merito quæritur, an Catholicus Princeps teneatur ſervare Hæreticis in ſua ditione libertatem, impunitatemque iis illicite promiſſam, ac mutuo partium conſenſu ſolemniter pactam.

Pro parte negativa eſt *Primo* jam adductum axioma *Frangenti Fidem. Secundo*, quia illicitum eſt communicare cum notorie excommunicatis, maximè in Bulla cœnæ, tales autem ſunt Hæretici. *Tertio*: quia à diverſis Pontificibus ſubditi ac Proceres à Juramento fidelitatis & homagio, quo Regibus tenebantur aſtricti abſoluti ſunt ob lapſum eorum in hæreſim. Vnde *D. Thomas 22. q. 12. a. 2. in corp. nixus cap. Excommunicavimus 15. extra de Hæreticis & cap. nos Sanctorum 15. q. 6. quam cito aliquis* ait *per ſententiam denominatur excommunicatus propter Apoſtaſiam à fide ipſo facto ejus ſubditi ſunt abſoluti à dominio ejus, & à juramento fidelitatis, quo ei tenebantur.* Sic *Paulus III.*

Henr.

Henricum Octavum. Pius V. Elisabetham Regem & Reginam Angliæ excommunicavit, & propter lapsum in hæresim subditos quoscunque à juramento fidelitatis absolvit. Quibus accedit Authoritas Concilij Constantiensis quod *Joanni Huss* & *Hieronymo Pragensi* datam fidem fregit, & utrumque fœdifrage igni adjudicavit, & successus cladis Varnensis.

78. Hæc sunt argumenta præcipua quibus contra Catholicos se fundant Adversarij: Hæc adducit *Reinkingh lib. 2. class. 1. cap. 2.* alijque communiter, ut talibus argumentis omnem quasi ad Religionis concordiam viam occludant. Cum spes esset Belgij fœderatas Provincias ad avitam fidem reducendi: Prædicantes id dissuaserunt asserentes Regem Catholicum, & omnes Papistas docere Hęreticis fidem non esse servandam: Sed hos mox refutavit Molanus tribus de servanda Hæreticis. & quarto de servanda fide Rebellibus editis: Eundem errorem post resuscitavit Prædicantius *Daniel Plancius* mox refutatus à Parocho Buscoducensi *Robertio Svverzio*. Hanc etiam causam

cur

cur ad Consilium Tridentinum non vene-
rint, etiam ab eodem promisso prævie salvo
conductu allegant Protestantes, quod etia
factâ promissione salvi conductus Catho
cis fidendum non sit; utpote, qui docen
Hæreticis fidem servandam non esse: quo
licet integris voluminibus diu refutatum
& quotidie illi reclametur à Catholicis, non
cessant tamen suam antiquam resumere can
tilenam. Est autem mens Catholicorum o
mnium non fidelibus solum, sed etiam infi
delibus quibuscunque fidem servari debe
re; modo conditiones ad validam promis
sionem requisitæ adsint: quod si illarum ali
qua desit, nulla cuicunq; etiam sit facta pro
missio, suborietur obligatio: est autem pro
missio spontanea fidei obligatio alteri facta
de re licitâ & possibili.

79. Pro quo sciendum aliquid licite pro
mitti & impleri, ut promissio dandi Eleemo
synam; aliud & illicite promitti, & imple
ut Promissio homicidij, Fornicationis &
aliud licite promitti, sed illicitè præstari, ut
cui promittas matrimonium, quod post
adveniente obice inire nequis; aliud de
illicit

illicite promitti, & licite impleri, ut si puellæ vel mulieri pro usu venereo pecuniam promittis, illicite quidem promittis, sed commissâ fornicatione ex justitiâ solvere obligaris. Quod si quęras, ad quam ex his specib⁹ promissio de impunitate factâ Hæreticis reducatur Respondeo ad Primũ & 4. convenientissime reduci posse: licite siquidem tolerari Hæreticos, ad majus malum evitandum; dum nimirum ita multiplicati sunt, ut Principe suo fortiores sint, metuaturque totius Reipublicæ ex illorum impugnatione eversio, dictum est supra in assertione, de diversarum religionum permissione: hocque casu licite illis promittitur & licite facta impunitatis promissio servatur. Quod si illicite Rex vel Princeps illis impunitatem promittat, ut cum in malum & detrimentum suæ reipublicæ cum aliter potest, sinit illos multiplicari, & impune esse: factam promissionem nihilominus sub mortali & gravi peccato implere tenetur. Sic Israëlitæ, licet contra Domini consilium quod num. 37. requirere obligabantur adeoque illicite Gabaonitis fœdere polliciti essent eos à se non occiden-

cidendos, nihilominus illos fuisse etiam ob-
ram Deo obligatos ad servandum fœdu-
docuit Præposterus Saulis Gaboanitas, per-
sequentis, & interimentis zelus: ob quem
totam terram Israëliticam triennali fame af-
flixit Deus teste S. Scriptura: Propter Saul
& domum ejus sanguinum, quia occidit Ga-
boanitas. Ad quæ verba *Theodoretus in lib. 2.*
Reg. q. 42. Totus populus ait: *fecerat fœdus cum*
Gabaonitis: Juris jurandi autem particeps fuit
& Sacerdos Eleazar & Jesus Propheta. Opor-
tebat ergo Pastores eorum, qui jurarant, facta
fœdera non transilire: Regi autem contra le-
gem facienti persuadere, ut servaret jus ju-
randum. Propterea etiam post illius mortem
sustinuerunt famis castigationem.

80. Sententiam itaque Catholicorum o-
mnium concordem esse servandam Hæreti-
cis fidem testatur *Molanus lib. 3. de fide Hæ-*
reticis servanda cap. 10. Nullum inquiens *sa-*
Theologum, neque etiam clari nominis Jure-
consultum, quin conformiter doceant, fidem
publicam Hæretico servandam esse. Illi pro-
de probando non est inhærendum, sed supra
adductis Adversariorum, quibus se contra-

Catho-

Catholicos fundant, Argumentis respondendum.

Ad primum itaque *frangenti fidem* Respondetur, cuilibet servandam fidem, nisi is in materiâ, super quâ pactum & conventum est, inter te & ipsum fidem fregerit: ut si initum sit fœdus Pacis inter duos Principes, quoad omnes Provincias utrique terrâ vel mari subjectas, frangenti fidem alteri, quoad unam Provinciam frangere viciſſim fidem licebit quoad illam, & alias etiam aliasque Provincias: Similiter frangere licebit fidem ei in mari, qui fidem fregerat in terrâ.

81. Quod si dicas Hæreticos esse sine fide perfidos nullam ergo eis fidem & securitatem publicam deberi: & qui Deo infidelis est, & frangit fidem in Baptismo datam, quomodo homini fidelis erit? Ad hoc enim respondetur non ideo licere Pacta cum Hæreticis inita violare, quia illi Deo fidem fregerunt: qui enim alteri infidelis est, tibi fidelis manere potest. Tametsi enim Deo infideles difficulter noverint pacta sua, quæ religionem concernunt, servare, ea tamen, quæ cum ipsis inita sunt, sincerè servari debent:

bent: cum sæpius deprehendamus, eos ma- enim
lius fidem servare, quam qui eam maxim beat
deberent servare. 8

82. Ad Secundum. Quoad Decreta Pon- *Hist*
tificia Respondetur: *Primo.* Illa concernen vocat
indistincte Hæreticos & Catholicos ex- *nem*
communicatos: unde non est, quod illipsi sæpe
his se gravent; nec solvunt eadem Decreta quam
omnia vincula fidelitatis erga Hæreticos & utau
excommunicatos: Sed ea solum, qua vasalli ter id
suis Dominis obstringuntur ad serviendum cum
manentibus nihilominus aliis obligation- serva
bus ad solvendum tributum & similibus: prim
Declarat enim Summus Pontifex illos ex- est fi
communicando suspensum esse exercitium ci, er
Jurisdictionis ipsorum, eo quod nullicum dam
excommunicato conversari liceat: Idem blicâ
non ideò, quasi Hæreticis non sit servanda contr
fides, sed in pœnam, ut Reges, Principes & proce
Domini temporales videntes se à suis defer- serva
tos, tanto citius ad pœnitentiam redeant quen
& Ecclesiæ reconcilientur. publi

Supereſt nunc, ut ad objectionem à Con- fragu
cilio Constantiensi & Cladis Varnensis, in sed t
quibus se omnes fere sectarij, fundant (vir mus.
enim

enim quenquam invenias, qui illas non habeat) desumptas respondeamus.

83. *Christianus Matthiæ lib. 4. Theatri Historici in Sigismundo* refert 1. Eundem vocasse ad Consilium Constantiense *Joannem Huss* publica fide cavendo 2. *Hussum* sœpe petijsse à Concilio audientiam nunquam tamen impetrasse. 3. *Sigismundum* ut audivit *Hussum* captivum detineri, graviter id tulisse, & Constantiam se recepisse, sed cum Pontificij dicerent Hæreticis non esse servandam fidem: remissionem omisisse, & primum omnium in eum pronuntiasse. Hæc est summa rei ex quibus inferunt Acatholici, ergo Catholici docent non esse servandam fidem: nimirum quia *Sigismundus* publicâ fide cavit, & concilium nihilominus contra *Hussum* & *Hieronymum* de Pragâ processit: hinc Catholici docent non esse servandam Hæreticis fidem. Insignis consequentia, quasi verò, si Rex Galliæ alicui reo publicâ fide cavit, Rex Hispaniarum fœdifragus fiat, si datam ab illo fidem non servet; sed tria allata puncta breviter perstringamus.

84. Quod

84. Quod ad *Hieronymum* de Pragâ tinet: cum illi nulla fides publica data sit, n violari potuit: citatus enim fuit à Concil sess. 6. Responsurus ad ea, quæ sibi aliqui vel aliqui in causâ fidei voluerint objice recepturus & facturus in omnibus justiti complementum: ad quòd à violentiâ, justi tiâ semper salvâ, omnem salvum conduct nostrum, quantum in Nobis est, & fides e git orthodoxa præsentium tenore offer mus, & etiam plenius assignavimus. H sunt verba Concilij, ex quibus salvum co ductum cum limitatione salvâ semper justi tiâ datum fuisse claret, potuit proinde ex gente justitia contra illum procedere, etia usque ad internecionem, uti & fecit.

85. Sed nec *Joanni Huss* à Concilio ull fidem publicam, & salvum conductum tum patet ex verbis ipsiusmet *Concilij* s *29. ubi sic* ait: *Ex quovis conducto per Imp ratorem, Reges, vel alios Principes Secula Hæreticis, & de Hæresi diffamatis puta eos sic à suis erroribus revocare, quocunqu vinculo astrinxerunt concesso, nullum fidei tholicæ vel Jurisdictioni Ecclesiasticæ pra*

dicta

generari, vel impedimentum præstari, posse vel debere, quo minùs dicto Salvoconductu non obstante, licet Judici competenti & Ecclesiastico de hujusmodi personarum erroribus inquirere, & alias contra eos debite procedere, eosdemque punire, quantum Justitia suadebit, si suos errores revocare pertinaciter recusaverint. Hæc Concilium, quod, ut patet, nullam fidem frangere potuit, cum nullam dederit, proindeque falso illi, & Ecclesiæ in illo repræsentatæ omnibusque Catholicis, affingitur ipsos docuisse, non esse servandam Hæreticis fidem.

86. *Sigismundum* Imperatorem publicâ fide caviisse conceditur, sed subintellectâ clausulâ salvâ semper prosecutione Justitiæ, quam semper in Salvoconductu subintelligi, ex Carolinâ docet *Molanus lib. 2. de servanda fide Hæreticis ex Petro Bremo* referens hanc formam Salviconductus: *Damus tibi fidem publicam causam dicendi in judicio contra vim, non tamen contra Juris Executionem & Mynsingerus Centuriâ 1. observ. 82. Quando datur alicui securitas, vel salvus conductus tunc intelligitur solum de violentiâ, quæ de facto con-*

cto contrà jus infertur, & ideo meo tempore cuidam habenti salvum conductum capto propter delictum, vel maleficium & supplicanti camerâ pro mandato de relaxando & citatione ad videndum &c. petiti processus à DD. Assessoribus denegati sunt.

87. Clarius idipsum ostendit *Benedictus Carpzovius* Lutheranus in suâ *practicâ rerum Criminalium part. 3. q. 112. n. 82. Quaritur* inquiens: *Si reus cui data est securitas in judicio delictum sponte fuerit confessus, num statim securitate non obstante in carcerem conijci & puniri queat. Quod affirmo cum Dan. Mollero l. 2. Semestr. cap. 1. n. 2. Tum, quod in confessum nullæ aliæ sint partes Judicis, quam in condemnando. proinde sin fin. ff. adleg aquil. Tum quod salvus conductus ei tantummodo concedi solet, qui se innocentem asserit, aut exceptione aliquâ utitur, quâ probatâ à pœnâ se liberare potest. Joan. Zang. in tract. de except. part. 2. cap. 5. n. 15. &c. quare si reus criminis simpliciter confessus fuit, nil quidquam illum securitas juvare poterit, ideoq; eâ non obstante, accusatum incarcerandum & puniendum esse rectissimè quis affirmaverit.*

88. Sed

88. Sed demus non ſubintellectam in litteris ſalvi conductus clauſulam prædictam, nec tamen ad huc Imperator fœdifragus haberi poterit: Siquidem jam præviè fidem Imperatori datam Huſſus fregerat, ſtramini ſe abſcondens & fugam capeſſens, ex quâ retractus & è curru deſcendens iterato populo (qui magno concurſu ad ſpectaculum concurrerat) ſe immiſcens, & latibulum quærens: cum tamen ei ab Imperatore ſpecialiter demandatum fuiſſet, ne fugam capeſſeret, & hanc conditionem ipſe acceptaſſet, locum proinde in Huſſo habet ſupra allatum axioma, frangenti fidem, fides frangatur eidem. Nec in *Huſſum* ait *Campianus, ratione 4. ad Academicos Anglos: animadverſum fuiſſet, niſi homo perfidioſus & peſtilens retractus ex fuga, quam ei Sigiſmundus Imperator periculo capitis interdixerat violatis etiam conditionibus, quas ſcripto pepigerat, cum Cæſare, vim omnem diplomatis enervaſſet*: Nec Cæſar Huſſum contra Eccleſiam, cujus & ipſe membrum & ſubjectus erat, & Deum ipſum tueri potuit. Nec eſt punitus *Huſſus* ait *Florim. Remund. lib. 4. cap. 3. ob*

crimina læsæ Majestatis divinæ, quæ in Bohemiâ ante profectionem suam commiserat, sed ea, quæ post salvum conductum acceptum Constantiæ comisit, Ecclesiæ se submittere nolens, & in Hæresi pertinaciter perseverans: si enim quis latro sub salvo conductu coram Judice comparet, is pro commissis quidem, non autem de committendis securitatem prætendere pos-

89. Ad secundum punctum petitionem & denegationem audientiæ, quod attinet: contrarium evincunt formalia verba ipsius Concilij Constantiensis, cui magis, quam Lutherano Historico fidendum est: *sessione enim 15.* hæc inter alia habet: *Sacrosancta Constantiensis Synodus declarat & definit, Articulos infra scriptos, qui habitâ collatione per plures Magistros in sacrâ paginâ reperti fuerunt contineri in libris & opusculis Joannis Huss, manu ejus propriâ scriptis: & quos etiam idem Joannes Huss in publicâ audientia coram Patribus & Prælatis hujus concilij confessus est, in suis libris & opusculis contineri, non esse Catholicos, nec tanquam tales esse dogmatisandos &c.*

90. Ex quibus allegatis apparet falsitas puncti

puncti tertij supra allegati: cum ipse Imperator teste *Cochlæo lib. 4. hist. Hussit.* fateatur Patres Concilij se pro Husso instante nihil aliud respondisse, quam: *si nollet admittere justitiæ prosecutionem in Concilio, quid tunc in isto loco facere debeant.* Fecit certe Imperator pro Husso quidquid potuit: in consessu Patrum Concilij sic eum affatus: *Ioannes Huss ecce duæ viæ tibi propositæ sunt, nempe ut abjures & revoces errores tuos hic condemnatos, subdasque te gratiæ Concilij, sic fiet, ut Concilium aliquid gratiæ tibi exhibeat, si autem dictos Articulos Erroneos de cætero defendere volueris: Concilium & Doctores habent jura sua, quidnam finaliter tecum agere debeant.* Eadem postridie repetens, sed nihil se proficere videns: ad Patres Concilij conversus: *Audistis Reverendissimi Domini multa ex Ioannis Huss libris excerpta, quæ & ipse confitetur & sufficienter testibus convicta sunt, è quibus vel unum satis foret ad ipsum condemnandum. Quapropter si noluerit eos errores revocare, & abjurare, poteritis contra illos decernere, ut ipse comburatur, aut agere cum eo juxta jura vestra, sicut scitis.*

91. Subsecuta est hanc monitionem sententia synodi *sess. 15.* his verbis: *Ioannem Hus Hæreticum fuisse, & tanquam hæreticum iudicandum & condemnandum.* Et paulò post *eundem Ioannem Huss ab ordine Sacerdotali & alijs ordinibus, quibus insignitus est, deponendum & degradandum.* Quâ degradatione facta subdidit. *Hæc Sancta Synodus Constantiensis Ioannem Huss attento, quod Ecclesiâ Dei non habeat ultra, quod gerere valeat; Iudicium Sæculari relinquere, & ipsum Curiæ Sæcularis relinquendum fore discernit.* Quibus peractis *Sigismundus* ait ad *Ludovicum* Electorem Ducem Bavariæ, qui aureum pomum tenebat: *Vade recipe eum.* Qui recipiens illum tradidit lictoribus capite tonsum & altò pileo papyraceo coronatum, cui inscriptum *hic est Hæresiarcha.*

Nec solùm ex Authoritate Concilij Constantiensis, sed & Cladis Varnensis probare enituntur Adversarij docere Catholicos, & Maxime Summum Pontificem, non esse servandam Hæreticis fidem.

92. Cum *Clade* autem *Varnensi* res sic habet. Inierat cum *Amurathe* Secundo Tur-

carum

carum Rege inducias *Vladislaus An. 1444.* utrimque Juramento firmatas : Christianis libro *Evangeliorum* & Turcis suo *Alcorano*, inter jurandum digitos imponentibus : Sed suasu Juliani Cardinalis hoc fœdus rupit *Vladislaus* & iterato bello Turcas aggressus, postquam illorum triginta Millia stravisset,& *Amurathes* suorum cladem videns Deum Christianorum, ut fœdifragium suorum vindicaret invocasset : mox victoria à Christianis ad Acatholicos transiit illis usque ad internecionem interemptis occisis etiam *Vladislao* & *Iuliano* Cardinale: Hæc *Christianus Matthiæ*, eâdem fide quâ successum Concilij Constantiensis circa Joannem Huss enarraverat. Qui addit *Eugenium IV.* Pontificem scripsisse *Iuliano*, nullum valere fœdus, quod se inconsulto cum Hostibus initum sit & hoc Epitaphium :

Romulidæ Cannas, ego Varnam clade notavi,
Discite Mortales, non temerare fidem.
Me nisi Pontifices jussissent rumpere fœdus,
Non ferret schyticum Pannonis ora jugum.

93. Sed nec Cardinalem nec Summum

Pontificem suasisse absolute fœdifragium, sed ursisse conservationem fœderis prius tempore secum & alijs Principibus Christianis initi: declarant verba ipsiusmet Cardinalis ad Regem perorantis: Cujus verba initialia apud *Bzovium ad Annum 1444. n. 97.* hæc sunt: *Si quis vestrum fortasse mirtur, quòd de rescindenda Pace ac violanda fide sim verba facturus, is primũ intelligat, me nihil aliud hodie, quam de servando fœdere vobiscum acturum.* Et paulò post: *Quid Turcarum perfidiæ præstare debeatis non id quæritur hodie, sed violatæ fidei & soluti fœderis ante conscientiæ vestræ tribunal postulamini. Nonne cum Eugenio Pontifice & Paleologo Imperatore atque una cum Italis & Grecis, ubi à Thracia cum auxiliaribus copiis occurrerent, Latini Classem ingentem in Hellespontum mitterent, sacrosanctum ultro fœdus percussistis? Percussimus. si percussistis cur cum Turcis isto violato aliud transegistis? quo jure, quamvis transactum sit, servare poteritis? secundum omnino vobis fœdus rescindendum est, ne primùm violetis.* Hæc sunt verba Cardinalis, qui etiam toto sermonis decursu

nullum

nullam scripti Pontificij mentionem facit: & dato non concesso, quod Cardinalis asseruisset nullum valere fœdus cum infidelibus sine consensu summi Pontificis initum: an ideo omnes Catholici hoc docent? certè à particulari ad universale vacillat Argumentatio.

94. Quibus adde ex *Bzovio loc. cit.* Turcam jam ante violasse fœdus cum *Uladislao* initum, dum captivos, quos dimissurum & civitates quas traditurum super quibus conventum erat promitteret: & tamen tempore præfinito nec illos dimitteret, nec has traderet: adeoq; juxta supra allegatum axioma, illi frangenti fidem, fides justè frangi potuit. Absurdum proinde est, ex clade consecuta inferre, illam ob prætensum non factum fœdifragium contigisse asserere: in quo sat temerarius fuit supra allegatus *Christianus Matthiæ*, Summi Pontificis Summus Antagonista & ex asse osor, sibi ipsi in propriâ Historiâ, in eodem facto contradicens. Stragem enim quam loco numero præcedenti citato, violationi icti fœderis Pontificij impulsu Juliani Cardinalis facti

assscripserat, paulo ante alieni Regni usurpa-
tioni his verbis asscribit inquiens: *Vladislaus*
in bello contra Turcas gesto perijt, & ita Regni
alieni usurpati pœnas dedit (& dum Ladislau-
um Regno Paterno spoliare quæsivit, summo
Polonicum amisit. Quæ causa alia est, quam
ante in odium Summi Pontificis allegata
certe varietas & repugnantia in teste arguit
dolum, atque ita tenetur de falso. Aret in c. in
nostra de Testib. Alciat. de præsumpt. 23. n. 3.
Reg. 2. Præsumpt 31. n. 3. Menoch. lib. 5. præ-
sumpt 23. n. 7. hinc *sibi ipsi contrarius non est*
audiendus C. sollicitudinem de appell. in fin.
Gloss ibid. verb. adversa &c. Quod si alteru-
tro ipsius contrario standum est, stabitur primo
antiquiori. quod incorruptus protulit, quam
posteriori, quod in odium Summi Pontificis,
Vnde *gl. in cap. litteras de præsumpt. verb.*
purgavit. Hoc est notabile ait, *quod semper est*
standum primo dicto alicujus, si postea contra-
rium dicat: Quod limitat *Abbas in c. per tuas*
de prob. Si secundum dictum veniat in favo-
rem confitentis, seu id præsumitur appetere, ut
in præsenti.

95. Longe melius Cladem Varnensem hic

hic Author fœdifragio Pontificio, quo ruptum fœdus prius initum, & quo ſtante ſecundum iniri non potuit: quam violationi fœderis poſterioris, cum injuriâ Summi Pontificis, & tot Chriſtianorum Principum contra ſecundum Decalogi Præceptum facti adſcriberet *Chriſtianus Matthiæ*, & poſterius Diſtichon à ſe excogitati Epithaphij hoc modo inverteret.

Si non Pontificis violaſſem fœdera ſummi
Non ferret Schyticum Pannonis ora jugum.

PROPOSITIO X.

Princeps Chriſtianus bello impetitus cum Turca & Infidelibus fœdus inire & auxilium petere poteſt.

96. FOedus definit *Boxhornius inſtit. Polit. lib. 1. cap. 11.* quod ſit *duorum vel plurium Principum, vel Rerumpublicarum publica de amicitiâ, ſocietate, mutuis commerciis mutuisq; auxiliis præſtandis pactio, ſeu ſolemnis conventio.* Quod ſi cum vicinis ineatur, eo præcipue fine id fiat. 1. ut finiantur,

decidanturque lites, & exortæ simultates. 2. Vt de fœderis lege ex omnium fortuna idoneæ ad propulsandum communem hostem vires decernantur. Quod si vicini cum quibus fœdus firmatur Majores sint prudenter & ita agendum, ne illis in manus tradantur claustra Imperij: minores enim specie delati auxilij facile à majoribus opprimuntur: in accipiendo proinde auxilio nunquam nimium: sive quod majus est, copijs, quæ juvantur, accipiendum est. Nec summa rerum auxiliaribus copijs unquam permittenda est: id enim aliud non esset, quam tradere vim Majestatis. Vnde non nisi summa necessitate id exigente fœderatorum auxilia admittenda sunt: tum quia semel admissa difficulter admodum dimittuntur, tum quia ambitiose & cum contemptu illorum, quibus juvandis veniunt, & insolenter plerumq; agunt, uti suo damno in auxiliaribus Copijs à Gallo contra Principem Monasterienſem acceptis Batavi experti sunt. Sed his longius immorari præsentis propositi non est.

97. Licite cum Turcâ, aliisque Infidelibus fœdera sanciri his rationibus suadeti

posse

posset. *Primo*: quia defensio propriæ vitæ & Bonorum cum moderamine inculpatæ tutelæ cuilibet particulari, est licita, ergo multo magis *Principi* pro patriæ & sui necessariâ defensione: cum enim licitus est finis, licita quoque sunt, quæ ad finem ordinantur: maxime cum necessitas legem non habeat, & impossibile supponat, ad quod nemo obligatur. *Secundo*: quia fideles in justo bello infideles juvare possunt (Julianus enim Apostata plures Christianos milites habuit) cur non & contra? *Tertio*: Deus ipse usus est *Nabuchodonosore*, alijsque Infidelibus *Principibus* ad correctionem fidelium: Cur non & idem possit ad exemplum divinum *Princeps*? *Quarto*: *Abraham* fœdus pepigit cum *Ammorheo & Escol. Iudas Machabæus* cum *Romanis*: *David* cum *Achis* Rege *Geth*. *Salomon* cum *Hiram*.

98. *Hugo Grotius de Iure Belli & Pacis lib. 2. cap. 15. n. 8. de fœderibus* ait *frequens est quæstio, licite ne ineantur cum his, qui à vera religione alieni sunt: quæ res in Iure naturæ dubitationem non habet: Nam id Ius ita omnibus Hominibus Commune est, ut Religionis*

discrimen admittat. Sed de Iure divino quæritur, ex quo hanc quæstionem tractant non Theologi tantum, sed & Iurisconsultorum nonnulli, inter quos Oldradus & Decianus; sed adductis exemplis jam ante allatis affirmativam tenet, *licere de Iure divino, tam veteri, quam Evangelico:* Cui assentitur *Christianus Lubenthal in suo Collegio Politico Exercit. 14. quæst. 6. Didacus Savedra* licet sententiam contrariam teneat in Symbolis Politicis *Symbolo 93.* nihilominus illa fœdera cum hæreticis licita asserit, quæ aut belli sopiendi, aut comerciorum exercendorum causa fiunt: quale fuit *Isaaci*, cum *Abimeleco*, & quod etiamnum viget *Hispaniam* inter & *Angliam.* Cujus sententia tenenda est, ac dicendum cum *Reinkingh* fœdera cum Turcis & infidelibus inita illicita, Deoque summe displicentia esse, idque ex jam dicto *Savedra* ostenditur.

99. *Tyrrhenum mare* ait is *sæpius expertum est pericula amicitiæ & societatis montis Vesuvij. Abdidit mons ille sub viridi suo pallio æstum & siccitatem suorum viscerum & mare nihil suspicatum mali, fœdus cum meo [illegible] re nihil*

eumq; strinxit undarum suarum brachiis, nullâ habitâ ratione illius, quæ inter ambas istas naturas intercedit contrarietatis. Verùm dolosus ille mons sinistram suam intentionem pressit in pectore. Crevit inter utrumq; communicatio per occultas, quasdam vias, nec capere potuit vicinum mare, fictum illum amicum, non nisi munimenta adversus se erigere, & subterraneos cum diversis metallis sulphureis instruere cuniculos, donec ijs jam perfectis ignem admoverit. In supremo montis cacumine hiatus ingens & profundus se aperuit, unde flammæ erumpebant. Contremuit sæpius vastum illud corpus, tantæ molis, ac ponderis, & inter horrenda tonitrua incensas evomuit liquescentium metallorum indigestas materias, quæ in illius fervebant stomacho, & per montis declivia ad instar torrentium igneorum in circumjacentes agros sese effuderunt: donec in ipsum mare dilaberentur. Pugnarunt inter se ambo Elementa, non sine trepidatione ipsius naturæ metuentis, ne pulcherrima hæc rerum fabrica conflagraret: ardebant ipsi aquarum fluctus à superiore hoste domiti. Pisces flammis innatantes extincti sunt.

100. Ecce Symbolum & Emblema impiorum fœderum. Tales semper habebunt effectus, omnia similia fœdera, quæ disparis naturæ sunt, & conditionis. Nec damna minora metuat Princeps Catholicus, qui societatem cum infidelibus coierit : nam cum nulla graviora sint odia, quam quæ ex Religionum diversitate oriuntur; fieri quidem potest, ut ea necessitas præsens dissimulet, quin tamen erumpant aliquando, nemo impediet. Quomodo obsecro conservari poterit inter illos amicitia, si unus alteri satis non fidat, & ruina unius cedat in emolumentum alterius. Qui opinionibus discrepant, etiam animis dissident; cumque creaturæ simus æterni illius & supremi artificis, ferre non possumus, ut eidem denegetur ille adorationis cultus, quem verùm & orthodoxum judicamus. Et licet bona esset infidelium amicitiâ, justitia tamen divina non permittit, ut hostium suorum operâ fines nostros consequamur: quin plerumque nos castiget per illam ipsam infidelem manum, quæ pactis subscripsit.

101. Imperium, quod Constantinus Imperá-

perator in orientem transtulit pessum ivit per fœdera Paleologorum cum Turcis Deo nimirum permittente, ut posteris correctionis esset exemplum absque ullâ tamen vivâ familiæ illius memoriâ.

Quas calamitates non perpessa est Francia, postquam Rex *Franciscus* magis æmulatione gloriæ *Caroli V.* Imperatoris, quam extremâ necessitate ductus fœdus cum Turca inijt, eumque in Europam evocavit. In supremo vitæ Articulo hunc errorem suum agnovit, & detestatus est. Sed & ab ejus successoribus pœnam Deus repetiit morte infelici & violentâ eos tollendo è medio.

102. Simul ac *Iudas Machabæus* cum *Romanis* junxit amicitias contra Græcorum potentiam: orbatur duorum Angelorum præsidio, qui ejus lateri, assistebant. Eandem pœnam, eademque ex causâ etiam dedere ejus fratres *Ionathas* & *Simon*, qui ei in principatu successerant. Quod si eâ severitate, animadvertit Deus in Principes, qui infidelium, Hæreticorumq; implorant auxilium: quid iis faciet, qui iisdem opem ferunt adversus Catholicos, & in causa sunt, cur tantos

tos illi progressus faciant? unde facile colli-
ges, quantam Dei offensam incurrerint, &
incurrant hi, qui ad opprimendam (à qua
læsi) domum Austriacam nullo naturalis
defensionis, aut extremæ necessitatis titulo
suffragante, cum illius hostibus & Hæreti-
fœdus sanxerunt, bellum ei inferendo, illud
in alienus terris extra status suos fovendos
Hæreticis, ut contra Catholicos trium-
phent, assistendo. Quod licet illi ob suum, ut
post patuit privatum emolumentum fece-
rint, nec huc usque vindicem Dei manum
senserint: nequaquam tamen illam evadent,
sed tanto efficacius sentient, quanto amplius
differtur: tarde enim ad vindictam sui divi-
na procedit ira: sed tarditatem vindictæ sup-
plicij gravitate compensat. Lataque est con-
tra illos, illorumque similes jam dudum per
Salomonem divina sententia: *Eccles. 10.*
Regnum à gente in gentem transfertur pro-
pter injustitias, & injurias, & contumelias, &
diversos dolos.

103. At inquies necessitas & defensio na-
turalis sœpe ad similia fœdera coarctat: sed
raro omnes circumstantiæ & conditiones

tales

tales concurrunt, quæ ea licita faciant, & majoris sint ponderis, quam universale scandalum, & periculum opinionibus falsis veram inficiendi Religionem : Siquidem eorum communio veneni instar est, quod facile alios corripit: cancer, qui celeriter serpit, ubi novitâte & licentiâ capti fuerint animi. Poterit quidem politica divinis diffisâ suffragiis & præsidiis, ac in artibus humanis spem collocans, se ipsam fallere ; Deum non item in cujus tribunali rationes mere apparentes locum non habent.

Ex quibus facilis est responsio ad Argumenta ex adverso proposita talis enim defensio nequaquam licita est, sed inficit finem malitiâ suâ, qui proinde bonus non est, non enim sunt facienda mala, ut eveniant Bona : sœpeque imaginantur Principes necessitatem, ubi non est: nec semper necessitas licitum facit, quod alias illicitum est: nec ulla est divina prohibitio, ne fideles infidelibus serviant, & illis obediant, sicut in contrarium.

104. Non possum hic præterire temerariam & contumeliosam *Christiani Matthiæ lib. 4. Theatri Historiæ in Friderico 3.* assertionem.

tionem. Vbi poſtquam miſerandam *Vladislai* & Chriſtianorum Cladem retuliſſet, tandem ſubjungit: *Adeo conſenſu experientiæ perpetuæ certum eſt, nulla fuiſſe unquam felicia fœdera cum Pontificibus facta, vel bella de illorum conſilio ſuſcepta, & adminiſtrata præſertim ubi cauſæ fuerunt aliqua religionis ſpecie veſtitæ, aut cum fuit ſpectata, & quæſita dignitatis, aut potentiæ Pontificiæ amplificatio.* Nimirum ex Vatiniano in Romanum Pontificem odio ſicut ſupra, ſic iterato hic ſe mendacem facit: An non feliciſſimus fuit ſucceſſus armorum conſulente *Summo Pontifice* adverſus *Longobardos* in Italiâ à *Carolo Magno* ſumptorum? Quid, quod idem *Carolus Magnus* in omnibus ſuis expeditionibus victorioſiſſimus, nihil fere ſine conſilio, aut conſenſu *Summi Pontificis* aggreſſus ſit? An non fuit felix belli Eventus à *Carolo V. Summo Pontifici* confœderato contra Proteſtantes ſuſceptus? Ipſe *Chriſtianus Matthiæ* in *Carolo* id fatetur. Sic quoque nota eſt felicitas belli adverſus Turcam Anno 1671. ab *Hiſpanis* & *Venetis Pontifici* confœderatis in pugna *Naupactenſi* peracti. Sed

unicum

unicum & singulare gaudium est protestantibus, si acuant linguas suas sicut serpentum contra Summum Pontificum : vera sint vel falsa, quæ narrantur, *Christiani* nihil refert exillo consilio : audacter calumniare, semper aliquid hæret.

PROPOSITIO XI.

Princeps Sæcularis Excommunicari Ecclesiasticâ potestate non potest.

105. SVppositis principiis supra & allatis & explosis, quod Princeps rerum Ecclesiasticarum summam habeat potestatem, sitque de Jure divino Episcopus : infallibiliter quoque sequitur, eundem Ecclesiasticâ potestate excommunicari non posse: cum illius sit supremum caput nulli subjectus, à quo quidquid est potestatis Episcopalis tam Jurisdictionis, quam ordinariæ dimanat: minor autem in majorem, nec par in parem potestatem habet, Ac ita Principis tanquam Episcopi ex fundamentis allegatis est alios excommunicare, non ab alijs excommunicari, id quod insinuat *Christianus Lieben-*

Liebenthal Exerc. 13. n. 31. sui Collegij Polit.
Porrò potest ait *Episcopus vi jurisdictionis suæ, quàm in tota Diœcesi, & qualibet ejus parte fundatam habet, Clericorum omnium tam civiles & criminales, quam spirituales potissimum causas audire per sententiam definire, pœnas decernere, emendas imponere, Clericos ob Crimen excessum, vel defectum cognitum ab officio & dignitate suspendere, improrsus removere & deponere, eosdem restituere, insuper etiam censuram Ecclesiasticam in omnes Diœcesanos Clericos & Laicos per Excommunicationem Majorem & Minorem justissimâ ratione exercere, item ab Excommunicatione reconciliatos absolvere.* Cum ergò secundũ ipsos Principes sint Episcopi indubie illorũ quoq; officij hæc erunt, quæ licet faciant status Augustanæ Confessionis per suos: virtualiter tamen fit ab ipsis prætensam potestatem dantibus.

106. Excommunicatio aliud nihil est quam ab Ecclesiæ communione separatio, idcirco dicta *Anathema* id est *æternæ mortis damnatio c. nemo Episcoporum 11. q. 3 quâ homo Sathanæ traditur 1. Cor. 5. & 1. ad Tim.*

Omnis

Omnis enim Christianus ait *Gratianus, qui à Sacerdotibus excommunicatur Sathanæ traditur: quia extra Ecclesiam Diabolus est, sicut in Ecclesiâ Christus.*

Hujus infligendæ potestas semper penes Ecclesiam fuit, cum sit spiritualis à clavibus dependens, ita *Concilium Aarausicanum Can. 107.* cui interfuit S. *Augustinus: Canonica instituta* ait *& Patrum Sanctorum exempla sequentes, Ecclasiarum Dei violatores authoritate Dei & judicio Sancti Spiritus à gremio S. Matris Ecclesiæ, & à consortio totius Christianitatis eliminanus, quoad usq; resipiscant & Ecclesiæ satisfaciant:* Idem ostendit *S. Augustinus Epist. 75.* ad Auxilium: *spiritualis* (non politica, ut Hæretici putant) *pœna est Anathema: qua fit, quod scriptum est, quæ ligaveritis in terrâ, ligata erunt in cœlis: & animas obligat.* Notum est etiam Exemplũ *S. Ambrosij*, qui Excommunicavit *Theodosium* & sacris excluſit, & plurimorum Summorum Pontificum & Episcoporum, qui Imperatores, Reges & Principes similiter fulmine Excoñunicationis ferierunt. Frustra igitur prætendit *Reinkingh. Primo:* Ex-

commu-

communicationem simul dependere à potestate Sæculari. *Secundo*: debere fieri cum consensu Ecclesiæ, nec debere infligi, sine consensu Principis, adducens statutum *Henrici II. Regis Angliæ*: contrarium enim evincunt praxis Ecclesiæ totius sæculorum, & adductæ paulo ante Authoritates Concilij, & SS. Patrum. Exemplum *Henrici II.* nihil stringit: quia enim illud statutum impium fuit, mori maluit, & sanguinem fundere S. *Thomas Archi-Episcopus Cantuariensis & Martyr*, quam in ipsum consentire.

107. Sed hic *Reinkingium* sat mirari nequeo, supra *Class. 1. cap. 1* docuerat Magistratum Sæcularem & Principem habere potestatem utriusque tabulæ, & Ecclesiam esse in republica, non rempublicam in Ecclesia adeoq; Principem Sæcularem esse caput reipublicæ, supra rempublicam & Ecclesiam, cujus tamen contrarium docet *Class. 2. cap. 2. num. 37. Certum quidem est* ait *Presbyterium & potestatem hanc excommunicandi esse spirituale Christi tribunal, concernens conscientias, & propterea neminem Mortalium ab illa dominatione immunem esse Bezæ de Excomm.*

Excomm. in fin. ne supremum quidem Principem; quia non est supra Ecclesiam, sed intra: At quæso, cui ergo subest Princeps? Quis & à quo habet potestatem se excommunicandi? non enim est credendum Principem suo Superintendenti dedisse potestatem seipsum excommunicandi, cum hæc ad clavium jus spectet: quam Principes Augustanæ confessionis habere non posse, supra ostensum est.

108. Superioribus assertionibus addi potest hoc tempore satis communis, Principem scilicet esse solutum legibus: quæ ordinariè, quod intelligenda sit de legibus positivis & merè civilibus explicatur (à jure enim naturali & divino illum nec ullum exemptum, certum est: licet proh dolor aliqui modo adulterijs, Poligamijs, & concubinatibus contra jus naturale quasi hæc sibi liceant, vacent) & quoad vim coactivam: quoad vim verò directivam quin illis subijciatur, nulli dubium: unde est illud S. *Ambrosij: leges fert Imperator, quas primus ipse custodiat* & tritum illud: *Patere legem, quam ipse tuleris*, quod etiam agnoverunt Imperatores *Trajanus & Theodosius*: Ille quidem dum

ensem Tribuno porrigens, illo etiam inse
uti voluit, si perperam imperaret: hic autem
dum illam Principe dignam esse vocem d
xit: *se legibus subditum esse profiteri*, ut men
to *Claudianus* Poëta moneat Principem.

In commune jubes si quid censesq; tenendum,
Primus jussa subi, tunc observantior aqui
Fit populus: nec ferre negat, cum viderit ipse
Authorem parere sibi. Componitur orbis
Regis ad Exemplum, nec sic inflectere sensus
Humanos edicta valent, ut vita regentis.
Mobile mutatur semper cum Principe vulgus.

PROPOSITIO XII.

Sacris litteris repugnat, & institution
Christi Summum Pontificem & Epi
scopos, habere Dominia Temporalia.

110. NIhil est, quod ita torqueat Ca
tholicorum animos, quam pe
tentia Summi Pontificis, quod is Domin
Temporalia habeat, ac se trium Regnorum
Italiæ, Siciliæ, & *Neapolis* Regem dicat: ho
que sub titulo in Tiara Pontificia tres co

nas aureas gestet: hinc omnia, quæ excogitari possunt, argumenta conquirunt, ut ostendant idipsum Summo Pontifici, qui Vicarium Christi se dicit, nullatenus congruere & donationem Constantinianam nunquam esse factam, unde *Philippus Andreas Borcholdensis ad Instrum. Pacis Osnabrugo-Monasteriensis de Notitia rerum Imperij Roman. German. part. 2. disc. 2. n. 4.* nullam se inter & papistas ac dissidij ex Religione orti pacis spem præaugurat, nisi Summus Pontifex vice deatum tres coronas &c. deponat: verba illius sunt: *Deponat itaq; Romanus Pontifex, vice deatum suum (neque titulo legitimo neque bonæ fidei innixum) induat Catholicam & verè Apostolicam modestiam: triplicem coronam suam à capite dimittat. Patrimonium S. Petri (quod ficto titulo ita vocat) cum urbe Roma Imperatoribus nostris legitimis illarum ditionum Dominis reddat, Christiq; & discipulorum ejus humilitatem ex animo sectetur: Politico Magistratui (Trinunius Dei in terris vicario) animam suam subijciat Rom. 13. verbum Dei ipse cum Clero suo abjectis caputiis in sacro suggestu sincere*

prædicet, *Sacramenta juxta ordinationem verbi Dei administret, traditiones q. suas cerebrinas ultra mille mæandros tortuosas ac flexuosas æternâ amnestiâ aboleat & tunc in Ecclesiasticam Rempublicam redibunt aurea secula. Tunc enim miseri germani in nationali quondam Concilio Præside Imperatore discidia religionis papali imperio cessante tandem aliquando cõponere poterunt*. Ecce insignem Borcholdensis ad Summum Pontificem instructio similis illi quàm eidem quoad urbem Romæ aliaque Italiæ dominia dat *D. Conringius* mox in probatione juris Pontificij quo ad urbem Romam citandus: nimirum omnis spes concordiæ abest, nisi Summus Pontifex desinat esse qui est, vicarius Christi: triplicem coronam sibi omni jure (ut paulò post probabitur) competentem aliaque dominia temporalia, quæ suis Augusti. Confes. Principibus arrogant Protestantes, abijciat: Imperatori contra omnia jura & SS. Patres subijciat: Summa ut fiat quod scriptum est: *Percutiam pastorẽ & dispergentur oves gregis Matt. 26*. Sed supra exsibilata sunt ista & etiam amplius risu digna, quod ante ortum *Luther*

ejusque

ejusque asseclarum prædamnata in Concilio enim Constantiensi inter alias *Joannis Huss* propositiones hæc quoque damnata fuit: *Silvester Papa, Constantinus Imperator erraverunt, quod opibus dotaverunt Ecclesiam.* Nihilominus Assertio allata probatur ex *Reinkingh lib. 1. class. 2 cap 6.*

III. *Primo:* Quia distincta sunt dona Dei Sacerdotium & Imperium, nec sine magnâ ataxiâ confundi possunt *cap. tuam no. X. de ord. cognit.*

Secundo: Facit *text. in c. causam. X. Qui filij sunt legitimi. Nos attendentes, quod ad Regem pertinet, non ad Ecclesiam, de talibus possessionibus judicare, ne videamur juri Regis Anglorum detrahere.*

Tertio: Facit *cap. Venerabilem eod.* ibi expressè dicitur *Regem Francorum non recognoscere superiorem in temporalibus*, adeoq; Papæ ut sic, non subest. Quo etiam faciunt *cap. Quoniam dist. 10. & text. notab. in cap. nos si competenter §. sed notandum 2. q. 7. ibi duæ personæ sunt, quibus mundus regitur, Regalis videlicet, & Sacerdotalis: sicut Reges præsunt causis sæculi, ita Sacerdotes causis Dei.* & in §.

sequenti. *Sicut ergo Ozias à Domino lepra percussus est, quod Sacerdotum officia usurpare voluit: Sic Sacerdotibus & Prophetis Regum officia usurpare non licuit.*

Quarto: Accedit ratio, quæ suadet singula officia singulis committenda. *cap. 1. dist. 89. c. cum singula de Præb. in 6. l. nemo C. de Assessoribus l. Consul. C. de Testamentis*, ubi dicitur absurdum esse, si promiscuis actibus rarum turbentur officia, & præcipuè Clerici opprobrium, si peritos se velint ostendere discrepationum forensium. Et ideò nemo debet esse carnalis & Spiritualis Pater, *c. ad limina. 30. q. 1.* qui enim ad utrumque festinat, neutrum bene peragit *d. l. nemo C. de Assessoribus.*

112. *Quinto:* Cum igitur Regnum Christi non sit de hoc mundo, recte fuit Petrus reprehensus, quod gladio Regnum ejus defendere voluit: neque ejus vicarius à reprehensione Christi alienus, si eam sibi potestatem sumpserit.

Sexto: Quod Christus Discipulos increparit dicens: *Reges Gentium dominantur eorum: vos autem non sic. Luc. 22.*

Sept-

Septimo: Praxis Ecclesiæ primitivæ, ubi talem Dominationem Episcopi non usurparunt.

Octavo: Quod Ecclesiasticis prohibitum sit, ne rebus sæcularibus se immiscеant, nec quidquam commune cum publicis & ad curiam spectantibus habeant.

Quæ eadem adducit *lib. 1. Class. 2. cap. 4. n. 32.* Etiamsi inquit esset vicarius, non tamen plus Juris haberet in terrenis, quam ipse Principalis, usurpavit: Nam Vicarius licet mandatum generale habeat, non tamen potest facere ea, quæ à Principali ei sunt prohibita: Jam verò Christus Petro & Apostolis inhibuit Dominium & sæculare Imperium. Hinc *Bernardus* ad *Eugenium: memineris tibi ministerium esse impositum, non dominium datum: discе tibi opus Sarculo, non sceptro: Et cap. eodem a n. 50.* usque ad finem latè agit de superbia Summi Pontificis. Sed de his post solutionem argumentorum.

113. Hæc sunt Argumenta, quæ contra Dominatum Summi Pontificis ex plurimis alijs Authoribus objicit jam citatus *Reinkingh*, quibus merito applicari potest illud

S. Augustini: Ecce quibus Argumentis divinæ ordinationi humana contradicit infirmitas, quam possidet vanitas: omnia enim & singula in ipsum & suos Principes retorquen posse, mox videbitur in praxi eadem ex ipsomet refutando & retorquendo.

Quo ergo jure ait *Reinkingh lib. 3. Class. 1. cap. n. 28. quâue injuriâ Romanus Præsul pro stolâ Chlamydem, pro pedo sceptrum, pro codice ensem versat?* Sed quæro ego, quo jure, quâue injuriâ Principes Augustanæ confessionis, qui se Episcopos prætendunt, si lum, pro stolâ chlamydem, pro pedo sceptrum, pro codice ensem versant? Quod si Principes sunt, ut indubitatè sunt: quo jure, quâvè injuriâ, pro sceptro pedum, pro chlamide stolam, & pro ense codicem versant? Eodem & majori jure Summus Pontifex; ut Princeps Chlamydem, Sceptrum & ensem: ut Vicarius Christi, & Successor Petri stolam, pedum & codicem versat? Quod argumentum contra protestantes fortissimum est; cum ipsi fateantur, & concorditer asserant, Episcopos Germaniæ veros esse simul Principes & Regalibus ab Imperatore æquè ac

Secu-

Sæculares investiri: fateantur itidem plerique eorum Summum *P*ontificem habere jura Majestatis, quæ utique non ut Vicarius Christi & Episcopus, sed ut Rex & *P*rinceps habere debet. Sed hæc clarius elucebunt ex solutione argumentorum.

114. Ad argumenta in quantum volunt, Summum *P*ontificem quâ Vicarium Christi, nullatenus decere Imperium, vel dominationem, contra quod præcipuè pugnant pleraque: Respondetur imprimis generaliter ex *Reinkingh lib. 1. Class. 4. cap. 9. & Christiano Liebenthal Exercit. 9. quæst. 6. quod ex Apologiâ Augustanæ confessionis sub tit. de potest. Ecclesiast. Si quam habent Episcopi potestatem sæcularem, hanc non habent ex mandato Dei, ut Episcopi, sed ut Principes amplissimarum ditionum ex jure humano donatam à Regibus & Imperatoribus ad administrationem civilem suorum Bonorum: ideoq; tanquam Ecclesiasticæ personæ propriè territorium non habent. Clement. ne Romani §. sane. de Elect. Sed tanquam Imperij Principes cum potestate Territoriali de amplissimis ditionibus ab Imperatoribus & Regibus investi-*

ri. Siquidem ex Jure Canonico expeditum est, quod Episcopi, tanquam Episcopi per se non habeant sæcularem Jurisdictionem *c. lator X. qui filij sunt legit.* Sicut nec ipse Pontifex Episcoporum Summus *c. venerabilem 34 X. de Elect. c. novit. X. de judic.*

115. Ad argumentum proinde tertium (primùm enim, & secundum jam resolutum est, & amplius in sequentibus resolvetur) respondetur ex eodem *Reinkingh: Etiamsi Episcopi* (& Summus Pontifex) *jura territorialia & sæcularem potestatem ex liberalitate piorum Principum una cum Episcopali & Diœcesano jure possideant: manent tamen separata munera Sacerdotium & Imperium: nec propterea confunduntur, quia illud jure ministerij, hoc jure usurpant territorij.* Nam idem homo diversis respectibus præditus diverso jure censeri, & sic duplicem personam repræsentare potest *Gail, 1. observ. 30. n. 2. in fin.* Id quod etiam clarissime contra Amesij Bellarminum enervatum in eodem à se vindicato demonstrat *Erbermannus lib. 3. cap. 9. §. 3* per totum.

Episcopi itaque Germaniæ Pontificiæ Reli-

Religioni addicti quoad Spiritualia, sive Ecclesiastica Pontificem Romanum: quo ad temporalia verò & regalia Imperatorem respiciunt: *Gail. 1. observ. 30. n. 1. & seq.* Et sic tanquam Episcopi ad Synodum & tanquam Principes ad Comitia Imperij comparent. Nec ex hoc, quod in unâ eâdemque personâ utrumque concurrit, miscentur. Sicut nec in personâ *Moysis, Samuelis*, & similium: imò sœpe per Regnum terrenum cœleste profecit. *c. Principes sæculi 28. q. 5. c. filij. 17. q. 6.*

116. Ad quartum & octavum respondetur: *Clericis mere privatis prohibitum esse, ut se negotiis publicis, & ad curiam pertinentibus immiscean, sed nostri Episcopi* & Summi Pontifices *non sunt tantùm Clerici & mere privati: Sed etiam Principes, qui per investituras cæsareas*, vel alia justâ acquisitione *pares Curiæ Imperialis facti, ac in partem sollicitudinis publica authoritate assumpti sunt. Textus autem allegati loquuntur de ijs, qui se privatâ authoritate rebus sæcularibus ingerunt, & adea assumpti non sunt.* Hæc *Reinkingh*: qui videns eadem contra se argumenta mi-

litare in causâ *Summi Pontificis*: *Neque adversantur* ait *ea, quæ supra de Pontifice tradita sunt*: *quia is à nemine, ut Princeps Secularis de ditionibus est investitus, sed eas, quas possidet propriâ authoritate, & variis artibus occupavit, & non statuum Imperij, cujus bona detinet*: Sed eâdem authoritate qua hæc asseruntur & negantur. Et datis non concessis quæ allegantur: an ergo nulli Regalia habent, quam qui ab Imperatore investiuntur? Quid ad hæc dicent Reges *Galliæ*, *Poloniæ*, *Sueciæ*, *Angliæ*? qui omnes jure Regiæ potestatis & à Deo juxta asserta *Reinkingh* Episcopale jus habent: adeoque licet non investiti ab Imperatore & Ecclesiasticis & Sæcularibus negotiis se immiscere poterunt. Neque prædictus *Reinkingh* omnibus suis ad hoc conquisitis argumentis rem eo deducet, ut Summum Pontificem, quem tot Imperatores, Reges & Principes pro legitimo Monarchâ agnoverunt, & etiamnum agnoscunt, dominio suo dejiciet.

117. Quod ad quintum & reprehensionem *Petri* attinet, illa à Christo facta est ob inordinatum zelum & procedendi modum, quod

quod unicus ipse tantæ militum multitudini se opponere præsumeret : idque petito, sed non expectato mandato *Principalis* sui, cum enim dixisset : Domine si percutimus in gladio? mox nullâ auditâ resolutione exemit gladium & percussit servum *Pontificis*, & amputavit auriculam ejus: adeoque privatâ authoritate, quod esse illicitum infra ad quintum Decalogi *Præceptum* ostendetur. Sic quoque futilis est solutio, quam ad argumentum à Bellarmino allatum scilicet : *Petrum* non exercuisse sæcularem potestatem in Reges & *Principes* ob Juris, sed virium defectum: hic adfert *Reinkingh: Christus, si Petro hoc jus concedere voluisset, utiq; & concessisset:* neque enim omnia, quæ Deus alicui concedere vult, mox concedit, sed aliquando in tempus convenientius differt : Sic volebat Josephum esse *Proregem* Ægypti, nec tamen nisi adveniente famis tempore id factus est: Idem hic de *Petro* dicendum : Scilicet tunc nondum fuisse tempus gladio sibi concesso utendi, sed aliud exspectandum. Certè utrumque gladium temporalem & spiritualem *Petro*, ac Successoribus concessum

sum testatur tantopere ab ipso *Luthero* lau-
datus *Bernardus lib. 4. de Consid. cap. 4.* Vbi
sic alloquitur *Eugenium* Pontificem. *Quid*
tu denuo usurpare gladium tentes, quem semel
jussus es ponere in vaginam? quem tamen, qui
tuum negat, non satis mihi videtur attendere
verbum Domini dicentis sic: Converte gladi-
um tuum in vaginam. Tuus ergo est ipse, tuus
forsitan nutu, etsi non tua manu evaginandus.
Alioquin si nullo modo ad te pertineret & is
dicentibus Apostolis: Ecce gladij duo hic, non
respondisset Dominus: Satis est, sed nimis est.
Vterq; ergo Ecclesiæ & Spiritalis scilicet gla-
dius & materialis: Sed is quidem pro Ecclesiâ,
ille verò ab Ecclesia exerendus est. Ille Sacer-
dotis, is militis manu. Sed sane ad nutum Sa-
cerdotis, & jussum Imperatoris.

118. Ad Sextum respondetur. Argumen-
tum hoc quod jam dudum soluit *Bellarmi-*
nus, Onuphrius, Panvinius part. 1. cap. 9. &
jam pridem *Bellarminum* vindicans *Erber-*
mannus lib. 3. §. 2. n. 1. & alij, contra ipsos ad-
versarios militare: Si enim verum est, quod
Rex titulo Regiæ potestatis, quàm à Deo
habet, etiam Episcopus sit, & caput Eccleſiæ
uti

uti ad imitationem Schismatici *Henrici VIII. Angliæ* Regis docent Protestantes: utique Christus in verbis allatis etiam ipsis Principibus tanquam Episcopis dominationem interdicit. Huic etiam argumento solutio ad quartum optime applicari potest, adeoq; quidquid contra Summum Pontificem objicere possunt, id contra suos Principes, quos ipsi Episcopos facere conantur, militat. Sicut enim *Summus Pontifex* est Successor & Vicarius Christi, ita alij Episcopi aliorum Apostolorum: cum ergo, quæ ad Petrum, etiam ad alios Apostolos dicta sint, utique & omnibus qui Episcopi sunt, vel esse prætendunt, eadem dicta esse censendum. Vt hic in argumento, quod *lib. 1. Class. 2. cap. 6. n. 8.* adducit *Reinkingh* paucis verbulis interjectis ostendo.

119. *Deinde* ait ibidem, *aut Christus noluit, aut non potuit S. Petro* (aliisque Apostolis) *nervos executionis ad tuendam juris concessi potestatem dare: si Petro* (aliisque Apostolis) *id dare noluit, nec Successores eorum jure Successionis id sibi tribuent: cum non debeant melioris conditionis esse Successores, quam ij, in*

quo-

quorum locum succedunt. Nec enim plus juris quis in alium transferre potest, quam ipse habet. Posterius verò absurdum, imo cum Salvator S. Petro (& aliis Apostolis) *illam dominationem inhibuerit aliquoties, omnibus etiam illis, qui volunt Petri* (aliorumque Apostolorum) *esse Successores, inhibere voluisse certum est: juxta illud, quæ vobis locutus sum, omnibus locutus sum: Marc. 13. Neque hic quærendum, quam Christus potestatem habuerit, nec quid, aut quantum conferre potuerit Apostolis, sed quam de facto contulerit, aut conferre voluerit.*

120. *Quamobrem* pergit *Reinkingh, rectissime dixit Ferrariensis, quod bene & Sancte faceret Papa* (& Episcopi Augustanæ Confessionis) *Si totam temporalem* (Ecclesiasticam) *jurisdictionem in manibus Imperatoris* (Papæ) *remitterent, nec aliter unquam Respublica & maxime Italia* (Germania) *quiesceret, nec ulterius tale Schisma de Papatu* (Religione) *quale fuit annis præteritis ullo tempore amplius accederet, & ex hoc status universus Clericorum magis redderetur Deo ac populo devotus, ipseq; Papa cum Cardinalibus quietius viveret.*

In

In quibus duobus ultimis §. vides paucis interjectis claúlulis, totum argumentum contra ipſos arguentes, retorqueri: apud omnes enim indubitatum eſt, Chriſtum primum Apoſtolos in ultimâ cœnâ Epiſcopos & Sacerdotes ordinaſſe: adeoque qui Epiſcopi ſucceſſores quoque Apoſtolorum eſſe prætendunt, & plus Juris ſibi arrogare nequeunt, quam ſit ipſis à Chriſto tributum: Chriſtus autem Apoſtolis, ut volunt adverſarij, inhibuit dominationem, ergo & eorum in officio Succeſſoribus, quales ſe prætendunt Principes Auguſtanæ Confeſſionis.

121. Ad ſeptimum & ultimum reſpond. cum *Reinkingh multum intereſſe inter primitivæ Eccleſiæ ſtatum, & hunc præſentem: & inter id, quod fuit, & quod nunc eſt. L. qui res §. arcam. ff. de ſolut. Cum enim tanto tempore, de cujus contrario non extat memoria cum poteſtate Spirituali & Eccleſiaſtica obtinuerint, & adhuc legitimè obtinent, Ducatus, Comitatus, Baronias cum Jurisdictione temporali: quis eos deſtituet jure quæſito, & multis annorum centuriis corroborato? Nec enim ea, quæ certam obſervationem ſemper habuerunt, temere*

mere mutanda sunt. L. minime ff. de leg. Quod confirmat verbis *Philippi Melanchtonis ex Epist.* ad Electorem *Saxoniæ* scripta. Scilicet *eorum hominum cogitationes & consilia, qui de distribuendis inter se Episcopatibus & introducenda nova Imperij forma laborant: nihil aliud, quam seditiones & vim injustam præ se ferunt:* Hoc proculdubio experta est Germania & ab illis quidem, qui hæc scripserunt, dum ante annos paucos in tot Archi-Episcopatibus, Monasteriis, Commendis, à tot Centuriis annorum incognitam formam armis & vî introduxerunt.

122. Ecce omnia Acatholicorum contra Summum Pontificem adducta argumenta proprijs ipsorum resolutionibus jugulata: ut merito hic verificetur: *dum stulti vitant vitia, in contraria currunt:* habent ergo Summi Pontifices, habent & Episcopi Germaniæ præter gladium spiritualem, quo in animas jus habent, & materialem, quo Pastorale & Episcopale pedum, & ditiones suas, quibus ab Imperatore investiuntur, aut quas alio justo titulo obtinent, tueantur, & defendant: ne simul cum gladio materiali, & Episcopale pedum amittant.

123. Sed non sufficit *Reinkingh*, quod conetur Summo Pontifici tollere omni jure (uti paulò post demonstrabitur) competens jus gladij & Monarchiæ, nisi & acerrimis illum injuriis persequatur. *Pontifices* ait *lib. 1. Class 2. cap. 4. n. 55. se profitentur servos servorum Dei verbotenus, re ipsâ tamen volunt esse Domini dominantium & habere jus Regum*, & paulò post, *Ergo Papa in verbis dicit se servum servorum Dei, & de facto se adorari permittit: Annon hoc est humilitatis vestes in superbiæ & ambitionis stolam convertere. Huc pertinet, quod verissimè dixit Cornelius Agrippa, omnium admirabilium admirationem hoc vincit, quod nostri Sacerdotes ijsdem mediis se cœlum posse ascendere putant, quibus olim Lucifer de cœlo cecidit, ut refert Meisnerus de regim. Eccleſiast. Conc l. 143.* & tandem *lib. 1. Class. 2. cap. 8. n. 12. Auctâ Pontificum potentiâ tanto ambitionis vento inflari cœperunt, ut absolutam sibi in omnes terrarum Principes potestatem fingerent, in omnium fortunas sævirent, & ad oscula suorum pedum adigerent: ita ut Summi Principes in principio litterarum ad Pontifices præmiserint*

rint post pedum oscula beatorum &c. Hæc ille, quem miror non etiam accusare ipsum Christum Dominum, qui se quoque servum servorum nuncupavit. *Ego* inquiens *in medio vestrum sum, tanquam qui ministrat:* & in psalmo, *ego sum vermis & non homo, opprobrium hominũ & abjectio plebis:* Qui tamen se à S. Maria Magdalena, Muliere Chananæa & Centurione respectivè adorari & pedes osculari permisit, factumque laudavit? Cur quoque non arguit superbiæ, ambitionisque Imperatorem, plurimosque Magnates, qui non nisi flexis poplitibus supplicas sibi tradi & loqui permittunt? Arrogans est hominis Judicium, quod se divino corda scrutanti æquat: Homo videt in facie, Deus in corde & sœpissime sub splendore gemmarum, & in medio honorum, cor latet humillimum, sicut è contra sub vilissimo sago superbum.

124. Sed & inter Summos Pontifices, qui osculum suorum pedum permiserunt seque servos servorum Dei nominarunt, plures fuere Sanctitate illustres, quos superbiæ accusare temerarium utique erit, cum

quis

quis *nisi humiliaverit se sicut parvulus non possit* teste Christo *intrare in regnum cœlorum.*

Summum Pontificem pro capite Ecclesiæ Vicario Christi, & Successore Petri, penes quem, sit suprema potestas solvendi & ligandi in cœlo & in terrâ, & à quo, ut à fonte ad alios derivetur, agnoscunt omnes Catholici, nec est, qui ante adventum prætensorum Ecclesiæ re-vel potius deformatorum id in dubium vocarit nisi hæretici: quod proinde is vocet se servum servorum Dei, humilitatis est juxta illud, *quanto major es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam*: cui non obstat, quod ut Vicarius Christi pedes sibi osculari permittat, honore illo non ipsi sed Christo in illo repræsentato delato, quemadmodum honor imaginis transit in Prototypon. Quibus accedit, quod Reges & Principes verè sint servorum servi. Nemo enim in Principem electus est, ait *Didacus Savedra Symbol 20.* ut caput aliorum esset duntaxat, sed ut pro tali agnitus omnium commodis inserviret, perpendens illud animo suo Rex *Antigonus* filium

suum

ſuum monuit, ne abuteretur poteſtate ſic eum affatus: *An ignoras fili Regnum noſtrum nobilem eſſe ſervitutem?* Regnare officium potius eſt, quam dignitas. Principes montium conſimiles ſunt, non tam, quod cœliſ voribus propiores ſint, quam quod omnes temporum injurias ipſi excipiant velutide poſitarij quidam pruinæ & nivium, quæ colliquefactæ deinde defluant ab ijsdem, ad moderandam æſtivo tempore agrorum ſi tim & valles irrigandas: atque ut evectiti tius corporibus ſuis umbram faciant alijs à ſolis ardoribus eos tueantur.

De donatione Conſtantiniana & Dominiis temporalibus Summi Pontificis in particulari.

SVpereſt de famoſa illa omnium ferè hujus ævi publiciſtarum maxime Acatholicorum ſcriptis acerrimè impugnata donatione Conſtantinianâ, ibidemque occaſionaliter moveri ſolitis per tranſennam aliquid attingere; quam aliquando factam fuiſſe, licet extra probationes domeſticas, quæ ex

ex Archivio originaliter vel in copia depromptæ ſecundum tradita legiſtarum utique fidem merentur, apodicticè evinci nequeat: hoc tamen dici poſſet, eam non fruſtra litteras *Stephani* ad *Pipinum* exaratas, hujusq; & *Caroli* donationum tabulas ſuppoſuiſſe, qui teſte *Anaſtaſio* inter cætera Exarchatum Ravennatenſem, Pentapolim aliaque Æmiliæ oppida Pontificibus per Longobardos erepta, iisdem potius quam Bizantinis contra proteſtantibus reſtituere maluerunt: quæ omnia nimiæ erga Sedem Apoſtolicam Reverentiæ & Superſtitioſæ credulitati (ita enim zelum & pietatem majorum noſtrorum mendaciſſimè quidam baptizant) aut inadvertentiæ donantium, quorum latera prudentiſſimi ſemper viri cingebant, adſcribere velle inſulſum eſt: cæteroquin nec argumenta à negativis petita quicquam ſtringunt, cum accidere facili negotio potuerit, ut de illa ſemotis forſan arbitris & abſque traditione inſtrumenti peracta *Euſebius* aliiq́ue ſcriptores, quos negotia ſtatus quandoq́ue latent, nil reſcierint, vel datâ operâ ad removendam invidiam ſubticuerint,

cuerint, divisione insuper *Constanti* Italiæ in parte non donata adijciente.

Hæc tamen, ne litem meam facere videa ut quadantenus incerta non urgeo, licet probabile sit, casu quo factam statuas, val dam fuisse & irrevocabilem, nec potuiss salvâ justitiâ sequentes à *Constantino* Impe ratores vel Exarchos (secus quam ab illis, potissimum verò à Gothis & Longobard factitatum est) donatarios in jure quæsit turbare; in hoc namque moderna non mo tiaris cum *Constantini* temporibus, quibu alia longè rerum facies erat: detur quidem, in Regno purè electitio, usufructuario, cu jusvè gubernandi forma capitulationibus in legem abeuntibus restricta est, manus im perantium circa regni ejusq; domaniorum translationem non adeo liberas esse: sc hoc velle componere ad ætatem *Constanti ni*, qui imperium jure pleno, hæreditari seu patrimoniali secundum *Zonam*, *Orig um* & *Nicephorum* cæteris fratribus à ma tre genitis *Constantij* patris testamento prælatus obtinuit, est cum ratione quodam modo insanire; prout nec ullibi legitur quic

quatr

quam everſivi circa facultatem diſponendi practicatum eſſe, cur non igitur leviores quasdam particulas, præſertim ſi de urbe Roma ejusque pomæriis quæſtio ſit, in *Sylveſtrum* transferre potuiſſet, idque ex identitate juris, quo ſimiles vel inferioris etiam ordinis Monarchæ olim uſi fuerunt, ſicut infinita hac de re proſtant exempla: teſtamētariam quidem *Abrahami* qui *Eliezero*, *Pirrhi* qui *Moloſſo Notho*, *Attali*, *Nicomedis*, *Appionis* & *Alexandrini*, qui populo Romano poſtremis tabulis, diſpoſitionem verò inter vivos arguunt judicia *Salomonis* qui *Hiramo*, *Herculis* qui *Tyndareo*, *Acamanthis* qui *Theſei* filio, *Anaxagoræ* qui *Melampodi* urbes, provincias, imò integra regna reliquêre, nec ibidem procerum conſenſus, vel abſolutè neceſſarius, vel etiam adhibitus fuiſſe legitur: quod ſi tamen illum præciſè urgeas, cur hic defuiſſe negabis? pugnante pro ſolennibus & validitate actus præſumptione legis.

Hoc nihilominus diſſimulare nolim, Pontifices perfectam donati poſſeſſionem indeptos non fuiſſe ante tempora *Gregorij II.* &

Leonis Isauri, quibus ille demum Basilico in urbem & contiguos agros jure uti cæpit, quod subsequentes in sede *Petri* non infeliciter continuarunt, eoq; faciebant liberius & justius, quo certius erat urbem fuisse totaliter pro derelicto à Bizantinis habitam, qui jam ab Anno 750. testante *Sigonio* & *Sabellico* expugnatâ ab *Aistulpho* Longobardorum Rege, Ravennâ fugatoque *Eutichio* Exarchatu & omni in Italia potestate recederant.

Stetit adeoque summa rerum ab eo tempore usque ad coronationem *Carol. M.* licet non sine ingentibus à putativis quibusdam ducibus excitatis & pedetentim repressis motibus penes Pontifices, nec unquam in societatem admissus fuit populus, multò minus pristinam redolens libertatem se solo gubernavit; de neutro enim apud scriptores illius ævi, quidquam reperire est, sed bene diametraliter contrarium: fœdera namque Pontifices soli teste *Zonara* & *Theophane* cum Francis pepigêre, *Eunuchum Patricium à Leone* missum aquâ & igni interdixerunt, inhibueruntque Romanis, evidenti sub-

ſubjectionis judicio, ne Orientalibus vectigalia amplius penderent, qui itidem teſtantibus Annalibus Francicis & *Anaſtaſio* in vita *Stephani* homagium Pontificibus præſtiterunt, nec aò alio quàm à Pontificibus patriciatus, tradente *Zoſimo lib. 2.* dignitatis à *Conſtantino M.* inſtitutæ titulus, *Carolo* conſtitutus invenitur, fuit inſuper penes eos ſolos legum condendarum, magiſtratuum creandorum, & abrogandorum poteſtas, cum jure belli & pacis, quam cum *Luitprando, Deſiderio* & *Agilulpho* Regibus iniêrunt, & ultra id Romanæ veteris potiſſimum civitatis mœnia inſtaurarunt, characteribus teſte *Knichen, Sixtino* aliisque ſuperioritatis territorialis hactenus indubitatis.

Demonſtrari verò demum ad Calendas Græcas poterit, omnia illa tunc Papam inſtrumentaliter ſeu nomine populi geſſiſſe, cum commiſſionem ſeu mandatum circa hoſce actus, quidquid de aliis quandoque in differenti ab hac regiminis forma fuerit, Pontifici à populo extraditum nemo hactenus produxerit, adeoque violentæ legis conjecturæ, quod omnia quis ſuo potius quam

alieno nomine agere censeatur, standum erit, donec mandatum sonantia documenta in hanc rem exhibeantur.

Et certè Pontifices tunc suam non populi causam egisse, vel ex hoc redditur probabile, quod à Galliarum Regibus tot tantarumque provinciarum, & urbium largitiones sibi, non Reipublicæ procurarint, qui nec minus intuitu beneficij non à populo sed *Zacharia* per tonsuram *Chilperici* & *Stephano*, per ejus inunctionem in Carolingos collati, eidem *Stephano*, *Hadriano*, *Leoni* ad clavum sedentibus suppetias tulerunt, & *Carolus* adhuc dum Patricius secundum *Platinam* non cum S.P.Q.R. sed cum dicto *Hadriano* amicitiam (ita ut qui unius hostis & alterius esset) juramento reciproco firmavit: quem etiam *Leoni* contra *Paschalem primicerium*, *Campulum* præsbyterum aliosq; rebelles seu Papalis Dominij pertæsos, efficaciter astitisse, nemini nisi antiquitatum hospiti ignotum esse potest.

Duravit autem hæc potestas usque ad ipsam inaugurationem Anno 801. peractam vi cujus quidquid in temporalibus Roma habuit Pontifex, maxima ex parte in spe

laudatum *Carolum* transfudit: neque antecedenter sub titulo Patricij Exarchalem sive Principalem authoritatem sibi arrogasse legitur, cum omnia illa, quæ circa inquisitionem per se & missos in perduelles jam nominatos patricius statuit, eum non vi propriæ jurisdictionis, sed ob potentiam armorum ex conscientia prætacti fœderis amicum imploratum fecisse constat: licet *Paulus Æmilius* alijque sentiant, quod *Carolus* super accusatione sententiam laturus, ad Prælatorum Ecclesiasticorum admonitionem, solum nempe Deum Pontifici supereminere, exemplo omnium ferè se præcedentium Imperatorum acquieverit, nec judicium super sedem primam, quæ à nemine judicatur, ultra sibi arrogare voluerit, Pontifice nihilominus pro contestanda innocentia ultro & spontaneè juramento se purgante.

Amicus quoque Ravennam, & Anconam professas Patrimonij Petrini urbes cum exercitu adiit *Carolus*, vexillum vero urbis Romæ cum muneribus missum honoris & conferendi axiomatis Cæsarei argumentum fuit: ideoque non ita longè post missis obviam

Romanæ urbis vexillis, cum crucibus atque reliquiis at instar patricij, seu Exarchi magnificè excipiebatur.

Quid verò præclari ex illo colligi velit quod *Leo* rogarit *Carolum*, ut ex optimatibus Romam mitteret, qui populum Romanum ad suam fidem, & subjectionem per sacramenta firmaret, vel lynceus viderit, cum eundem *Carolum* armis valentem juxta Annales Francicos Pontifex sollicitarit, ut curaret sibi Sacramentum à populo dici; nec alias infertur antecedenter ad homagium, quod nunquam præstitum fuit, populum in devotione pontificis non fuisse.

Erat igitur patricius urbis Romæ non princeps, nec exarchus; antiquis enim temporibus in more positum erat, primariis imperij urbibus, Romæ videlicet & Bizantio, si quem insigni honore vellent mactatum, urbis suæ patricium facere: ita *Theodoricum Veronensem* Constantinopoleos patricium *Zeno* Imperator creavit: factus fuit & *Adalgisius Desiderij* Longobardi filius Patricius Bizantinus: per hoc tamen nil juris illos quidem in urbem accepisse certissimum est, un-

de ni-

de nihil aliud per patriciatus nomen *Carolo M.* quam jus civitatis Romanæ adjunctam habens nobilitatem, collatum fuit.

Ex quibus de facili colligas, erroneum esse illud, quod turgentes livore devij effutiunt, quasi in coronatione *Caroli* Pontifex tanquam primarius urbis Romanæ civis & sic purè ministerialiter se gesserit, seu prout alij, qui non omnino depuduerunt, statuunt, quod authoritate utriusque, potissimum tamen pontificis ob majorem præ aliis excellentiam Cæsar creatus fuerit.

Et prima quidem opinio ex illius ævi monumentis primo statim intuitu falsitatis arguitur; posterior verò tam ex prædeductis quam ex hoc jugulatur, quod laudatio populi electionem Augusti, silentibus de hoc historicis illius ævi, nec protunc, cujus contrarium malè probat. *Myller. ab* Ehrenbach *in Archolog. ord. imper. c. 6. n. 2.* importaverit, nec pro nunc notoriè importet; sicut enim *Carolus* ita & proceres cum plebe mero casu ex devotione, vel studio videndi tot gentium Domitorem & suæ urbis patricium convenerant, populusque juxta *Antoninm*

Sabellicum non in Calatis comitijs Imperio cætera viduus, nec destinato ad eligendum animo, sed officij tantum causa circumstetisse fertur, cujus acclamatio nec in sequiori regiminis forma unquam sciissa reperitur, sed vel ex integro momentum dedit vel nihil.

Vnde luculenter patet, quomodo capienda sint illa *Anastasij* formalia *ab omnibus constitutum esse*: Sic alibi consensu procerum inauguratus dicitur; non quod illi, clerus vel populus in tribuenda majestate quidquam præstiterint, aut quod Clerus optimates & populus diversum à Pontifice regiminis statum composuerint (talem enim gubernandi formam vix orbis vidit) sed præsentiam omnium & gaudium universale non sat propriis ad hoc semper vocabulis usi scriptores exprimere voluerunt.

Qualem verò potestatem in urbem ejusque pomœria (Longobardiam namque Italicam gladio subegerat *Carolus*, Exarchatu, Marchiâ Anconitanâ multisque Piceni urbibus in Pontificis, Calabriâ verò in fide Græcorum constanter subsistentibus) per

inau-

inaugurationem beneficio *Leonis* tunc indeptus sit, id est, an jure hæreditario? ut voluit *Lymnæus N.R.F. lib. 2. c. 1. D. Conringius de german. Imp. Rom. c. 7.* Eo quod omnia quæ Bizantinus in occidenti tenuit, impertita sint: an usufructuario? ita contendente *Hugone Grotio de jure belli & pac. lib. 2. c. 9. §. 11.* cum *Nicol. Martin. in libert. aquil. triumph. p. 1. c. 3. §. 7.* quia omnes sanguinis Carolini & Longobardici Imperatores, non tantùm à Romanis Pontificibus coronati, sed & NB. confirmati fuerint, nec hactenus ex monumentis fide dignis de expressâ vel tacitâ eâque privativâ abdicatione, ita ut sese politico ejus Imperio absque ulla exceptione subjecerint Pontifices, quidquam solidi adduci potuerit: an verò solum protectorio nomine, & tanquam Advocatus Sedis Apostolicæ Imperium acceperit *Carolus?* uti asserit personatus ille Italus *Severin. à Monzamb. de stat. Imp. Germ. c. 1. §. 12. & 14.* idque propter formulam juramenti à *Carolo* Pontificibus præstiti, quodque in testamento suo tutorem se Imperij appellitarit; ego pro nunc non discutio; licet verisimili-

us esset ob rationes à *Martini* allatas, & quod legatur testamentum *Caroli* à *Leone* Apostolico non subscriptum nudè, sed & NB. roboratum esse, Pontificem altam jurisdictionem *Carolo* cumulativè tantum, ita nihilominus ut exercitium penes hunc à potiori steterit, concessisse.

Idem esto judicium de *Ottone Magno*: extinctâ namque in partibus Italicis Carolingorum stirpe masculâ & excusso ibidem Francorum occidentalium jugo, cum *Berengarius Dux Forojulienſis, Lambertus, Ludovicus Burgundus, Ludolphus Burgundus, Hugo Arelatenſis* ejusque filius *Lotharius*, nec non Marchio Eporegiæ *Berengarius* ab Italiæ Longobardicæ optimatibus Papiæ regni illius urbe metropolitica creati Reges, usurpato Imperij axiomate, ad rem quoq; ipsam anhelantes, magnos Romæ tumultus, hi remissius, illi intensius excitassent, resque ob exteros, quam civiles motus in incerto fluctuaret, Pontifices ad jura pristina sensim devenerunt; cumq, posteriores illi Tyranni Romæ sæpius imminerent, Pontificibus gravissimâ passim injuriâ affectis, fuit primus

mitus ab *Adelheide Lotharij* Regis vidua ex dotalitiâ Papiensi civitate per summum scelus dejectâ, deinde contracto quasi Tyrannidis habitu ruptoque vasallagio contra *Berengarium* ejusque filium *Adelbertum* à Pontifice accitus *Otto Magnus*, atque ob laboris operæque hostimentum primus inter Reges Germanos (*Conradus* namque & *Henricus Auceps* erroneè à *Reinkingh*, *Beckers*, *Hermes*, *Hornio*, alijsq; albo Cæsarum inseruntur) à *Ioanne XII. Alberici* patricij filio, acclamante nihil autem juris conferente populo, Augustus Anno 962. designatus.

Redierat etenim, ut monui, urbis Imperium ad pontifices, licet illud ob varias à *Marocia* & *Alberico* excitatas seditiones non satis tranquillè semper exercitum fuerit, senatus populique authoritate in Majestaticis plenè nunquam emicante, adeo ut nihil subsit, cur honor collati in *Ottonem Carolumq;* à sede Apostolicâ axiomatis invideatur.

Quod verò à quibusdam asseritur, *Ottonem* in vices debellati *Berengarij* succedentem, jure belli uti victorem Imperium obtinuisse, nihilq; à Pontifice datum, quod non

optimo jure sibi potuisset Imperator inconsultis enim Romanis vindicare, omni probabilitatis specie meo quidem judicio destituitur, cum Pontifex, ut injuriam Tyrannorum arceret, pristinoque in urbem Imperio liberè frueretur, non verò ideò *Ottonem* accersivit, ut Longobardorum semitis insistens, ijsdem quibus ante molestiis sub jugum insuper missus, divexaretur, sed ut contra Tyrannos vigore conventi protector, non ut Tyrannus & usurpator evaderet, & violato societatis humanæ vinculo sub prætextu amicitiæ & auxilij amicum jugularet: factum certè à Religiosissimo sedique Romanæ addictissimo principe alienissimum.

Apagè igitur cum conjecturis istis: fuit namque *Ottonem* inter & Pontifices mutui auxilij, non subjectionis fœdus, quod illi nil penitus juris in subditas sedi Apostolicæ terras tribuere poterat, cum jus belli non nisi contra hostes exerceatur, adeoq; ut illo occupata nostra fiant, requiritur ut hostium fuerint. *Hugo Grotius de jur. Bell. & pac. lib. 3. c. 6. n. 5.* eo quod jus mutandi per vim dominii odiosius sit, quam ut extendi debeat;

proinde

proinde *n. 6.* docet, nec omnes res hostiles censeri in hostium navibus repertas, nisi præsumptione juris, quæ probationem in contrarium admittit: quamobrem si ab hostibus capta, ab his quorum partes fovet rei captæ Dominus, recuperentur, aut alio modo ex hostium potestate evadant, si mobilia sint, statim jure postliminij fiunt domini prioris. *l. 5. & 12. ibiq; Bald. & Salicet. ff. de capt. & postlimin. revers.* Si verò immobilia sint, fugato hoste illico ad pristinos dominos redeunt *l. 20. §. 1. ff. eod.* Ex qua lege infert *Sebastian. Neviz. in remiss. ad d. l.* hostibus ex agris amicorum & confœderatorum expulsis dominia ad priores Dominos redire, nec prædæ loco victoribus cedere; Vnde *Covarruvias in c. peccatum. p. 2. §. 11. n. 7. de Reg. jur. in 6. Anton. Thesaur. quest. forens. 98. n. 1. c. 2.* Societatis & fœderum jura non admittere contendunt, ut socia arma sociis dãno cedant, hæc enim foret leonina societas. *Carpz. in jurispr. forens. p. 4. Const. 35. defin. 8. & seq.* ideoque *Gustavus Adolphus* non potuit, nec voluit in Megapoli, & aliis fœderatorum ditionibus, quibus auxiliaria arma tu-

lerat, etiamsi ex ligæ Catholicæ manibus eripuisset, gentium aut civili jure belli jus obtendere: sicut nec postmodũ iisdem Suecis, Gallis, Anglis, Danis, vel Hispanis ex eo præcisè capite tituli in Germaniam enati sunt, quod Cæsar, & optimates pro cujusq; status propensione & exigentia in nupero tricennali bello ad illorum subsidia prospexerint: & habet hæc maxima insuper fundamentum in sacris litteris *Genes. 14. & recess. Imper. de Anno 1542. §.* Wir haben uns auch.

Maneat itáque beneficio, seu secundum *Abbatem Vrspergensem, Reginonem & Lambertum Schasnaburgensem* ab Apostolico *Ioanne* Imperiali unctione & benedictione sublimatum *Ottonem*, & licet populus coronationi semper præsens fuerit, nihil tamen contribuit, vel contribuere poterat amplius quam Clerus, de cuius itidem præsentia mentio semper injicitur.

Sed his cursim tactis demus, Bizantino vel Francorum beneficio propter antiquitatem difficulter evincendo, minus justè fulcire Pontificem, non tamen ita præpropere ob leviores quasdam & ridiculas conjecturas

(magis

(magis enim prægnantibus *Leonis VIII.* constitutio jugulari potest) donationes *Ludovici Pij. Ottonis I.* & *Henrici* sancti aliorumque erroris insimulare licet.

Nec enim verò illa nos pro tempore angunt, cum prius in jura actoris, quam possessoris inquirere ordo naturæ postulet: evincant igitur martem spirantes illi publicistæ, qui Papam urbis Romæ usurpatorem Regibusque Teutonicis ad eam armis postliminio vindicandam nec facultatem, nec titulum deesse contendunt: probent inquam, quod extincto *Ottonum* sanguine, jus aliquod germanis ad Imperium remanserit, seu quod illud per factam in *Ottonem Magnum* tituli Cæsarei translationem, æterno ad omnem posteritatem permansuro fœdere cum sceptro Teutonico coaluerit: ego certè, ut affirmativę calculum adiicerem, induci hactenus non potui, crediderimque saniori salvo (rationibus etenim lubens cesserim) *in Ottonem* ejusq; de sanguine posteros, non verò in rempublicam jura imperii transfusa esse, cuius contrarium manifestè elicitur, tam ex verbis supposititij decreti Leonini, quam mente statuentis.

Nam quod illic dicitur, Pontificem primo Teutonicorum Regi, eiusque successoribus regni Italiæ in perpetuum facultatem eligendi sibi successorem concessisse, de successoribus *Ottonis* hæreditariis, non electitiis capiendum est, idque convenienter ad mores illius temporis, quo regna *Ottonibus* ex communi historicorum sententia jure patrimoniali deferebantur ; restringitur quoque privilegium hoc in terminis terminantibus ad successores regni Italici, cui nihil cum Teutonico commune erat, nisi quod unus utrique præesset, cum *legaliter* evinci non possit regimen Italiæ saltem propriè loquendo unquam Juris Germanici fuisse.

Nec sequior *Leonis* intentio erat, volebat enim Regem Longobardiæ, nec alium habenas Romæ moderari, cum non æquè Germani propter distantiam valerent urbem ab invasionibus Tyrannorum defendere. Et hęc unica fuit ratio, quare concepti planè verbis de regni Italici, non Teutonici mentionem fecerit : adeoque cum Longobardiâ Teutones à multis jam sæculis cecide-

derint,

derint, ita ut nec prætensionem ad eam quidem faciant, mirum alicui videri posset, quo demum prætextu hoc tempore respub. nostra, attento etiam, quod sæpe dicta constitutio *Leonis* non tantum pro falsa imò nulla declarata fuerit, sed etiam in desuetudinem notoriè abierit, ad Imperium urbis aspirare queat: idque, prout insinuavi, contra verba & mentem transferentis, qui *Ottonem* ejusque sanguinem ob repressam *Berengarij* Tyrannidem recognoscere voluit.

Nec est, quod propter collectos in Germania exercitus & liberatam sanguine Teutonico Sedem Pontificiam incorporatio prætendatur, quia exercitus vel ex privata regis substantia, vel ex fructibus patrimonij principatum sequentis, indubiè alitus conflatusque fuerit, neque alias intuitu Papæ præcisè, sed primordialiter & potissimum ratione Longobardiæ, & felomiæ à *Berengario* commissæ expeditio posterior suscepta fuit, quo demum sopito res Pontificum per indirectum quoque in saluo locabantur: vel si argumentum hoc stringeret, ab identitate imò majoritate rationis Galli seu Franci occiden-

cidentales, qui varias difficilesque expeditiones contra *Aistulphum* & *Desiderium* i- more Pontificum primario sub Carolingi in Italiam susceperunt, eandem incorporationem, & impossibilem modo vigore legis Salicæ avulsionem cum *Auberio* aliisque urgere possent: Germanis insuper *Berengarii* proceribus Regni derelicto exilem tempore *Ottonis* resistentiam invenientibus.

Adde, quod successio in regnis hæreditariis secundum incomparabilem *Grotium de jur. Bell. & pac. lib. 2. cap. 7. §. 14. & 15.* se non exerat ultra primi regis posteros, qui ob nobilitatem & præsumptivè duraturam, quæ in majoribus erat, affectionem, tacitè quoque electi censentur: unde *Curtius lib. 10.* inquit: *in eâdem domo familiâq; imperij vim remansuras esse, hæreditarium imperium stirpem regiam vindicaturam: assuetos esse ipsum nomen colere venerarique, id capere, nisi genitum ut regnaret.*

His similibusque merito quis induci posset, ut credat, ex concessione *Leonis* utpote personali, nil juris in urbem acquisitum fuisse, ac incorporationem seu coalitionem

Impe-

Imperij cum Republ. Teutonica rei malè fundatæ inniti, nisi validiora fœdus illud evincentia depromantur; quibus nondum apparentibus editio tituli à possessore frustra urgetur. Verum concedamus amore gentis, Teutonès intentionem fundatam ex laudato sæpè privilegio habere, ergone post lapsum tot sæculorum alio insistente adhuc habebunt? deeratne Pontificibus ad similitudinem aliarum gentium *Alexandri* gladius, nodum hunc Gordium dissolvendi, & Sedem Apostolicam ab usurpatione & simoniâ Imperatorum (ita enim rem exornat *Onuphrius Panvinius*) vindicandi?

Non est igitur nunc operæ pretium pro asserendo politico Pontificis in urbem Imperio varias donationum tabulas exhibere, vel fortioribus se clypeis munire, frustra enim hæc omnia fiunt, cum sola pro mille sufficiat præscriptio, seu tot sæculorum interrupta nunquam possessio, quæ licet annos demum ab optimo & piissimo præsule *Gregorio VII.* ante *Hildebrando* (quem contra sententiam coævi *Lamberti Schaffnaburgensis*, nunquam hactenus refutati *Gretseri*, alio-

aliorumque bonorum mendaciſſimi hoſtis Sycophantæ calumniis nequiter proſcindunt) ſeu *Bonifacio IX.* computaveris, ſemper immemorialis, adeoque nullius mutui titij ſeu exterioris tituli indiga erit.

Quod ſi tamen adhuc illum ruditer quis urgeat, pro donato ſtatuas; credentibus utique vicariis Chriſti donationem realiter interceſſiſſe, de quorum bonâ fide alias legaliter præſumptâ, dubitabit nemo, niſi quem hæreſis & inde præoccupata paſſio obcæcavit: licet ſtatuentibus juris inter gentes peritis horum neutrum ad transferenda regna requiratur: quis enim titulus, quæ bona fides, præter unicam à *Narſete Eunucho*, qui ſ contumelias per *Sophiam Auguſtam* ſibi illatas vindicare reſolverat, factam invitationem fuit *Alboino* infeſtis armis Italiam adſcitis in ſocietatem belli *Gepitis*, *Bulgaris*, *Sarmatis*, *Pannonijs*, *Suevis* & *Noricis* petenti, eâque Exarchos ſive ipſos Orientales deijcienti? extollant ſcriptores Longobardorum regimen circa adminiſtrationem juſtitiæ & ſecuritatem publicæ tranquillitatis, ita ut pro miraculo quaſi cenſeant in regno illo-

illorum nullam fuisse violentiam, nullas omnino insidias, nullum injustè angariatum omniaq; legaliter processisse; Ego constanter teneo, factum hoc *Alboini* nullo juris colore fucari posse, & spectasse illa quidem inter subditos privatam (pro ut etiam fieri videmus à potentioribus nostræ ætatis quam plurimis, qui suis valdè justi, ac ditiones subjectas utique pro bono fisci à latrociniis similibusque societatem politicam & commercia turbantibus purgare conantur, vicinos interim sub quavis futili & absurda cordatioribus larva tanquam minores pisciculos devorant) non publicam armorum justitiam, siquidem diametraliter contrarium elicitur ex tot tantisque in Galliam, Exarchatum, & terras Pontifici aliisque subditas factis irruptionibus & depopulationibus ad duo ferè sæcula continuatis, quas ad longum videre est apud *Anastasium*, *Platinam*, *Reginonem*, *Carolum Sigonium*, *Paulum Varnefridum*, *Antonium Sabellicum* aliosque; ita quidem, ut apud *Aistulphum* illa rationis status dicteria invaluerint: sua conservare privatæ domus, de alienis certare

regia

regia laus est : ubicunque tantum honesta dominanti licent, precario regnatur: consi- entia si violetur, regnandi causa violanda est in cæteris pietatem colas: Principi & civita- ti nihil injustum, quod fructuosum: quos ta- men Longobardos politici se per immemo- riale tempus ita firmasse statuunt, ut quiete viventes à *Pipino Carolove* expelli non po- tuissent.

Quam amabo violentiæ larvam obtendent *Vandali* ac *Visigothi Italiam* & *Hispaniam*, *Franci* ac *Burgundi, Galliam: Picti, Scoti, Sa- xones* & *Angli, Britanniam magnam: Boja-* ac *Alemanni Vindelicum, Noricum* & *Rheti-* potissima: *Hunni* & *Hungari Pannoniam* sub- latis penitus insignibus & abolito posses- rum nomine invadentes? plerique extra- trocinium cum desiderio meliores quæren- di sedes vix aut ne vix quidem aliquid inve- nient: Quod si tamen ex defectu tituli hos- rum terras prædæ exponere liceret, nihil rebellionem subditorum & summam rerum omnium confusionẽ pacato orbi inferret.

Quibus consecutivè fateri necesse est, de jure gentium voluntario præter solam di-

uturnioris temporis sapientiorum arbitrio definiendi possessionem, in transferendis Imperiis nihil desiderari, quodipsum, ne bella ex bellis fererentur, neve plurimarum ditionum dominia essent in incerto, communi ac tacito moratiorum saltem gentium consensu constitutum est: *Lacones* apud *Isocratem* ponunt pro certissimo, & apud gentes confesso, quod possessiones publicæ non minus ac privatæ longo tempore ita firmentur, ut revelli nequeant: unde *Iephtes Ammonitarum* Regi in sacris litteris iniquam occupationem terrarum inter *Anonem* & *Iacobum* & ab *Arabum* desertis ad *Iordanem* sitarum causantem trecentorum annorum possessionem objecit, quodque illius majores tanto tempore cessaverint: *Cicero lib. 2. de offic.* inquit: *quam autem habet æquitatem, ut agrum multis annis aut etiam sæculis possessum, qui habuit, amittat? Tacit. lib. 6. annal. vetera reposcere vaniloquentiam vocat:* hanc opinionem, quod memoriã excedens non interrupta, nec provocatione ad arbitrium interpellata possessio controversias de regnis

de regnis penitus euacuet, in terminis pro-
ponit *Seldenus in mar clauſ. l. 1. cap. 26.* con-
tra *Vaſquium controv. illuſt. lib 1. cap. 51. §. 2.*
Omnia fere, inquit, *juris gentium interve-
entis capita ex præſcriptione ſeu inveterat-
conſuetudine annoſo utentium conſenſu ſtabi-
lita pendent, ut taceamus de Principibus, quo-
rum Territoria olim Romano ſuberant Impe-
rio poſtea non armis ſolùm, ſed & præſcripti-
ne quæ in jure gentium paſſim admittitur, ſu-
juris factas, &* paulò poſt: *& præſcriptio-
ſane titulum prorſus inter Principes nega-
eſt ipſa jura gentium intervenientia prorſu-
tollere.* Videatur *Hugo de Roy. de eo quod ju-
ſtum. lib. 3 tit. 2. n. 4.*

Et quamvis hæc omnia veriſſima ſint, ita
ut de illis non niſi inſipidus ſcrupulum inji-
cere queat, faciunt tamen noſtri publicistæ
in Papa exceptionem; in hoc ſat arroganter,
quaſi penes miſerculos illos ſtaret, à benefi-
cio juris gentium, quos vellent, ſemotos: &
profecto ridiculi ſunt, his titulum à *Pontifi-*
ce, illis mox bonam fidem deſiderantibus,
cum proximè oſtenderimus utrumque ab-
eſſe, nec ullum tradente inſuper *Martino in*
libri

libert. aquil. triumph. pag. mihi 23. aliisque requiri.

D. Conringius vir in omni scibili versatissimus, *in discurs. histor. polit. de Imperat. Rom. germ. fol. mihi 292. & 306.* candidè quidem fatetur, à quadringentis jam annis Cæsares, seu propriè loquendo Reges Germaniæ Juribus in urbem, cæterisque Imperii veteris reliquiis totaliter cecidisse superstite tantum inani Imperatorio nomine; sed exulceratum suum erga Summum Pontificem animum, sicut alibi, ita *in tract. de Germ. Imp. Roman. circa fin.* eximiè prodit, erigitque quasi tribunal, coram quo miser Pontifex causam dicere, cæterisque titulis nuntium prius mittere debeat, quam *D. Conringio* placeat illius possessionem disputare: sed pace eius dixerim, vix est, ut unâ sagittâ internecioni datus plures ex pharetra depromi expetat, ac si unicum intentans remedium ante litis contestationem aliis ad eundem finem tendentibus pro eliciendâ responsione conventi renuntiare protinus actor teneretur; si tantùm huic unico *D. Conringius* satisfecerit, de aliis postmodum cogitabimus sufficientis-

entissimè evicturi, justè Papam sua possidere; & forsan multo iustius quam abstrahendo à conventionibus de iure tertii potissimum initis, & in foro exteriori (an poli decretorius ille dies dabit) prætextu boni publici subsistentibus, plurimi raptores Ecclesiastici contra intentionem fundatorum incumbunt.

Rem tamen ipsam præmissis hisce curialibus immediatè post aggreditur, supponitque, quod probandum erat, ab Imperatoribus hoc & præterito sæculo disertè intuitu urbis reclamatum, & legales desuper protestationes interpositas fuisse; quamvis nec illæ justitiam possessoris de jure gentium turbidam faciant, minus verò privati scriptores, qui de prætensionibus regnorum hinc inde servientes loculis & passionibus aliquis evulgarũt; indubitatũ cæteroquin erit, nullis ferè hodiedum detentionem pro legitima censendam, sed omnes hujus orbis terras controversiæ & litibus obnoxias esse, cum nulla sit exilis adeò, quæ mutationi status contradicentem, & ejecti defensorem non habuerit.

Agam

Agant igitur secundum turbulenta hæc capita gentes à Romanis subactæ contra victores: Augusti contra Angliam, Galliam, regnum Arelatense, Hispaniam aliasque in Asia & Europa avulsas imperio provincias. Iberi contra Hierosolimitanos: agant Reges Daniæ ut Duces Holsatiæ contra civitatem Hamburgensem, cujus cives olim in litteris gehüldigte Erb Unterthanen vocati: Duces Sabaudiæ ex jure *Ludovici Sabaudi Carlottam Joannis* ultimi Regis Cypri sororem ducentis contra insulam detinentes *Turcas*, seu potius *Venetos*, qui illâ per adoptionem *Catharinæ Cornariæ Jacobi nothi* uxoris potiti fuerant: Reges Angliæ contra Daniam ratione transitus angusti maris vulgo dem Sundt; Austriaci ex jure *Maximiliani I. Mariam Caroli Audacis* filiam sibi copulantis idque contra insistentem ducatui Burgundiæ Gallum: Poloni ex jure *Sigismundi, Joannis III* Sueciæ Regis filij contra Suecos: Pontifex contra Arragonenses ad exsolvendam à *Petro II.* contra Hungaros *à Ludovico II.* contra Lusitanos *ab Alphonso I.* contra Anglos cum consensu procerum re-

gni promissam à *Joanne* sedi Apostolicæ pen-
sionem annuam: agant Imperatores contr
Helvetos, & Hispani contra Hollandos du-
riorem gubernatorum procedendi modum
& putativam conscientiæ libertatem (quas
penes subditos staret, hunc illum vè superos
colendi modum legi divinæ conformem
statuere) frustra obtendentes: Agant iidem
ex jure *Isabellæ* contra familiam Bragantia-
nam homagio sibi obstrictam; Duces Par-
menses deficientibus *Joannis & Ludovici*
lineis contra ejusdem familiæ modernum
Portugalliæ Principem *Petrum* ex jure pri-
mogenitæ *Eduardi* filiæ: Lotharingiæ ante
annum à Gallis avito etiam ducatu exuti du-
ces ad repetendum sceptrum Gallicanum
contra Capetingos ex jure *Caroli:* Anglicon-
tra eosdem occidentales Francos ad vindi-
candam Nortmanniam, Aquitaniam & duca-
tum Andegavensem ex jure *Eleonoræ*, vo
totum etiam regnum ex jure *Isabellæ* sororis
Caroli Pulchri: Ijdem Franci contra Hispa-
nos ex jure *Joannæ uxoris Ant. Borbonij Parm.*
Henrici IV. ad recuperandum Navarræ: Ad
Neapolitanum regnum ex jure *Ludovici*
XII

XII. per *Ferdinandum Catholicum* ductu *Consalvi Cordubæ* contra fœdus ejecti: ad ducatum Mediolanensem verò ex jure *Ludovici* Ducis Aurelianensis *Valentinam Galeatij III.* filiam ducentis: Agant denique suasoribus inquietis hisce ingeniis Teutones nostri, contra Hispanos aliosque Italiæ regulos, Longobardiæ sub *Ottone* Germanorum sanguine occupatæ nunc inhærentes, idque ad recipiendam coronam argenteam, aureâ si non digniorem, saltem delicatiorem multo & pinguiorem.

Hæ præfecto prætensiones suos semper & habuerunt patronos & etiamnum habent: in societatem tamen publicam summè injurius fuerit, qui ejusmodi possessores pro usurpatoribus venditarit, liberum asserens antiquis rerum dominis, insuper habitis conventionibus quasi per vim extortis, easdem postliminio armis vindicare: prout talis farinæ tractatum nuper *Auberius* Parisiensis, malæ causæ pejor advocatus extrusit, in quo ex somniata quadam Imperij sub *Carolo Magno* in coronam Gallicanam transfusione seu incorporatione (quæ vigore le-

gis Salicæ ab Anglis tamen pro plus quam anili fabula habitæ, & exteros nullatenus obligantis, dismembrationi obstitissent) Imperium seu potius regnum Germaniæ Gallo suo adscribere & incidenter Augustissimorum Germanici nominis Imperatorum, potissimum verò ratione proëdriæ in possessorio jam dudum & petitorio evictæ, potentissimorumq; Imperij Germanorum-Romani procerum dignitatem & jura impudenter conculcare non est verecundatus: cum verò ille suique sequaces in hoc genere mercenarium ordinariè calamum habentes curialibusque offis inhiantes modicum fidei apud cordatos hactenus repererint, mirum est, cur in causa hac Romana adeo cæcutire queant viri, in quibus præter lumen veræ fidei nil desideres.

Quod si nihilominus statuente *D. Cornelio* atrocissima propter urbem gestatas bella, multumque sanguinis sparsum, sed Apostolicâ interim possessionem armis viriliter propugnante, quid impedit, quo minus dicamus tenere Pontificem sua jure bello, titulo ab omnibus gentibus probatis

mo? quamvis nec legatur expeditiones in Italiam à duobus & ultra sæculis præcisè ad repetendam urbem susceptas esse, quandoquidem *Carolus. V.* eam per *Borbonium* vastavit, non tanquam jura veteris jam dudum extincti Imperii vindicaturus, sed quia *Clemens VII.* se *Francisco I.* junxerat, *Carolique* hostis ex condicto esset, testantibus hoc prioris ævi scriptoribus ad unum omnibus.

Nec multo subtilior est *D. Martini in citat tractat. de libert. aquil. triumph. pag. 178.* possessionis in civilem & naturalem distinctio: quasi hæc, non illa fuerit penes Pontifices; certè si per civilem intelligat illam, quâ quis reiinsistit animo sibi habendi, insulsum foret, eam Sedi Apostolicæ negare, quam sibi, & cui quæso alias? Juris & belli Canonibus generosè hactenus firmavit, Romanosque sicut olim, ita adhuc hodiè, cum cæteris ditionibus Exarchatu videlicet Ravennatensi, Marchia Anconitana, ducatibus Ferrariæ, Vrbini, Perusii, Bononiæ, comitatu Avenionensi & Benevento Monarchicè & absolutius forsan, quam Cymbrorum Princeps, hoc est pleniſſimè, & independenter à

quovis alio gubernat: cumque hoc lippis & tonsoribus obvium sit, quis non admiretur hanc affectatam deviorum aut ignorantiam aut malitiam.

Quod autem in vetustiori quodam cæremoniali reperiatur, oratum tunc temporis fuisse pro Imperatore, cum additamento hoc, *suo aut nostro*, nihil relevat; cum liber ille vel ad priora tempora respexerit, vel placuerit forsan, verbis antiquiorum rituum haud abolitis preces fundere pro incolumitate Imperatoris tanquam jurati Sedis Apostolicæ advocati, non Domini; miserumque sit externo verborũ cortici inhærendo ex cæremonialib⁹ probationes desumere, dũ omnes Majestatis notas penes Pontificem jam ab iñemoriali tempore resedisse, atq; etiamnũ residere constat, nemine quidem (exceptis passionatis quibusdã scriptorculis) contradicente: Inauditum quoq; sit, Sedem Apostolicam confirmationes donationum hoc & priori sæculo à Cæsaribus sollicitasse: vel si id semel fortè contigerit, id certè securitatis non necessitatis fuit: & alias illud non inevidens argumentum suppeditat Augusto

à pri-

à prima ſtatim confirmatione Juri in urbem penitus renuntiaſſe, ut vel hinc etiam nova poſſidendi cauſa papis exurgere videatur.

Quod vero de permiſſa Auguſtis equitum auratorum & ſacri palatij Lateranenſis comitum creatione adjungitur, parum urget, vix enim crediderim priori ætate vel noſtra ab Imperatoribus vigore ſupremæ poteſtatis & regalium Romæ ſibi competentium, comites vel equites illic creatos eſſe; aut ſi quid eiuſmodi olim contigerit, illud vel ante *Hildebrandi* forſan tempora factitatum, vel Cæſaribus extra ſphæram jurisdictionis Romæ præſentibus tanquam amicis precariò, quoad unum alterumvè actum conceſſum fuerit.

Nec eſt, quod ſuperſtiti adhuc Imperatoribus juri accipiendi Romæ coronam quis innitatur; quandoquidem curia Romana (ſi per coronationem illam Imperium urbis Romæ inferri velit) aliud cantet: cæperitq; inauguratio *P*ontificalis, jam ultra *Maximiliani* tempora, at inſtar illius, quâ hodie, electus Roman. Imperator à Colonienſi & Moguntino alternativè, Galliarum à Rhe-

menſi, Bohemiæ à Pragenſi, Angliæ à Cantuarienſi, Poloniæ Reges ab ArchiEpiſcopo Gneſnenſi inunguntur, ſolum eſſe de extrinſeca ſolemnitate, ut difficulter penetrari queat, quid ex his cærimoniis juris & privilegij, quod etiam *à Carolo V.* ſpretum videntur iviſſe Cæſares, prætendi velit: nolim tamen hic diſcutere, an in præjudicium juris pontificibus dudum quæſiti, coronatio illa aboleri potuerit, quæ tempore Carolingorum, Longobardorum, Ottonum &c. de eſſentia fuit: utpote vi cujus illi, qui antecedenter Galliæ, Longobardiæ, & Germaniæ Reges, poſtmodum Imperatores dicebantur, ſucceſſione apud Carolingos & Ottonianos jus ad rem ſolummodo conferente; quamvis non ignotum ſit, Imperatorum viduas eorumque minores adhuc Reges, Juribus Cæſareis imperfectè & minus legaliter quandoque uſos fuiſſe.

Si verò *D. Martini* civilem in alia ſignificatione capiat, quaſi ſit idem, quam poſſidere rem titulo legibus approbato, rurſus in applicatione fallitur, tam quod juſtiſſima Pontificis cauſa ſuperius attacta ſit, quam

quod

quod demonstratum fuerit, ad immemorialem possessionem (quæ petitorium quoque absorbet) nec de privato nec publico gentium jure ullum titulum requiri.

Sed quid pluribus: sufficiat Pontifici ad Europæi orbis consensum provocasse, cum Imperatores, Veneti, Hispani, Sabaudi, Galli, Reges septentrionales aliique Principes & Respublicæ, illum pro sæculari monarcha non solum agnoverint hactenus, verum cum eodem, quatenus ratio status ferebat, fœdera insuper pepigerint, quod unicum teste *Hugone Grotio de jur. bell. & pac. lib. 2. c. 4. §. 4.* rem totam absolvit.

Et hæc quidem obiter de Jure Sedis Apostolicæ: quod si verò inciderit quæstio facultatis, cum hujus illiusve scrinia non expilarim, nescio equidem, quid circa invasionem urbis Romæ hisce vel lætioribus etiam conjunctiuris, quis sibi polliceri queat; attento quod Pontifici nec provinciæ, viri, arma, civitates, fœdera, & nervus bellicus in castello S. Angeli & alias, pro necessaria sui defensione desit: ut quis non adeò facilè clavum de manu Herculis excutiat; sed nec status Ita-

liæ patiatur, quemquam intra viscera admittere, qui Regulos illos, & minutiores Respublicas paulatim in ordinem redigere possit.

Potestatem proinde temporalem Pontificiam Catholici longè majorem & fuisse & esse optarent: neque enim, si illa major fuisset tot hæreses invaluissent & radicem misissent. *Quin nec Augustana confessio Pontifici seu Summo Episcopo* ait *Carpzovius in suâ jurisprudentiâ Consist. definit. 2. lib. 1. tit. 1. politicam & temporalem in patrimonio S. Petri denegat potestatem: modo ea cum potestate Ecclesiastica haud confundatur, quæ & ipsissima mens fuit Philippi Melanchtonis, Martini Buceri, Caspar. Hedionis, Martini Frechti aliorumq; Theologorum protestantium &c.* Hæc *Carpzovius* longè aliter, quam *Reinkingh*, qui si hisce temporibus vixisset longè alia & meliora principia, tam in politicis quam Ecclesiasticis inadæquatè sumptis à *D. Conringio* aliisque didicisset.

PRO-

PROPOSITIO XIII.

Pontificij continuam ſummorum Pontificum à S. Petro uſque hunc ſucceſſionem probare nequeunt.

INtenderam hic appendicem refutatoriam concludere, ſed violenter me quaſi ad ponendam præinductam propoſitionem coarctat *Reinkingh*, figmento etiam apud ſuæ Religionis pro tali æſtimato, cupiens ſucceſſionem (quàm pro vera & indubitata Eccleſiæ nota habent Romanenſes) unico quaſi ictu evertere: *Interruptionis argumentum* inquit *lib 3 claſſ. 2. cap 3. num. 10. præter NB. ſexcenta alia, exemplum ſatis eſſet ſufficiens Joannis Papæ meretricis, &c.* Ecce inſignem & in fingendo poëtam & in hyperboliſando oratorem, qui ſexcenta figmenta uno graviſſimo mendacio ſe ſatis efficaciter probare poſſe arbitratur. Figmentum enim & mendacium eſſe id, quod Hæretici & aliqui etiam Catholici de Papiſſa *Joanne*, qui *Leoni IV.* Circa annum 853. ſucceſſerit, & Ec-

cleſiam annis duobus, & menſibus aliquot fœmina cum eſſet virum ſe ſimulans rexerit & ſub finem Pontificatus in publicâ aliqua proceſſione peperit in plateâ ſentiunt: argumentis paucis, ſed efficacibus ex *P. Gaſparis Schotti, Societatis Ieſu Phyſica curioſa lib. 3. cap. 18.* breviter demonſtrare placuit.

Primus hujus figmenti Author fertur fuiſſe *Marianus Scotus Monachus Fuldenſis in Chron. ſuo* ad Annum Chriſti 853. & 854. natus eſt autem hic Auctor Anno 1028. vixit uque ad 1086.

Secundus fuit *Sigebertus Monachus Gemblacenſis*, qui vixit tempore *Gregorij VII.* licet etiam nonnulli ex ſectariis ſcilicet *Ludovicus Beſoldus*, *David Blondel* & quidam *Anonymus* hujus poſtremi Authoris Exemplaria impreſſa eſſe corrupta oſtendant, nihilque ea de re in varijs antiquis manuſcriptis reperiri.

Tertius *Martinus Polonus* ad Annum Chriſti 855.

Quartus *Babtiſta Platina* in hiſtoriâ de vitis Pontificum ad Joannem Octavum.

Quintus *Auctor faſciculi temporum* ad An. Chriſti 864.

Sextus

Sextus *Jacobus Philippus Bergomensis* ad Annum 800. qui asserit dœmonem in publico consistorio prodidisse partúhisce verbis.

Papa Pater Patrum Papissa pandito partum.

Octavus *Centuriatores Magdeburgici Centuria 9. c. 10. col. 500.* ubi de *Joanne VIII.* ita scribunt.

Sacrificus quidam Anglicus, uxorem seu scortum gravidum secum duxit Moguntiam. Cùm autem isthic esset, venit dies partus ejus, & peperit filiam, cui nomen Gilbertæ inditum est. Contigit autem illi ingenium amplius, quàm pro muliebri natura. Quare in ipsa ætate adolescentiæ apud aliquem hominem eruditum educata, literas didicit, ac in cœnobium Fuldense, sexum mentita, à Monacho quodam ejus rei non ignaro introducta est. Ubi cùm inter amplexus ejus habitu monastico non diu latere posse videbatur, peregrinationem ille Athenas discendi gratiâ instituit, ac Gilbertam quasi juvenem secum abduxit. Ibi autem inter homines doctos versata, operam litteris egregiam navavit, ac latinè & græcè didicit, ac disputandi solertiam sibi comparavit. Mortuo

isthic suo amatore seu marito, Romam abiit, ac pro homine Anglo susceptа, in scholis seu cœnobiis docere cœpit; ac sua eruditione, & disputandi promptitudine in magnam auctoritatem & existimationem venit, adeoq; sibi hominum favorem conciliavit, ut Leoni, communi Cleri & plebis suffragio, ac Imperatorum consensu Pontifex crearetur, & Joannes Septimus (ut Sabellicus vult, aut octavus, ut Platina) vocatus sit, Anno Domini 853. juxta Martinum, aut 854. juxta Sigebertum. De necromantia scripsit librum unum. Balæus Centuria 13. cap. 10. In officio aliorum Pontificum more contulit sacros ordines presbyteros & diaconos ordinavit, Episcopos consecravit, Abbates constituit, missas celebravit, & altaria & templa consecravit, sacramenta administravit. Regna hujus Mundi, & gloriam ejus usurpavit; nam pedes suos aliis exosculandos præbuit. Lothario in Prumiense cœnobium recondito, Ludovico filio ejus regni sceptra & coronam solemni ritu contulit. In quo reipsa impletum est, quod Apocal. 17. scribitur de regibus meretricem Babylonicam adoraturis, & potestatem ab ea accepturis. Chronicon Saxo-

nia

nia Anno Domini 856. Ab Ethelvvolpho anglorum rege tributum, ac munera alia accepit. Romanæ Ecclesiæ privilegia non nisi centum annorum præscriptione tolli posse decrevit, ut aliqui scribunt. Libidinis sub sanctitatis & castitatis velamento horendas exercuit, quas DEVS mirabili modo patefecit, ut ejus, & aliorum Pontificum, quorum viva imago in hac meretrice expressa fuit, turpitudo omnium piorum oculis esset exposita Nam libidini tam diu indulsit, donec à Cardinale domestico, qui solus scribitur cum ea rẽ habuisse (sed quis facilè credat, illam procacem pellicem uno contentam fuisse?) impregnata, uterum quidem occultavit, sed DEI judicio, & singulari providentiâ, cùm ex Vaticano in processione solemni Lateranensem basilicam inviseret, inter Neronis Colosseum & Clementis fanum, obortis repentè partus doloribus, enixa est, & eo loci defuncta, cùm annis duobus, mensibus quinque, & diebus quatuor, meretrix in sede Petri vicarium Antichristi egisset, anno Domini 857. sine honore pontificio sepultus est, & ex catalogo nomen ejus rejectum, ac cautum est, nè Pontifex per illam plateam in Latera-

teranensem basilicam eat: & ut in sella Per
sedentis novi Pontificis virilia à Diacono e
plorentur attactu, & exclamatione, Habet, h
bet. Qui quidem mos hodie abolitus esse dic
tur, quia non opus eo sit, cùm pellices, concub
næ, & spurij ea dere certissimum dicant testi
monium.

Præter hos sunt adhuc plurimi alij, quos citat hic supra memoratus Gasparus.

Verum partem negativam tenent Onuphrius Panvinus in Annotationibus ad Platinam. Florimundus Remundus in tract. de hac re. Cardinalis Baronius ad Annum Christi 854. & 879. Longus in breviario. Bellarminus lib. 3 de Rom. Pontif. cap. 24. Possevinus in apparatu sacro Joannes Bernartius de utilitate legend. histor. Joannes Gregorius Hervvart in Mantissâ contra Bzovium part. 5. fol. 30. Miræus Annal. Belgicor. fol. 350. Majolus in diebus Canicul. colloq. 3. Serarius lib. 1. Moguntiæ. Petavius par. 1. rationarij tempor. lib. 8. cap. 10. Ioannes Stalenus in papissâ Monstrossâ. Justus Lipsius Epist. ad Franciscum Sweertium. Quibus, qui omnes Catholici sunt, addit septem alios ex Sectarijs.

Sed

Sed figmentum & fabulam esse aliquando Papissam fuisse, sive Papam, qui fuit fœmina probatur tribus ad Hominem argumentis.

Primum est ex discordia scriptorum desumptum: Si enim quæras, *cujas ista Papissa fuerit?* Resp. Fasciculus temporum, Bocacius, Baleus, Anonymo contra Jesuitas, Curio *fuisse Germanam.* Joannes Marius, fulgosus Jacobus Bergomensis, Joannes de Marconville, Joannes Stella, Ostvaldus Crellius Achilles, Gassarus Zvvingeus, Sebastianus Franck *fuisse Anglam*, Bibliander *fuisse in Angliâ non natam, sed educatam*: utrumque negat Franciscus Junius *solum dictam Anglicam à familia* Engels *asserit Grimmius.*

Si quæras, *quæ fuerit ejus patria?* R. Platina Cranzius, fasciculus temporum, Bocacius, Richardus, Wassenburgicus apud Wolphium, Anselmo Rydt, Sabellicus, Primęus, Carion, Baleus, Stifelius *Moguntinam*, Martinus Polonus *Margantinam*, Conradus Deckerius *Engelheimensem ex diœcesi Moguntinâ, aut Palatinatu* Reineccius *Patriam incertam esse.*

Si

Si quæras, *quod ei nomen?* Resp. Crucifer apud Grimmium, Balæus, Curio, Annales Augustani, Bocacius *Gilberta* Joannes Hus Fulgosus, Stifelius, Munzer, Luther, *Agnes* Petrus de Messiâ, Joannes de Marcoville, *Joannes vel Joanna*; Chronicon Colonienſe Germ. *Jutta*, Germani quidam *Isabella*, Martinus Polonus & alij *nomen ejus nescitur.*

Si quæras *quæ ejus vita?* Resp. Magdeburgenses *Meretrix fuit* Contarenus Cruciger *tam veneri, quam liberalibus artibus operam dedit.* Balæus *Maga fuit* Zvvingerus Theodoricus de Niem *continens fuit dum studuit, ac ob laudatos mores Pontificatum meruit.*

Si quæras *ubi studuerit?* Martinus Polonus, Platina, fulgosus, Zvvingerus, Balæus *Athenis*, Schorembergius *Parisiis*. Bocacius de Niem. Contarenus, Bergomensis *in Angliâ & ex Angliâ venit Romam.*

Si quæras *quando factus Pontifex?* Resp. Antoninus ex Martino *Anno 850.* Rhodiginus *Anno 851.* Petrus Messia, Joannes Stella, Joannes de Marconville *Anno 852.* Sigebertus corruptus, Marcus Guazzo, Balæus, Leander *An. 854.* Anonymus de Joanne octavo

contra

Jesuitas *Anno 853.* Nauclerus, Curio, *Anno 856.* Bergomensis, Casparus Franck *Anno 858.* Franciscus Rosieres *Anno 883.* Thrithemius *1120.*

Si quæras *sub quo Imperatore factus Pontifex?* Respond. Chronica Vlmæ impressa *sub Arnolpho.* Anonymus, Munzerus, Rioche & alij *sub Lothario Ludovici Pij Filio,* Primæus *sub Ludovico secundo.*

Si quæras *cui Pontifici successerit?* Resp. Catalogus adscriptus Joanni Frisingensi *Joanni Sexto,* Martinus Polonus *Leoni Quarto,* Bocacius *Leoni Quinto,* Scherenberger *Stephano Quinto,* Martinus Prædicator *Formoso,* Grimmius & alij *Benedicto Tertio,* Rosieres *Martino,* Egmondanus *Sergio.*

Si quæras *quod ei in Pontificatu nomen?* Resp. quidam apud Polonum *Benedictus Tertius,* Nevizan, Fulgosus, Bergomensis & alij *Ioannis Septimi,* Platina, Bocacius, Stella, Agrippa, & alij *Ioannis Octavi,* Mairnixius *Ioannis Noni.*

Si quæras *quot annis sederit?* Rosieres *uno & diebus quatuor,* scriptor quidam Gallus *uno & mense uno,* Rydt *duobus,* Marius Guazzo

Guazzo *duobus & menſe uno*, Marcoville Schedel *duobus menſe uno & diebus 4.* Rioche *duobus annis & menſibus*, Beroaldus Amandus, à Zierixia, Trithemius, Palmerius, *duobus & menſibus tribus*, Beroaldus, Antoninus *annis duobus, menſibus tribus, & ſex diebus*, Bergomenſis Stella Franck, Ranulphus, *duobus & menſibus quinque*, quibus addunt Chronica Hollandica *dies octo*, Occam *duobus annis & menſibus ſeptem*, Steenhovel *annis tribus & menſibus octo.*

Si quæras *à quo impregnata?* Reſp: Chronica Suevica, Balæus, Ranulphus *à Domeſtico Cardinale*, Annales aquitaniæ *à Domus præfecto*, Babtiſta Mantuanus *à ſtabuli Pontificij præfecto*, Antoninus, Palmerius, Bergomenſis, *à familiari & conſueto amaſio*, Platina, Sabellicus, Rodiginus, & alij *à ſervo domeſtico & cubiculario.*

Si quæras *ubi & quando peperit?* Reſpond. Balæus Fulgoſus, Bocacius, *in publica proceſſione*, Scherenbergius *in ſolio Papali & Aula*, Chalcocondylas *inter ipſa ſacrorum myſteria*, Bocacius *poſt miſſam celebratam.* Quidam *penes portam Petri & Pauli.* Chronica Hollan-

Hollandica *circa Ecclesiam Clementis.* Egmondanus *dum equitaret*, de Niem *prope templum pacis.*

Si quæras *ubi per venerit post partum?* Respon. Bergomensis, Antoninus, Platina, Stella, & alij *obijt in viâ publicâ, & in ipsa processione & ibidem sine honore sepulta*, Sebastianus Franck *in templo diruto S. Clementis*, Zvvingerus *perijt ex Ianiculi monte Amburbiale sacrum celebrans.* Rabbi Abraham, Zacu apud Grimnium *fuit expulsa*, Bocacius *non perijt in via, sed supervixit retrusa in carcerem Tullianum, & perijt in insulis.*

Si quæras *quid factum de puero quem peperit?* Resp. Bergomensis, Stella, Marconville, Franck, Anonymus, *perijt statim in ipsâ viâ*, Bocacius *perijt post carcerem in insulis*, Rabbi Zacu *occisus est matre expulsa*, Junius *superstes fuit aliquot Annis.*

Si quæras *an ob hoc sedes perforata fuerit facta?* Resp. Massæus, Chalcocondylas, Bergomensis, Stella, & alij, *factam ut Pontificum Electorum sexus probetur*, Platina, Sabellicus, Marconville, & alij *ut in altiori statu constitutus Papa admoneatur communis & mortalis*

naturæ,

naturæ, Junius *ista sedes si quæ fuit, penes Authores sit fides.*

Hæc tanta & tam evidens Authorum circa facti circumstantias discrepantia, argu... merum figmentum esse fœminam aliquando fuisse Papam. Cui accedit argumentum secundum ex altissimo silentio scriptorum antiquorum de illa re: nam ab Anno 853. usque ad 1285. quod *Martinus Polonus* de ea re scripsit primus, nullus nec amicus nec inimicus Romanæ Ecclesiæ, qui tamen multi & magni tunc fuerunt maxime Græci, pro... certo adferri potest, qui vel apicem de illa re scripserit: nec quisquam scriptorum ante *Lutherum* altius ascendit quam ad dictum *Martinum* quadringentis annis ficta Papissa posteriorem: quamvis Adversarij aliqui conentur primum Authorem facere *Marianum Scotum* ducentis annis & *Sigebertum* trecentis annis Papissa posteriorem, sed illorum exemplaria esse corrupta non solum plures Catholici, sed & sectarij, ut *Calvisius, Besoldus, David Blondel & Anonymus* testantur.

Tertio

Tertio falsitatem hujus historiæ arguit vera Chronologia annorum *Leonis IV. Benedicti III. Nicolai I. & Adriani II.* Inter quos nullus Papa intercedere potuit, uti fusè distinctissime & doctissime deducunt *Ioannes Stalenus* Catholicus & *David Blondel* Acatholicus.

Ecce quam efficaciter exemplo Papissæ *Ioannis* meretricis probet *Reinkingh* sexcenta à se allata figmenta, & evertat successionem summorum Pontificum à *S. Petro* usque ad modernum *Clementem X.* in qua tantopere gloriantur Pontificij. Sed sufficienter putem probatum id quod de Papissa hucusque quidam tam A- quam Catholici ab invicem vel ab uno seducti & decepti adduxerunt figmentum esse: Quod si jam aliquis ex adversariis *D. Reinkingij* partes in sexcentis illis exemplis adducendis suscipere dignetur, rem gratam papistis faciet, nec deerunt illis argumenta validiora quibus ea evertant. Quibus hanc ad primum Decalogi præceptum appendicem finio & ad secundum transeo.

ARTICVLVS VI.

Continens Propositiones probabiles, contra secundum Decalogi Præceptum à Neotericis Probabilistis adinventas.

I. SIcuti primum Decalogi præceptum quo DEI unius cultus & agnitio præcipiebatur, & Idololatria, superstitio, hæresis similiaq; vitia vetabantur, suis novis probabilitatibus Neoterici quodammodo evertere, sic quoque secundum, quo divini nominis reverentia in juramentis & votis demandatur, laxare conati sunt: dum juramentis, uti pueri thalis, ludere docent, & ex tribus illis judicio, veritate & justitia ad omne juramentum necessario requisitis, secundum, scilicet veritatem, tollunt, æquivocationem in juramentis, ut licitam admittentes, adeoque finem juramenti destruentes: *Finis juramenti*, ait *D. Thomas. 2. 2. q. 89. a. 3. corp. est confirmatio dicti humani, cui quidem confirmationi falsitas opponitur, per hoc enim*

conf-

confirmatur aliquod dictum, quo ostenditur firmiter esse verum, quod quidem non potest contingere de eo, quod falsum est; unde falsitas directe evacuat finem juramenti, & propter hoc à falsitate præcipue specificatur falsitas juramenti, quæ perjurium dicitur. Quidquid proinde juramento defuerit, sivè veritas, sivè justitia, sivè judicium, cujuslibet ex illis carentia directè vel indirectè perjurium constituet: Nam is, cujus juramento deest justitia, manet obligatus ad falsificandum suum juramentum, positione oppositi ejus, quod juraverat: & is, cujus juramento deest judicium, sivè discretio ac circumspectio, temerè se exponit, periculo falsitatis, adeoq; censetur interpretativè velle ipsam falsitatem, juxta illud, qui amat periculum, in illo peribit.

Indirectè quidem perjurium constituent, defectus judicij & justitiæ; directè defectus veritatis, quem habere illa juramenta censenda sunt, quæ cum æquivocatione & mentali restrictione proferuntur. Ratione cujus sit.

PROPOSITIO I.

Licitum est, tam in judicio quam extra judicium, jurare cum restrictione mentali, non habito respectu ad intentionem juramentum petentis.

2. QVem articulum, ad requisitionem ArchiEpiscopi Mechlinienſis, reprobavit Facultas Theologica Lovanienſis, Anno 1653. à qua etiam, ad instantiam Episcopi Gandavenſis reprobatus est, qui sequitur.

PROPOSITIO II.

Qui mediante commendatione vel munere, ad officium publicum promotus est; poterit cum restrictione mentali præstare juramentum, quod à similibus solet exigi, non habito respectu ad intentionem exigentis.

CVjus assertionis ratio mox subditur, quia non tenetur fateri crimen occul-

tum

tum: His duobus succedit tertius, quem in sua Synodo Diœcesana interdixit Episcopus Namurcensis Anno 1659. tanquam novum, periculosum & salutis animarum destructivum: & est qui sequitur.

PROPOSITIO III.

Siquis solus vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propria sponte, sivè recreationis gratiâ, sivè quocunq; alio fine juret, se non feciſſe aliquid, quod re verâ fecit, intelligendo intra se aliquid aliud, quod non fecit, vel aliam diem ab ea, in qua fecit, vel quodvis aliud additivum verum, reverâ non mentitur, nec est perjurus.

VErba Episcopi censurantis hæc sunt: *Quia experientia comperimus varias variorum opiniones valde periculosas prodire in lucem, non sine magno animarum detrimento: Ideo mandavimus hic inseri instructionem nostram, cui, quisque confessarius Diœcesis nostræ, se conformare promittet, sub pœna reje-*

ctionis; & in casu non servati post admissionem promissi, sub pœna suspensionis, donec illi paruerit; Imprimis monetur serio omnis confessarius, ut in consulendo, judicando, absolvendo abstineat ab opinionibus novis, periculosis, & salutis animarum destructivis: quam censuram, tanquam à particulari Episcopo profectã parvi scio, facient ij, contra quos agitur: nihilominus justè censuratas omnes tres jam allegatas propositiones, omnemque restrictionem mentalem juramento firmatam, ipsa ratio suadet.

3. Primo, quia primo principio legis naturalis: *Quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*; diametraliter oppositæ: quinam enim ex inventoribus talium sententiarum æquo animo ferret, si per artificium restrictionum mentalium sibi ab aliis illuderetur? *usque adeò* inquit *August lib. 1. de doctrina Christi: cap 36. rationalis natura refugit falsitatem, & quantum potest devitat errorem ut falli nolint etiam quicunque amant fallere:* Cur ergo tales; quod sibi fieri nolunt alios verbo & exemplo facere docent & faciunt? cur non formidant, ne discipuli usurpa-

mentã-

mentalium restrictionum ab ipsis edocti, eundem in magistros aliquando retorqueant. Novi ego superiorem, qui dum cuidam è subditis, vice quadam per mentalem restrictionem illusisset asserēs, cujus contrarium is certo sciebat, hoc premij reportasse, ut subditi verbo & exemplo illius edocti continuis restrictionibus mentalibus, ejusdem interrogationes, justè & ex officio factas illuderent, sicque, quia alteri fecit, quod pati noluit, & ipse, quod noluit, pati debuit: *si, quod quis fecit, patitur, justissima lex est*, inquit *Philosophus 5. Ethic. cap. 5.* Certum est enormius delinquere tales pravitatis doctores, quam executores, & iniquos legislatores, quam iniquitatis perpetratores.

4. Secundo, quod ipsismet restrictionum mentalium doctoribus, etiam, dum docent earum usum, fides adhibenda non sit, forte enim eo ipso quo eas docent, mentaliter restringunt, & quod verbis pronunciant, licitum, aliter sentiendo in corde credunt illicitum. Quod si etiam jurato id asserunt, quod sic in corde sentiant, ut ore proferunt, neque se uti restitutione mentali, quis

eis fidem habebit, cum nesciat quis, an utendo juramento, non utatur restrictione mentali: *quomodo credendum est ei*, ait *S. Augustinus libro de mendacio cap. 8. qui putat aliquando esse mentiendum, ne forte & tunc mentiatur, cum præcipit ut ei credamus.*

5. Tertio posito licito usu mentalium restrictionum etiam in juramentis, nulla in mundo lis finiri poterit: *homines* ait *Apostolus ad Hebr. 6. per majorem sui jurant, & omnis controversiæ eorum finis ad confirmationem est juramentum.*

6. Quarto adversatur institutæ vocũ significationi, adhoc enim voces institutæ sunt, ut per eas alter alteri mentem suam aperiat: hinc *S. Augustinus Enchri cap. 22. utique ait, verba propterea sunt instituta, non per quæ homines se invicem fallant, sed per quæ in alterius quisque notitiam cogitationes suas perferat. Verbis igitur uti ad fallaciam, non ad quod instituta sunt, peccatum est.*

7. Quinto usus mentalium restrictionum est eversivus omnis societatis & confidentiæ inter homines: *quia homo*, inquit *Doctor Angelicus cap. 2. q. 109. a. 3. ad. 1. est animal sociabile: naturaliter unus homo debet alteri id,*

sine quo societas humana servari non potest. Non autem possunt homines ad invicem convivere, nisi sibi invicem crederent, tanquam sibi invicem veritatem manifestantibus: quænam enim societas coalescere inter eos poterit, quorum alter alteri pro affirmatione negationem, aut vice versa obtruserit? Omnis certe confidentia perit, si quis ab altero, quem sincerum putabat, circumventum se videat, & pro veris sibi falsa, & pro falsis vera, præter opinionem divendita.

8. Sextum est, quod ex proposito & scienter proferens enunciationem falsam, sola mentali restrictione verificabilem, mentiatur, certum est autem mendacium utpote intrinsece & ex natura sua malum, semper esse illicitum, nec ulla circumstantia posse justificari & licitum reddi: Authores porro veteres loco mendacij, intellexisse restrictiones mentales, testis est quidam Neotericus, excusans *Originem, Abbatem, Joseph, Cassianum* & quosdam alios, mendacio in speciem saltem patrocinantes, quod nomine mendaciorum intellexerint mentales restrictiones; Adeoque cum juxta illum Sancti

Patres per mēdacia tales restrictiones intel-
lexerint, utique talia erunt, alias hoc asseren-
do, mendacium commisissent: Et esse reve-
mendacia sentit *D. Thom. 22. q. 111. ar. 1. in*
corp. ubi veritati inquit *opponitur, quod ali-*
quis per verba exteriora aliud significet, quam
quod habet apud se, quod ad mendacium perti-
net: consentit *S. August. q. 68. in Leviticum,*
cum falsum, ait: *à sciente dicitur, procul dubio*
mendacium est, sivè illo quisquam, sivè nemo
lædatur: & lib de mendacio cap 3. ille mentitur
ait: *qui aliud habet in animo, & aliud verbis,*
vel quibuslibet significationibus enunciat.

9. Sed usum restrictionum mentalium
etiam in juramētis adhiberi solitarum, acer-
rimè censuravit facultas Theologica & Ju-
ridica Lovanienſis: Cum enim sibi duæ quæ-
stiones fuissent propositæ: quarum prima
erat.

I. *An liceat ambire magistratum aut offi-*
cium, sollicitando suffragia Collatorum
promissis symposiis, pecuniis, muneri-
bus, per se, vel suos; & nihilominus
consue-

consuetum juramentũ cum restrictione mentali facere, quod nihil dederit.

II. *An liceat in hunc finem pecunias, munera &c. accipere, per se, vel suos, & tamen jurare, se nihil accepisse.*

AD utramque, sicut & supra allatas propositiones, restrictionibus mentalibus patrocinantes, ut sequitur, respondit.

10. *Respondetur, non licere. Et quisquis eorum aliquid, quæ in istis formulis tanguntur, juxta quod planissimè verba sonant, fecerit; & tamen juraverit se non fecisse: est indubitati perjurij reus. Non est ista in puteum Democriti abstrusa veritas, ut nonnulli putant, sed ita perspicuè oculis humani generis exposita: ut non minùs dolendum sit, imperitorum animos propriis cupiditatibus ita obscurari, ut eam, jam olim inter ethnicos indubitatam, à peritioribus veluti dubiam discutiendam censeant; quàm ipsos peritos cupiditatibus alienis usque adeò lenocinari, ut rem lucidissimam tortuosis ratiocinationibus quodammodò obruere, ac de*

conſcientiâ hominum delere velle videantur. *Quid enim? an fortè non eſt jus jurandum, quo ſe dicunt ſanctè promittere, tactisque Evangeliis jurare? An non diſertis verbis omnia & ſingula ſe feciſſe vel facturos eſſe negant*, per ſe, per alios, directè vel indirectè, quocunque modo, *quæ ſecundùm apertiſſimum verborum, quem ex Principis, Reipubl. mente habent, & omnium hominum ſano judicio præ ſe ferunt, eos feciſſe vel facere ſe ſciunt, & in ipſo caſu ſupponuntur? Falſum ergo eſſe ſciunt, quod jurant, & proinde perjurium eſt.* *Quid enim perjurium, niſi jurare quod falſum quis arbitretur: videlicet non ſe feciſſe vel facturum eſſe, quod ſe feciſſe aut facere norit? Vnde Auguſt. Serm. 28. de verbis Apoſt. c. 2. totius humani generis ſenſum de illa veritate promens*, Da, *inquit*, alium, qui ſcit falſum eſſe, & dicit verum eſſe, & jurat tanquam verum ſit, quod ſcit falſum eſſe. Videtis, quam iſta deteſtanda ſit bellua, & de rebus humanis exterminanda! Quis enim hoc fieri velit? omnes homines talia deteſtantur. *In quo genere jurantium viderint illi num ab Auguſtino comprehenſi ſint, qui ſciunt ſe pren-*

ſatio-

sationibus, promissis vini, cerevisiæ, pecuniarũ effusionibus, nundinatos esse Magistratus, Lectiones aut officia: & scientes videntesq3, coram scientibus, Deo ipso, quem testem invocant, inspectante, nihilominus jurant non feciſſe: videant, inquam, etiam atque etiam, utrùm ipſi non ſint, qui jurant tanquam verum ſit, quod ſciunt falſum eſſe; *& ſimul videbunt, quàm* deteſtandæ belluæ, & de rebus humanis exterminandæ, *veritate per os Auguſtini loquente, decernantur. Cujus quidem rei ratio ut enucleatiùs intelligatur, & occurratur frivolis quorundam cavillationibus, quibus tanquam ficulneæ foliis turpitudinem tegunt: ſciendum eſt, certam, receptiſſimamq3 eſſe veritatem, etiam apud illos, qui quàm maximè habenas adulterandæ veritati laxaverunt, fallacijsq3 verborum perturbarunt humani generis commercium, Eum, qui ſponte ſuâ, nemine, niſi propriâ ambitione aſſequendi honoris, impellente, juramento ſeſe ingerit, & ejus neceſſitati ſe exponit; atque interim Princeps vel per ſe, vel per ſtatutum juſtiſſimis de cauſis latum, præcipit, ut juret veritatem, non poſſe aliter jurare, quàm ſecundum mentem Principis ac*

statuti. Tunc enim, quidquid aliàs licere vel
non licere quispiam dixerit, cessat omnis caus
vel in speciem legitimæ fucandæ veritatis. Nam
& Princeps, ut supponimus, legitimè jubet, &
Principi legitimè jubenti obediendum esse lex
humana & divina, & naturalis, & æterna ju-
statur; nec Principi obediri potest, nisi eo sensu
jurando, quem mens Principis postulat, & ipsa
verba planissimè profitentur. Nam in illis
circumstantiis, nescio quo privato sensu à sensu
Principis, & statuti & Reipubl. & omnium
hominum âlieno jurare, non est obedire Prin-
cipi, sed illudere: neque calliditas ista perjuri
jurantem liberat, sed eum reddit Principis in-
dignatione, & humani generis detestatione di-
gniorem. Omnem enim fidem ex ejus commer-
cio funditùs tollit, qui in tam rationabilibus
circumstantiis adhuc à verborum strophis, &
occulti sensus versutiis præsidium petendum
putat. Atque hæc omnia in præsenti casu con-
currunt liquidissimè. Nam & Princeps legiti-
mus jurari veritatem jubet, & legitimè jubet,
& tota respublica id, quod jubet, probat, & quo
sensu jubeat, verba clamant, ut vel tardissimi
notum est: & res gravissima est, & Reipubl.

omnino

omninò necessaria, & neminem ad jurandi necessitatem adigit, nisi propriæ ambitionis æstus, qui ad honores per ambitus corruptelas anhelat & properat. Quis igitur dubitet, hìc fidem atque synceritatem jussui statutoque Principis, & expectationi Reipublicæ deberi, nisi qui dolosè jurando fallere, & omnem loquendi synceritatem, omnem juris jurandi fidem ex hominibus exterminatam cupit? Cui enim, quando, quomodo quisquam injurato credat, si neque juratis hic tuto credi potest? Si, inquam, liceat hìc commentitio verborum fuco Principis & Reipublic. & omnium hominum expectationem fallere; & de cœpis interrogatum, de aliis jurare? hoc enim non jurare, sed pejerare est. Nam, ut optimè verissimè q; Sanctus Augustin. Epist. 224. Expectationem eorum quibus juratur, quisquis deceperit, periurus est: *quod cum prædictis saltem circumstantiis, si unquam, absolutissimè verum esse, nullum dubium esse debet. Quam perversitatem nimis Reipubl. etiam in loquendo, nedum in jurando, pernitiosam graviter prestrinxit Tertull. lib. 4. cont. Marc. 38.* Justa & digna præscriptio est, in omni quæstione ad propositum

tum interrogationis pertinere debere sen-
sum responsionis. Cæterùm aliud consulen-
ti aliud respondere, dementis est. *Et August.*
Epist. 224. fallaciis pejerantium terminos col-
locans, fidentissimè dicit: Illud sanè rectissimè
dici non ambigo, secundùm expectationem
illius, cui juratur, quam novit ille, qui jurat,
fidem jurationis impleri: nam verba difficil-
limè comprehendunt maximè breviter sen-
tentiam, cujus à jurante fides exigitur. Vnde
perjuri sunt, qui servatis verbis: expectatio-
nem eorum, quibus juratum est, deceperunt.
Propter quam, credo, absolutissimam Augu-
stini resolutionem Veritas illa in Jus Canoni-
cum, sancto Isidoro Hispalensi Episcopo cap.
Quæcunq; arte. 22. q. 5. verba præformante,
translata est. Quâcunque arte verborum
quisque jurat, Deus tamen, qui conscientiæ
testis est, ita hoc accipit, sicut ille, cui juratur,
intelligit. Dupliciter autem reus fit, qui &
Dei nomen in vanum assumit, & proximum
dolo capit. *Vnde perjurium simul ac dolum in*
hujusmodi jurejurando, quod ad privatas in-
tentiones relicto legitimo verborum sensu de-
torquetur, non minùs Isidorus atque Augusti-
nus

nus detestantur ; dum non minùs ita jurando quàm proximum dolo capiendo, *jurantes reos fieri volunt. Nempe uter q3 regulam à Spiritu Sancto fixam intuebatur : qui cùm rogaretur à Propheta suo,* Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo ? *planissimum responsum dedit, non solum dicendo,* Qui loquitur veritatem in corde suo, *quod omnes isti Principum & Reipubl. Ludificatores pro se jactitant ; sed etiam addendo,* Qui non egit dolum in lingua sua : qui jurat proximo suo & non decipit. *Quantò justiùs addas, qui jurat Regi suo & Reipubl. & non decipit ? Nam hujusmodi deceptio, si suspiam, certè in istis nostri casus circumstantiis, tam æquis ex parte Regis & Reipubl. tam iniquis ex parte ambientium, qui ultrò præcipites in istas mentiendi & pejerandi angustias ruunt, maximè detestabilis est : ut sanè adversùs tales potissimum sententias suas Scriptura & veteres isti pronuntiaverint, quibus & Zacharias exitium comminatur:* Hæc est maledictio, quæ egreditur super faciem omnis terræ : & veniet ad domum jurantis in nomine meo mendaciter, & consumet eam, & ligna ejus, & lapides ejus.

11. Deinde ex alio capite, doctrinæ istius veritas perspicuò constare potest: quando enim à Principe, vel Collegiis popularibus aliquis ad Magistratum vel professiones Academicas adsciscuntur, inter Eligentes Electosq; expressum hoc intercedit pactum, ut non aliâ lege ad Magistratum aut Professionem admoti censeantur, quàm si solemni jurejurando hi se de ambitu purgaverint; illi verò præterea se virtute idoneos, Officiis atque Lectionibus, citra personarum acceptionem, ac munerum sordes, se admoturos receperint, juxta formulas Juramenti suprà descriptas. Jam verò certum est, & omnium Doctorum sententiâ indubitatum, à conventionibus pactisq; mutuis, sive tacitis sivè expressis, omnem abesse debere fraudem, dolumq; malum; multoq; magis à Sacramentis, quibus conditionem appositam se servaturos alter alteri spondet ac jurat. Est autem fraus, dolusq; malus, Tract. 7. in Joan. & in Ps. 5. & 14. sicut scit omnis, qui verba Latina intelligit, cùm aliud agitur & aliud fingitur, inquit Augustinus; vel, ut alibi post Philosophos Tull. l. 3. offic. dicit: Cum aliud agitur, aliud simulatur: cùm aliud ore profertur, aliud

pectore

pectore tegitur. *Quod qui faciunt, ut olim rectè quidam dixit,* perfidi, improbi, malitiosi sunt: *qui autem Dei testimonio fidem simulationis istius supplere volunt, perfidiæ addunt perjurium. Alter utrum autem quisquis tanquam licitum in conventiones humanæ societatis admittit, omnia profectò vincula mutui commercij disrumpit, omnem fidem adimit dicentibus, promittentibus, jurantibus; pontemq; sternit, per quem omnes fraudes, mendacia perjuria tutò transeant. Hoc certè scio, quisquis hujusmodi restrictionum, vel potiùs fraudum aut mendaciorum, strophas in mutuis conventionibus permissas putat, nemini succensere debet, qui sibi juranti, cœlumq; & terram in fidei subsidium invocanti, non crediderit. Quâ pœnâ talibus nulla forsan justior, & ad perversitatem illam corrigendam opportunior infligi posset: nimirùm, ut suam omnibus hominibus fidem in loquendo suspectam esse sentiant, qui eam ex hominibus docendo sustulerunt. Fixum ergò ratumq; maneat, â pactis mutuis omnem abesse debere fraudulentiam: omnem ergò occultam restrictionem, quæ verbis ex mente paciscentium non comprehenditur.*

tur. Tanto enim pernicioſior ille dolus eſt, quanto latentiùs lædit; tanto deteſtabilior, quanto majori hypocriſi ſub integritatis pallio latet. Ex quo naſcitur, ut omnium gentium judicio, quisquis in paciſcendo, pactiq; conditionibus jurejurando ſanciendis, etiam hoſtem, nedum Principem fefellerit, aliud animo cogitans, aliud verbis præferens, ſacrilegus & perjurus ſit. Talis judicatus eſt olim Cydias, qui cùm aurum ex depoſito reddendum ſuſcepiſſet, baculum, cui illud incluſerat, Archetimo cuidam, qui depoſuerat, manu tenendum tradidit, interea à teſtem invocans Deum, cum verſute mentis interpretatione, ſe aurum ei reddidiſſe. Sed Deo ſuam à fraudibus vindicante veritatem, baculus per Archetimum iratum fractus, aurum effuſum, dolus detectus fuit; Cydias cum deteſtatione humani generis malâ morte periit. Tales & illi multò potiori jure ſunt, qui cum Profeſſionem, vel magiſtratum, ſub lege præſtitæ vel præſtandæ integritatis, à nundinationum ſordibus, acceperint, eamq; pecuniarum & munerum acceptione apertiſſimè violaverint; audacter jurant, eam ſe præſtitiſſe, videlicet (ſicut mentis reſtrictione Principem ſuum la-

um ludificantur) quia non acceperunt, ut non nemo, publicè: *ut alij*, non ab indignis: *ut alij*, non ultra solitum. *Quasi verò acceptio clancularia, aut ab eis quos ipsi dignos judicant, aut per corruptos hominum mores jam consueta, non sit acceptio munerum, non sordes, non damnata impositâ lege corruptelæ. Sic enim, his authoribus, etiam Romanus populus dejerare potuisset, se nihil omninò accepisse, quando usq; adeò consuetudine quâdam ambitus invaluerat, ut corruptelis uterentur*, ut opificio consueto: *palamq; in foro, mensæ pecuniis plenæ ponerentur, quibus suffragia populi redimerent. Nihil enim ultra consuetum, nihil nonnũquam palam, nihil sæpiùs ab indignis accipiebant. Nam Cæsar inter cæteros industriâ, fortitudine domi belliq; clarus, & per quàm dignus fuit, qui Gallicarum opum profusione obnoxiam teneret plebem. Sed quemadmodùm nemo dubitat, intolerandas istas fuisse Romani populi corruptelas, ita & nostrates esse, certum est: & neutræ restrictionum beneficio inter jurandum interposito, à manifesti perjurij labe excusari possunt.* Fraus enim astringit, non dissolvit periurium. *Nec verò veritas ista tam*

obscura

obscura est, ut vel in solis Doctoribus Eccles
sticis, vel in Sacris Litteris quærenda sit. Vid
eam, scripsit, opereq; expressit impietas Pa
norum, ut pietas Christianorum nostrorum
erubesceret. Marcus enim Attilius Regulus
cum à Carthaginensibus captus, eis non per Sa
cramenta Dei veri; sed per dæmonum inqu
namenta jurare cogeretur, ut nisi captivorum
commutationem impetrasset, rediret ad carc
rem; non putavit in istis angustiis aliquâ fa
randi dexteritate sibi posse subvenri, sed hon
rendos corporis cruciatus sibi revertendo sub
eundos potiùs arbitratus est, quàm fallacia
suum de reditu jusjurandum intelligendo, e
non redeundo, pejerare. Perjurum enim se
mninò fore judicavit, si aliud juraret, qua
quod legitimus verborum sensus præ se tul
quodq; ab illo non Rex, non Respublica sua, s
hostis firmandum sacramenti sanctitate pos
labat. Nam hinc est etiam illud præclarum, q
ab Augustino celebratum, quòd Romana Ce
sura post acceptam Cannensem cladem nul
retinere in numero Senatorum, non solùm c
qui metu mortis crudelium q; pœnarum ap
tissimè pejerare, quàm ad castra Pœnorum r
dir

dire maluerunt; sed etiam illos, qui reatu perjurij se putaverant absolutos, quia post præstitum jusiurandum quasi aliquid obliti, fictâ nescio quâ necessitate, reversi fuerant, quam quodam jurandi artificio præter mentem eorum, quibus juraverant, excepisse videbantur. Omnibus enim notis ignominiisq; confectos esse tradunt, ut quidam eorum mortem sibi extemplò consciverint: cæteri non foro solùm omni deindè vitâ sed propè luce, ac publico caruerint. Ita non attenderunt, inquit Augustinus Epist. 224. qui eum Senatu pepulerunt, quid ipse jurando cogitasset, sed quid ab illo ji, quibus juraverat, exspectarent. Hæc legimus, hæc miramur, hæc infidelium sensa & facta laudibus in cælum tollimus; & nos Christiani disputandum putamus, utrùm perjuri sint, qui non hostibus, sed Reipubl. & Regi suo, nullo mortis justæ vel iniustæ, nullò carceris arcendi metu, sed solo ambitionis æstu stimulante, ultrò sese ad Magistratum & Officia, & inde ad jusiurandum subeundum offerunt, scientiâq; facti sui, & conscientiâ reclamante dejerant, nihil eorum se fecisse vel facturos esse, quæ jurisiurandi formula exprimuntur? Et

quod

quod magis intolerabile est, ad hoc nefas, quasi licitum, viri boni, nescio quâ Theologiæ quasi limatioris fiduciâ, annuendum esse decernunt. Quid enim est hoc aliud, quàm artem fallendi Principem & Rempubl. adeoq; peierandi tradere, si verum est, quod verissimum esse in casu longè mitiori docuit Augustin. Epist. 21. Perjuros esse, qui servatis verbis, exspectationem eorum, quibus juratum est, decepe-runt? *Quæ si temporibus Augustini monstra sententiarum prodiissent, quantâ vocis contentione & animi gemitu iterum juxta doctrinæ suæ jam traditæ regulam exclamasset: Lib. contra mendac. c. 18.* Et sunt in eis docti, qui etiam regulas figunt, finesque constituunt, quando debeat, quando non debeat pejerari. O ubi estis fontes lachrymarum! & quid faciemus, quo ibimus, ubi nos occultabimus ab irâ Veritatis, si non solum negligimus cavere mendacia, sed audemus insuper docere perjuria?

12. *Ab hujus labe criminis aliqui se immunes putant, quòd non aliter censeant intelligendum hoc Jusiurandum, vel aliter à Principe intelligi, quàm ne corrumpantur dum*

promiſſíve Collatores, ut in perſonam indignam ſuffragium ſuum conferant. Argumento eſſe, quòd Princeps ſciat iſtam donandi potendiq; conſuetudinem, nec in ſtatuti (ut ſonat) tranſgreſſores animadvertat. Ita vindex criminum, in eorum patrocinium accerſitur: ſed toto cœlo falluntur; primò, quia ex conniventia Principum, ſcelerum licentiam colligere fallaciſſimum eſt argumenti genus. Nam in criminibus vindicandis multa poſſunt Principes, quæ non expediunt; multa expediunt, quæ non poſſunt; multa poſſunt & expediunt, ſed opportuniùs differuntur; multa, quia publicæ probationis luce deſtituta, quamvis ſeveriſſimè punienda, relinquunt Deo, qui ſolus occultorum teſtis, & Judex eſt. Deindè, quòd putant Principem & Rempubl. intelligere cum iſta reſtrictione juramentum, ſine dubio falſum eſt. Primò, quia non poteſt cadere in priorem juramenti partem, quâ quiſque jurat, ſe non ambiviſſe muneribus Magiſtratum. Illius enim ſenſus abſolutus eſt, quòd munera nulla dederit, quibus ſuffragia compararet, ſe poſitâ omni dignitatis indignitatiſq; conſideratione. Quid enim magis ſingi poſſet fatuum,

quàm jus jurandum ab aliquo de sua dignitate seu capacitate postulare, ut videlicet juret, nullis muneribus, quibus eligentes corruperit, se ambivisse, ut se indignum eligerent? Igitur neque restrictio illa in posteriorem partem cadere potest, quâ ijdem jurant, se munera non accepturos. Disertè enim additur, quòd similiter, sivè eodem sensu, quo jurant se non dedisse, jurent se non accepturos esse munera. Deinde, quemadmodum officia conferre indignis propter munera, gravis noxa Reipubl. est, ita & muneribus corrumpi, ad officia minus dignis conferenda, præteritis dignioribus, Reip. vehementer noxium est. Virumque ergò incommodum amoliri voluerunt, qui in bonum Reipubl. istas jurisiurandi formulas præscripserunt. Denique, quia juramenti objectum, sensus, & veritas ex verborum, quibus expressum est, significatione pendet, non ex conceptibus, quos sibi pro arbitrio jurantes formant. Et mentali autem restrictione verborum significationem suspendere, est omnem istorum vocabulium signorum vim ac certitudinem, adeoq; omnem humanæ societatis fidem, quæ citra hãc subsistere nequit, uno lathali ictu interimere.

re. Cùm ergo in præscriptis jurisjurandi formulis nullum verbum sit, quod vel dignitatis vel indignitatis significationem præ se ferat, non est illa juramenti interpretatio, sed adulteratio. Dignitatis ergò eorum, qui concurrunt, æstimatio, conscientiæ cuiusq; juxta naturæ legem relicta fuit, non autem juramento illigata, propterea quòd plerumque illius comparatio incertior sit, quàm ut juramento asseri possit: mala autem fides in illa spectanda secretior sit, quàm ut deprehendi possit. At verò quia munerum oblatio Collatorum judicia excæcare, & affectum potentissimè ad se trahere solet, illæq; synceritatis pestes facilè notari possunt, in eas cautio juramenti palàm directa fuit, ut universim excluderentur. Ad extremum Rex ipse sensum juramentorum talium nuper perspicuè exposuit. Nam in Edicto anni 1626. quo Sacramentum omnibus officiorum Candidatis imponitur: disertissimis verbis declarat, se non permittere, ut Collatores officiorum ex eis emolumentum suum capiant, non magis venditione, aut elocatione, quàm aliâ quacumque ratione: neque ut quisquam accipiat aut largiatur quicquam

respectivè in recognitionem aut gratitudinem, directè vel indirectè, quocumque modo. *An dignis vendere & elocare, à dignis pretium emungere, caveas cerevisiarias exmungere, non est suum captare emolumentum?* *Hinc ulteriùs in eodem Edicto cuncta officia, quæ talimodo extorta fœdataq; fuerint, ipso jure vacare & impetrari posse decernuntur.* *An dignorum officia, non sunt officia? Hinc quotquot præterea à pretij alicujus accepti aut dati culpâ detinentur, ab officijs deijciendos & ad hoc ipsum vel aliud administrandum totâ vitâ inhabiles esse sancitur.* Quæ profectò manifestissimè clamant, omnes omninò quorumlibet corruptelas sivè digni, sivè indigni videantur Candidati, Regis Sanctione esse suppressas. Et sanè remedium, quod sordibus officijs coërcendis jam olim publicâ authoritate oppositum fuit, hoc sensu intellectum nullius fuerit, esseve poterit utilitatis: *Juramento enim satisfecerit, fidemq; purgaverit suam, quisquis juraverit se dignum putaviſſe, qui reverâ indignus fuerit, adeoq; jurisiurandi violati non nisi à Deo ipso damnari poterit.* Neque minùs contra scopum hujusce Regiæ Sanctionis tendit, quod dignus

dignis, quàm quòd ab indignis accipiantur munera. Toto enim Edicto illud inprimis spectat Princeps, quemadmodum latè in ipsa Præfatione aliisq; locis declaratur, ne populus exactionibus, aliisque illicitis emungende pecuniæ modis, à Magistratibus Præfectisque suis opprimatur, dum pretium, quod in venandos honores & officia, plenâ manu fusum fuit, paulatim iterum cum fœnore colligitur. Quod profectò malum Reipubl. ab omnibus illis ambitiosis suffragiorum corruptionibus imminet. Nec verò unquam hujusmodi leges & Juramenta sic intellecta fuerunt in Rebuspubl. quæ sordes ambientium severè coërcendo, oppressiones justitiæ & populi, aliáque mala, à cervicibus suis arcere voluerunt. Testis est Romana, in qua semper Ambitus, hoc est, criminis affectati per peram honoris, fuerunt rei, quotquot in se populi suffragia pretio pertraxissent, sivè do cætero digni, sivè indigni haberentur. Qua de causa crimen istud etiam in maximis illius Reipubl. viris tum accusatum, tum magnâ severitate vindicatum est. Nam ut Salust. in Conjur. Catil. vir bonus ad honores & imperium verâ viâ, hoc est, ut eum exponit Au-

gustin. lib. 5. de Civit. cap. 12. virtute, nititur, malis dolis atque fallaciis contendit: Inter quas profectò munerum corruptelæ non infimum locum tenent. Itaque postquam suffragiorum invaluisset corruptela per adulteratos populi mores, & Cato legem à Senatu ferendam curasset, quò Magistratus designati, singulos accusatorem haberent, Jurato judicio se offerre cogerentur, atque ibi rationem parati Magistratus reddere; etiam perjuri habiti sunt, non solum suffragatores, qui pretio in Candidatos traducti probarentur, sed etiam Candidati, si cujus facta sacramento ejus dissona probata fuissent. Quam propterea legem ita timuêre Candidati, ut periculosissimus tumultus adversùs Catonem concitatus fuerit. Nimirum, quia nondum didicerant à Christianis Ethnici dexteritatem deponendi istius motus: subtilem, inquam, illam Theologiam, qua legitimam Reipubl. Sanctionem de nonconparandis aut vendendis pretio suffragiis, qui juxtà Reipubl. mentem violassent, sine perjurio se non violasse jurarent. Perjuri igitur fuerunt Ethnicorum judicio, qui Magistratus aut officia pretio ambientes, se pretium non dis-

disse dejeraſsent. Perjuri fuerunt, etiam Imperatorum judicio, Theodosij & Valentiniani, qui cùm jussissent Magistratus Juratos inter gesta depromere, se pro administrationibus fortiendis, neque dedisse quidpiam, neque daturos unquam posthmodum fore, sivè per se, sivè interpositam personam, in fraudem legis Sacramentique; *quæ formula hodierno juramento, de quo tractamus, est simillima: adversùs transgressores, tanquam publico crimine neglecti Sacramenti perjuros, addunt,* Siquis ausus fuerit præbita Sacramenta negligere, non modò adversùs accipientem, sed etiam adversùs dantem accusandi cunctis tanquam crimen publicum concedimus facultatem. *Quod si quis à Romanis Imperatoribus, & Ethnicis Senatoribus, & priscis Romanæ Curiæ Censoribus tanquam Theologiæ imperitis, ad subsellia Theologorum Christianorum provocandum putet, profectò causa, de quâ satagimus, finita est. Perjuri enim fuerunt, etiam Principis Theologorum Augustini judicio: qui de tali suffragiorum suorum nundinatore populo, quia juratus in suffragia mittebatur, sine fluctuatione decernit Augustin.*

lib. 3. de Civit. cap. 2. Quid aliud toties Senatores corrupti in Judiciis, toties populus in suffragiis, vel in quibusque causis, quæ apud eum concionibus agebantur, nisi etiam pejerando peccabant ? Nam corruptissimis moribus ad hoc mos jurandi servabatur antiquus, non ut à sceleribus metu religionis prohiberentur, sed ut perjuria quoque sceleribus cæteris adderentur.

Cui Censuræ subscribit quoque *Caramuel Doctor* itidem *Lovaniensis Theol. fundam. n. 1282. Est mihi* inquiens *innata aversio contra restrictiones mentales: Si enim continentur intra terminos pietatis, & sinceritatis, necessariæ non sunt, nam omnia quæ ipsæ præstare possunt præstabunt consignificantes circumstantiæ. Quod si tales dicantur, ut etiam ibi admittendæ sint, ubi desunt circumstantiæ significantes: ignoscant mihi earundem authores, & propugnatores, tollunt humanam societatem, & tanquam pestiferæ damnandæ sunt: quoniam semel admissæ aperiunt omni mendacio, omni perjurio viam & tota differentia in eo erit; ut quod heri vocabatur mendacium, naturam & malitiam non mutet sed nomen; ita ut hodie*

jubeatur

jubeatur restrictio mentalis nominari. Quod est virus condire sacharo, & scelus specie virtutis colorare. Hæc ille longe salutarius quàm qui docuit: Posse absque mendacio verba usurpari etiamsi ex sua significatione non sint ambigua nec eum sensum verùm admittant ex se nec ex circumstantiis occurrentibus: sed tantum verum sensum reddant ex aliquo addito mente proferentis retento quod cumque illud sit: ut si quis vel solus, vel coram aliis, sivè interrogatus, sivè propria sponte, sivè recreationis gratia, sivè quocumque alio fine juret se non feciſſe aliquid, quod revera fecit: vel aliam diem ab ea in qua fecit, vel quodvis aliud additum verum: revera non mentitur, nec est perjurus, sed tantum non diceret unam veritatem determinatam, quam audientes concipiunt, ac verba illa ex se significant, sed aliam veritatem disparatam.

ARTICVLVS VII.

Continens Propositiones, contra tertium Decalogi Præceptum à Neotericis, Adinventas.

I. TErtium decalogi Præceptum, quod quantum ad substantiam, est morale, quantum verò ad modum, positivum, directe quidem sub se continet auditionem missæ, & abstinentiam ab operibus servilibus, & quibusdam operibus forensibus: Reductivè verò ad ipsum spectant, observatio Jejuniorum ab Ecclesia præceptorum, & lectio horarum Canonicarum in Beneficiatis & ordinatis. Ita *Caramuel. Theol. fund. n. 1537. Coluntur* ait *dies festivi cessatione à servili labore, coluntur auditione Missæ, & horarum lectione, coluntur etiam abstinentia & jejunio* Et *Tamburinus in præf. lib. 4. ad Decalogum. Per sanctificationem seu observationem sabbati præcipitur observatio festorum, quæ nunc propria sunt populi Christiani Eiusmodi autem observatio consistit ex Cajetano in tribus:*

tribus: in Missæ auditione: in abstinentia ab operibus servilibus, in abstinentia quorundam operum forensium. Addo & quartum in observatione jejuniorum quæ instituta sunt certis diebus in honorem Christi & Sanctorum. Et quidem præceptum de audienda diebus dominicis & festivis Missa, laxitatum patroni quodammodo evertunt, dum docent.

PROPOSITIO I.

Satisfacit Præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, qui duas ejus partes, Imo quatuor, à diversis simul celebrantibus, audit.

2. QVam, ad instantiam *Episcopi Gandavensis Ann. 1658.* reprobavit *facultas Theologica Lovaniensis*, & falsam esse, & præceptorum Ecclesiæ elusivam, nec majorem habere apparentiam de quatuor sacri partibus, quam de viginti censuravit: quæ certe argumentatio adeo est manifesta, ut illa etiam non latuerit prædictæ propositionis assertores: Vnde quidam ex illis cum dixisset, qui mediam Missam, v. g. post consecra-

tionem usque ad finem audivit ab uno sacerdote, audiendo postea eodem die ab alio aliam mediam ab initio, v. g. usque ad consecrationem, præcepto satisfacere saltem propter extrinsecam authoritatem multorum, id asserentium probabile esse: Mox subjungit contrariam sententiam se veram iudicare, propter absurdum ab universitate allatum, quod ex ea sequitur, adeoque cum absurdum non sequatur, nisi ex absurdo, juxta illum, eadem sententia probabilis & tamen absurda erit. Prudenter proinde aget qui, qui illam ut sententiam probabilem sequitur, juxta principia supra allata, & tamen absurde aget, prudentiaque illius absurda erit.

PROPOSITIO II.

In audiendo Missam de præcepto, & recitandis horis Canonicis ex obligatione, satis est attentio externa.

3. HAnc idem Author, uti & priorem cum *Sylvestro* & pluribus aliis probabilem affirmat, hoc ductus argumento; quia

quia Ecclesia non potest præcipere actum interiorem, cum non habeat potestatem nisi in exteriora: sed contra hanc insurgit *Cabezudus*, eam falsissimam & prorsus improbabilem asserens, fortiori & Ecclesiæ argumento ductus, quæ præcipit similes actus auditionis sacri & lectionis horarum, ut sint in & à virtute religionis adeoque actus virtutis; qui necessario interiores sunt, cum medium in quò consistit virtus, necessario sit à ratione. Est quoque sciendum, quod præceptum auditionis sacri sit partim naturale, & morale, in quantum à Deo jubetur sanctificatio diei, partim positivum, in quantum tali diei affigitur; cum proinde posterius cadat super prius, vis prioris quo sanctificatio, cultus, adoratio & devotio erga Deum demandatur in suo vigore manet, solaque circumstantia & tempus impletionis adjungitur.

4. Clarius idipsum circa orationem horarum Canonicarum ex Ecclesiæ præcepto elucet, nam *cap. dolentes de celebrat. Missarum* mandat, ut ea fiat *studiose, pariter & devotè*, devotio autem, secundum omnes, est

actus religionis interior, per hoc ab adoratione distinctus. Ex quibus colligere licet idem dicendum de præceptis annuæ confessionis, & communionis, illas enim Deus & Ecclesia, non ut quasdam ceremonias exteriores, sed in ordine ad fidelium sanctificationem & justificationem præcepit: Ne divinas illas maledictiones, comminationes & exprobationes incurrerent, quibus *maledicti* dicuntur *qui faciunt opus Dei negligenter:* & hypocritis & simulatoribus assimilentur, dum exterius se sanctos pios, & labijs Deum honorantes ostendunt, cum tamen cor eorum longe sit ab ipso: Certe simulata sanctitas est duplex iniquitas. *Venit hora & nunc est* ait *Christus Ioan. 4. v. 23. & 24. quando veri adoratores adorabunt patrem in spiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus est Deus, & eos qui adorant eum in Spiritu & veritate*, non sola vocis resonantia *oportet adorare.* Sed ut mens voci concordet.

5. Indignum revera est, Ecclesiam in præcepto legendi horas Canonicas non plus indicere Clericis & Monachis, quam præstari possit

possit à psittacis. *Humana ratione* inquit *Augustin. in psal. 18. non quasi avium voce cantemus, nam & merulæ & psittaci, & corvi, & picæ, & hujusmodi volucres sæpe ab hominibus docentur sonare, quod nesciunt; scienter autem cantare, naturæ hominis, divina voluntate, concessum est*: & *Laurentius, Justinianus lib. de disciplina Monast. conversionis cap 17. quã sæpe*, ait, *qui divinis occupantur laudibus, solo assistunt corpore, & tanquam garrulæ aves, sine interiore sensu emittunt verba: de talibus, apud prophetã dicit Dominus; populus hic labiis me honorat, cor autem eorum longe est à me; loquitur & ignorat, cui; clamat voce, nec seipsam intelligit, nam totaliter extra se positæ adversum se Deum provocat vehementer*; si provocat vehementer, utique offendit graviter, si graviter certè non venialiter sed mortaliter. Vana proinde & stulta fuit illius jactantia, qui tempore divini officij uno momento cœlum versans altero ad subterranea transiens & millies voluntarias distractiones admittens nihilominus asserere ausus fuit, se certo scire, imò jurare posse, se nequidem per hoc venialiter peccasse.

6. Ad

6. Ad fundamentum ergo Sylvestri supra allatum respondetur, posse Ecclesiam & superiores, actum interiorem saltem indirecte præcipere, in quantum præcipiunt actum exteriorem, de cujus essentia est actus interior, quique sine interiore stare non potest; quod ex consequenti satis colligitur, dum videmus Ordinarios locorum, in eos, qui quidquam contrarium interiori devotioni sub divinis agunt, animadvertere, quod utique non facerent, si vel se actus interiores mandare, vel subditos ad illos obligari non posse, arbitrarentur.

PROPOSITIO III.

Satisfacit Præcepto Ecclesiæ, qui non interest consecrationi.

7. RAtio est, quia potest quis adhærere sententiæ illi, quæ docet, essentiam sacrificij in communione consistere, quæ cum sit probabilis, non peccabit, qui illam sequitur: sed an hæc sit probabilis, judicium penes alios sit. Certum est esse contrarium Doctorum; nec præcepto Ecclesiæ satis-

satisfacit, qui solam illius partem essentialem audit; alias secundum sententiam communem illorum, qui illam in consecratione constituunt, soli illi interessens satisfaceret, quod absurdum est: Ecclesia siquidem, in præcepto auditionis missæ, non ad partem essentialem vel integralem respexit, sed missam audiri præcepit, quæ utique partes tam essentiales quam integrales complectitur.

8. Id quod clarissime indicat *Lay. lib. 4. tract. VII. cap. III. assert. IV. Missa integra audienda est, saltem usque ad sacerdotis benedictionem, juxta Cano. 47. Concil. Agathensis &c. cum ad celebrandas dist. 1. de consecrat. quod sumptum est ex Concil. Aurelianensi 1. Can. 28. qui autem partem aliquam Missæ sine justa causa prætermittit; peccat; venialiter quidem, si sit pars exigua; mortaliter vero, si sit notabilis, ferme autem consentiunt doctores, non esse partem notabilem, ideoq; mortaliter non peccari, si quis à principio Epistolæ, vel secundum alios à principio Evangelij usque ad finem missæ interfit, vel à principio Missæ usq; ad communionem Sacerdotis, qua de re videri potest Sotus cit. quæst. 2. a. 1. §. in calce demum*

articuli,

articuli, S. Anton. p. 2. tom. 9. cap. 10. §. 1. Sylv. verb. Missa. 2. q 1. Navar cap 21. num. 2. & in Enchirid. de orat c. 10. num. 43. Toletus lib. 5. 7. Sa. verb. Missæ auditio. num. 2. Suarez cit. sect. 2. §. secundo.

PROPOSITIO IV.

Missa omitti potest in die festo ob lucrum, quod tum cessaret, si quis illi interesset.

PROPOSITIO V.

Licite quis vadit ad venationem licet præsciat se non posse habere Missam.

9. QVid gratius avaris mercatoribus, causidicis, venatoribus, omnibusq; temporalis lucri potius, quam æternæ salutis cupidis, afferri posset; quam quod valeant liberè, & absque peccato contra præceptum Ecclesiæ Missam omittere, & nihilominus lucro temporali & sensuali suo appetitui, quo inordinate afficiuntur, satisfacere: Nimirum his autoribus plus est corpus, quam anima, lucrum & sensualis oblectatio, quam propria consci-

tonscientia & præceptum Ecclesiæ. Mirũ si Ecclesiæ Prælati hujus præcepti Autores tam fuerint stolidi, ut similes exceptiones non præviderint aut prævidere potuerint: Sed his immorandum non est, præceptum ipsum loquitur, cujus interpretatio, non penes subditos sed penes ejus authorem, vel autoris successorem est: qui utique suorum verborum & præceptorum optimi sunt interpretes. Sicut priores omissioni præcepti ad Missam obligatorij, sic quæ sequuntur omissioni horarum Canonicarum, vel in totum, vel in partem patrocinantur.

PROPOSITIO VI.

Qui legit ea quæ in diurnali continentur, satisfacit officio Divino.

PROPOSITIO VII.

Qui caret breviario non tenetur ex diurnali legere horas.

10. QVibus duabus sententiis tanquam probabilibus præsuppositis (docent

cent enim illam sat famosi & celebres au-
thores) si quis ab obligatione horarum se-
itinere eximere cupiat, consilium cujusda
Neoterici sequetur, ut itineri se commis-
rus diurnale suum conferat, Breviario dom
relicto sequens sententiam priorem se scil
cet per illud posse satisfacere: postquam v
ro se jam itineri commiserit, sententiam
mutet & posteriorem sequatur (neque enim
homo suarum sententiarum & opinionum
est mancipium) sicque quam diu v. g. in iti-
nere erit, & breviario caruerit, absque ulla
peccato & scrupulo horas omittere poterit
quod si talis omittens sit Canonicus, qui in
Angliam, Hollandiam, Sueciam, Norvvegi-
am, Daniam, vel similes partes recreationis
vel linguarum addiscendarum vel peregri-
nas terras moresque hominum dignoscend
causâ proficiscitur longo tempore emansu-
rus; nequidem ad restitutionem fructuum
obligari poterit, utpote absque culpa & pec-
cato horas omittens, cum pœna non nisi
peccato infligatur, & ad impossibile nemo
obligari possit, nec propter ejus omissionem
puniri. Ecce quam favorabilis adinvenitur
Inden-

ludendi Ecclesiasticum de legendis horis Canonicis præceptum.

11. Quod si jam utriusq; assertionis causam inquiras, Prioris utique hæc erit, quod lectiones, quæ in matutinis dici debent, ad substantiam Divini officij non spectent, adeoque sola psalmorum & hymnorum lectione obligationi satisfaciat; posterioris autem, quod qui totum legere non potest, ad nihil teneatur: Sed quam utrumque fundamentum sit frivolum, quilibet seposita affectione facile videbit: Nam primum expresse est contra mentem Ecclesiæ, quæ horarum substantiam modum & ordinem præscripsit, & mandavit: quod mandatum cum sit in re gravi, sub mortali indubiè obligabit, nisi materiæ parvitas excuset: non est autem materiæ parvitas novem lectiones in Romano duodecim in Benedictino officio, voluntarie & scienter omittere; maximè si cum psalmis matutinorum fiat comparatio. Vel graviter hallucinati sunt, qui judicarunt omissionem cujuslibet nocturni esse peccatum mortale, hoc summo rationabili fundamento ducti, quod nocturnum quodvis horam

quamvis

quamvis minorem in quantitate adæquet, si non superet, & sit inter nocturna sicut horas minores si non omnimoda saltem aliqualiter proportionata distinctio.

12. Sic quoque nec secundum fundamentum subsistere potest, certum est enim horas Canonicas inter se esse distinctas, Matutinum scilicet cum laudibus à Prima, Prima à Tertia, Tertia à Sexta &c. & obligationem cujuslibet separatæ horæ esse sub mortali. Communis enim sententia est omnes horas unius diei omittentem, vel unum peccatum mortale virtualiter septuplex, secuti qui uno ictu septem homines interficit vel septem distincta peccata mortalia committere. Cum ergò diurnali horæ omnes minores, & ordinarie etiam psalmi nocturnorum contineantur, indubie quis obligabitur, ut si matutinum ob breviarij defectum legere non possit, saltem alias quas potest horas absolvere non negligat, & si non unum, saltem sex peccata mortalia distinctam obligationem habentia evitare satagat.

13. Ridicula est etiam illa, quam quidam adducit, ratio, qua Benedictinum horam minorem

minorem omittentem, non peccare mortaliter (eo quod illa sit vix media hora minor Romana) arbitratur: non enim tam à quantitate, numero & longitudine psalmorum quam intentione Ecclesiæ, horas distinguentis, & ad quamvis separatim obligantis, sumendum & formandum est judicium: Unde non minus meo judicio, peccabit mortaliter, qui vesperas Sabbathi sancti, quæ in uno psalmulo, cantico, Magnificat, & collecta consistunt, quam qui vesperas Paschales quadruplo vel quintuplo majores omiserit.

Prætereo hic alias plures sententias Præceptorum Ecclesiæ laxativas, scilicet.

PROPOSITIO VII.

Unicâ Confessione, & Communione duorum annorum obligationi satisfieri potest.

PROPOSITIO VIII.

Unicâ officij divini lectione duorum dierum obligationi satisfieri potest.

Propo-

PROPOSITIO IX.

Qui facit confessionem voluntarie nul-
lam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

PROPOSITIO X.

Licitum est quotidie per totum annum le-
gere officium de Resurrectione Do-
mini.

14. SEd quia earum Auctor & Asserto
eas ipse quasi implicitè revocavit, &
jam immediate ante aliquatenus impugnat
& eversæ, omnes etiam *à Sede Apostolic*
Anno 1665. sub Alexandro VII. condemna
tæ sunt: Ad alia progredimur.

15. Præter auditionem Missæ, quilibe
Christianus vi tertij hujus præcepti decla
gici obligatur ad vacandum à quibus liber
peribus servilibus. Prophanatur enim
dem quoque sanctificatio Sabbathi: Vide
est illud *Alexandri III. de feriis ad Epis*
pum Triburiensem rescriptum: Tam vet
quam novi testamenti paginam septimum
em

em ad humanam quietem specialiter deputasse, & tam eum quam alios dies Majestati altissimi deputatos, nec non natalitia sanctorum Martyrum Ecclesiam decrevisse observanda, & in eis ab omni opere servili cessandum. Cujus Deus ipse nobis luculentissimum dedit exemplum, dum die septimo à condito mundo cessavit, & requievit ab omni opere quod patrarat. Vbi bene notandum est quod dicitur ab omni opere scilicet servili, hoc enim solum ab Ecclesia prohibetur, ne ulla detur exceptio, nec quicquam sabbato, qui jam Dominica est, nobis licere credamus, quam quod de Deo dicitur, *benedixit.* hoc præceptum laxant & evertunt qui docent.

PROPOSITIO XI.

Non peccant puellæ diebus festivis in privato suentes & laborantes.

ET hoc ea de causa ne se ad fenestras conspiciendas, præbeant ne garriant, atque ut otium vitent.

PROPOSITIO XII.

Idem possunt Rustici, & Mechanici.

16. TAm ut vitent otium quam ut occasiones potitandi, ludendi & rixandi &c. declinent, quasi vero non possint aliter tales occasiones vitari, ut necesse sit ea propter serviliter laborare. An non potest tempus utiliter transigi piis & indifferentibus ad bonum finem ordinatis colloquiis, piorum librorum lectione, vel eorum auditione, oratione, vel templi visitatione? An non obedientia & divinorum mandatorum observatio melior est quam victima: Certe si pater filio, dominus servo abstinere ab operibus servilibus demandaret, utique illis pareretur: Jam Deo præcipienti, ut diem Sabbathi sanctificemus obedire renuimus: similiter sed ex viliori motivo serviliter laborantes excusant qui dicunt.

PROPOSITIO XIII.

Licitum est pictoribus sine magno apparatu diebus festivis pingere.

17. Hu-

17. HAnc opinionem Author fatetur ideo se, ut probabilem defendere contra communem, quia scit quam ægre pictores apud se sibi persuaderi patiantur, ut festis diebus omnino à pingendo abstineant, idemque format judicium de typographis characteres ordinantibus, quia ipsi in ea persuasione sunt, quod peractà re divinà, quæ præcedentibus diebus neglexerunt, compensare possint; ratio autem motiva est, quod sibi persuasum habeant artem suam esse liberalem, idque propter delectationem quam ex illa percipiunt.

PROPOSITIO XIV.

Licitum est diebus festivis venari, aucupari, piscari.

18. ETsi enim inquit Author venari, aucupari, piscari, ex genere suo servilia opera esse videantur, ideoque jure communi prohibita, sicuti colligitur *ex cap. licet de feriis*, Consuetudo tamen obtinuit, ut festis diebus licitæ sint recreationis causa venatio,

item piscatio in fluminibus sine multo opere ac labore: Maximè cum aliqui sentiant illa non servilia sed liberalia opera esse, eo quod ad animum recreandum spectent. Fundamentum ergo hujus assertionis, sicut & præcedentis est, quod illa non videantur opera servilia, cum fiant recreationis causa: sed quid si aliquis in operibus vere servilibus magnam habeat animi delectationem, an ideo judicari poterunt liberalia? & quid si quis in liberalibus operibus gravamina & fatigationem sentiat, an ideo æstimanda erunt servilia: certe quodvis opus, ex natura sua, non ex accidenti est judicandum, quodsi sint opera servilia ex natura sua, ut Author ipsemet judicat, consuetudo nequaquam illa reddet liberalia; cum præceptum sanctificandi Sabbathum & abstinendi ab operibus servilibus, sit quoad substantiam naturale & divinum, generaliter autem non valeat consuetudo contra jus divinum & naturale, quod eleganter explicat *Panormit. in consilio* 2. & 3. *de consuetudine.*

Propo-

PROPOSITIO XV.

Barbitonsores, sutores, & omnes spe notabilis lucri laborantes, diebus festivis, non peccant, si non fiat ordinarie.

14. IN qua vides totam vim præcepti de sanctificando per feriationem Sabbatho simul & semel elaxari, idque intuitu lucri temporalis, nimirum his Authoribus plus est lucrum temporale quam lex Divina & Ecclesiastica, eo quod suis principiis conformiter illa vix & non multum frequenter obligent sub mortali. Olim mádarat lex divina *Deut. 5. Septimus dies Sabbathi est, id est requies Domini Dei tui, non facies in ea quidquam operis tu, & filius tuus, & filia, servus & ancilla, & bos & asinus, & omne jumentum tuum, & peregrinus qui est intra portas tuas, ut requiescat servus tuus & ancilla tua, sicut & tu.* Huic mandato ad tertium decalogi præceptum, quod ut supra dictum, quo ad substantiam est naturale, quantum ad modum positivum spectanti, successit in nova

lege præceptum de celebranda dominica, in memoriam resurrectionis & abstinendo in eo sicut & omnibus diebus festivis, ab omnibus operibus servilibus, at quia non est additum tota die, hinc occasionem sumpserunt novelli probabilistæ asserendi.

PROPOSITIO XVI.

Per duas horas vocare operibus servilibus, in dominicis, & festivis non est mortale.

20. MOdicum *enim* ut ajunt *non curat Prætor*, & *parum pro nihilo computatur*, modicum autem judicatur duarum horarum spatium comparatione viginti quatuor: nec obstat quod fixum animo teneas te toto anno omnibus diebus dominicis & festivis id efficere velle, & de factoficias, quia unus dies festivus non connectitur cum alio ad hujus materiæ gravitatem effermandam, ex horum sententia, ob eandem causam sequens quoque admitti poterit.

Propo-

PROPOSITIO XVII.

Dominus habens 10. famulos quorum singulis mandat per duas horas successive in eadem Dominica laborare serviliter, non peccat mortaliter.

21. NAm nec opus unius cum opere alterius connectitur, etiamsi ita invicem succedat, ut totus dies labori insumatur; & singulorum labor, juxta, modo dicta, exiguus est. Sed quam futilis hæc sit ratio, ex eo patet, quod talis Herus, ex intentione efficaci cupiat totum diem servilibus operibus insumi, & reipsa id exequi faciat, per suum mandatum: adeoque sicut qui per famulum suum, alterum interfici curat, coram Deo & mundo est homicida, & magis principalis quam exequens; item qui alteri res suas furto auferri mandat, principalior est fur quam immediatus ex mandato, auferens, ita qui famulum vel famulos suos per totum diem festivum contra divinum præceptum, operibus servilibus insudare præcipit; coram

Deo non modo ipse, ex efficaci intentione est totius diei sacri violator, profanator & fur, *quod* enim *quis facit per alium, per se fecisse censetur, Reg. Jur. in 6.* Sed & famulos tali prophanationi simul involuit, qui Deo magis obedire tenentur quam præceptis Dominorum: sileo quod Domini ipsi peccent, si famulos vel famulas diebus festivis laborantes conspiciant, & non corrigant; *qui* enim *non vetant peccare dum possunt, jubent Bald. in L. sicut §. si quid ff. quod cujusque*, adeoque merito *facientem & consentientem par pœna constringit. c. nuper à nobis de Sent. Excomm.*

22. Ad tertium decalogi præceptum spectare etiam observantiam Jejuniorum ab Ecclesia præceptorum dictum est in principio hujus articuli, sed ea non minus à latitatum fautoribus, quam alia evertitur: Inter articulos enim ab Vniversitate *Theologica Lovaniensi* ad instantiam *Episcopi Gandavensis* censuratos & damnatos, unus est, qui sequitur:

Propo-

PROPOSITIO XVIII.

Qui dormire nequit, nisi sumptâ vesperi cœnâ, non tenetur Iejunare, nec in prãdio collationem sumere, & vesperi cœnare.

23. CVjus si rationem investiges, hæc erit, quia nemo tenetur pervertere ordinem refectionum; at quæ causa hujus? daturne forte aliqua in jure naturali vel positivo ejus obligatio vel præceptum. Imo verò Ecclesiæ præceptum directe illi est contrarium, quę tantum ab est, ut vetet perversionem ordinis refectionum, ut potius plures refectiones inhibeat: Jubens determinatis à se quadragesimæ aliorumque jejuniorum diebus omnes Christianos unica refectione esse contentos, quæ an in prandio, an vesperi sumatur in libertate relinquitur: quodsi ex præcepto jejunij nulla debeat obligatis oriri incommoditas, ut quid canit de Deo Ecclesia: qui corporali jejunio vitia comprimis, mentem elevas, virtutem largi-

ris & præmia per Christum Dominum nostrum &c. Certè ardua est ad virtutem via, nec vitia nisi pugnando & carnis mortificatione comprimuntur, sed allegata propositione absurdior castisque auribus horrenda est, quæ sequitur.

PROPOSITIO XIX.

Defessus ex labore licito vel illicito v.g. commixtione cum fœminis, liberatur à lege jejunij.

Favorabiliores sunt quæ sequuntur.

PROPOSITIO XX.

Propter Authoritatem Doctorum probabile est, nullos artifices obligari ad jejunia.

PROPOSITIO XXI.

Vsus matrimonij est causa sufficiens admittenda jejunia.

Propo-

PROPOSITIO XXII.

Qui in die Iejunij sæpius modicum comedit, licet notabile sit, non frangit Iejunium.

PROPOSITIO XXIII.

Omnes officiales in Republica, qui corporaliter laborant, sunt excusati à Iejunio, sive labor sit com-sive incompatibilis cum illo.

PROPOSITIO XXIV.

Excusantur à Iejunio, qui iter agunt equitando, etsi necessarium non sit, & unius duntaxat diei iter conficiant.

24. EX quibus omnibus quid aliud quis inferre poterit, quam in vanum latam Jejunij legem, cum nullus illa teneatur, si enim nulli artifices, quomodocunq; etiam labo-

laborantes jejunare obligentur, jam sutores, sartores, barbitonsores, fossores, ferrarij, Prædicatores, Lectores, Confessarij, Advocati, Procuratores, scriptores, musici, itinerantes, prægnantes conjugati &c. erunt soluti lege Jejunij, quis jam supereſt qui obligabitur? forte Monachi, sed in illis major est causa disobligationis, quam in multis jam allegatis, hoc attento quod nulli musici plus & cum majori labore cantent quam Monachi. Patres etiam societatis, qui non cantant continuis studiis occupentur, quę *plus* quam laborem manualem fatigare nullum dubium est; adeoque evanescit jejunij lex. Sed longe aliam fuisse Ecclesiæ mentem, declaravit felicis recordationis *Alexandr. VII. dum Anno 1666. 22. Martij*, tres ultimas directe, alias verò indirecte tanquam scandalosas condemnans; unicum hic satis mirari nequeo, quomodo has sententias tanquam probabiles, quidam defendere ausi sint, cum tamen rationes ob quas futilissimæ, & nullius momenti sint: & tamen docuerint illas sat celebres moderno seculo doctores.

Vide

25. Vnde probabilitas extrinseca non defuit, sed an illa sufficiens, asserunt hoc suis principijs conformiter, omnes Neoterici; sed nunquid propter illam, illi, qui eorum rationes norunt salvâ conscientiâ contra præceptum Dei vel Ecclesiæ agere poterunt, & ex invincibili ignorantia se procedere, & operati audebunt prætendere? sic nimirum principiis probabilitatis abutimur eademq; male applicamus. Sileo quod quidam ex ipsis, licet quandoque ponant ratiunculas nullius momenti, ne tamen auctoritatem amittant, illas tales esse jactent, quas ceteri licet legant, non capiant, & audientes non intelligant: quasi verò nec Deus alijs tantum luminis dederit naturalis, qua humanâ industriâ adinventas rationes penetrare queant. Sed de his satis ad alia jam procedamus.

Tanquam tertij hujus præcepti violatores, quoque censeri possunt, rerum sacrarum prophanatores Simoniaci, quibus quoque liberum Simoniæ exercitium concedunt qui docent,

PROPOSITIO XXV.

Dare temporale pro spirituali, non est Simonia, dum datur non ut pretium, sed solum, ut motivum conferendi spirituale, vel ut compensatio gratuita, etiamsi temporale sit principale motivum dandi spirituale, & finis illius rei spiritualis.

26. QVodsi verũ est, certè conceptus Simoniæ erit idea Platonica, neq; Simonię primi Authores Simon Magꝰ, Giezi & Balaã, accusari poterũt de quibus *Hugo Victorinus l. 2. de Sacramẽtis p. 30. c. 2. Simoniaca hæresis contagium jam olim in Balaam pullulavit, qui divinationis pretio proposito ad maledicendum populum Dei perrexit: dehinc duo hujus hæresis auctores leguntur pestilentes emersisse, alter sub Prophetica, alter sub Apostolica doctrina: Prius Giezi magister esse videntium, deinde Simon author videtur emendium*, & nihilominus secundum jam positum principium, omnes tres se à labe hactenus

cile expurgabunt, si asserant se nummos vel accepisse, vel Apostolis obtulisse, non ut pretium, sed ut motivum dandi vel accipiendi rem spiritualem: vel certe per modum gratuitæ compensationis. Neque enim Naaman pretium ut pretium, sed ut benedictionem obtulit; Vnde illa verba ejus. *Obsecro ut accipias benedictionem à servo tuo.*

27. Sed his non obstantibus supradictum articulum reprobarunt, & damnarunt *facultas Theologica Lovanienſis anno 1657. Archi-Episcopus Senonenſis Anno 1658. & Episcopus Namurcenſis in ſua Synodo An. 1659.* tanquam novum, periculosum & salutis animarum destructiuum; Censura Archi Episcopi Senonensis est, ut sequitur: *Hæc Doctrina quæ Simoniæ, contra jus Divinum crimine eos liberat, qui pecuniam propter sacerdotia vel dederunt vel acceperunt, modo pecunia motivi locum habeat non pretij, tota falsa, nefaria & impia est: hæresin Simoniacam toties à sanctis Conciliis & Pontificibus damnatam subdole renovans, & ad implendam lupis Ecclesiam, & corrumpendam, eam in ipso fonte, ideſt sacerdotum ordine sanctitatem inventa.*

28. Por-

28. Porro non esse necesse adincurrendam labem simoniacam intercedere pactum clarissimis verbis ostendit *S. Petrus Damian. lib. 2. Epist. 2. sunt nonnulli* inquiens, *qui vel antequam consecrationis exhibeant ministerium, vel ante decisum causæ negotium, nullum pacti sunt commodum: Postmodum vero tamquam à debitoribus exigunt & extorquendis renunciationibus vehementer insistunt; Hi non dubitent se Giezi crimen incurrere, qui postquam Naaman curatus est, jamque revertens, de dono S. Spiritus ausus est pecuniam postulare*; Quibus verbis an tangantur, ut Simoniaci, qui invicem resignant præbendas Cathedrales, Canonicatus vel beneficia sub promissione unius paris Chyrothecarum, ut vulgo dicitur, non quidem ut prætium, sed titulo gratitudinis aut gratiosæ compensationis dandarum, ipsi videant: Certe per hoc quod post factam resignationem, ut debitum similia exigunt, se labe Simoniaca irretitos, ostendunt: & de numero successorum Giezi esse, & hoc tanto certius quod fateri coguntur se non fuisse resignaturos nisi pro supposita tali promissione: pretiumque promis-

missi talis paris Chyrothecarum tantum ordinarie sit, ut plus, si formalem inirent contractum, exigere vix possent. Sed illis omnibus via obstructa est, & vere declarati sunt Simoniaci per Bullam *Pij V.* quæ incipit. *Intolerabilis multorum perversitas* &c. quæ emanavit *Anno 1569. Kalend. Junij, Pontificatus anno quarto*, & in alia *quanta Ecclesiæ Dei incommoda Constit. 58. tom. 2. Bellarij.*

ARTICVLVS VIII.

Continens Propositiones contra Quartum Decalogi Præceptum à laxitatum Patronis adinventas.

1. Discussis illis, quæ tribus præceptis primæ tabulæ ad Deum spectantis adversari videbantur, jam ad præcepta secundæ tabulæ, in qua primum parentum honorationem præcipit, cui soli promissio est annexa transimus. Parentes honorandos eorumq; injuriam severissime animadvertendam etiam Ethnici, solo luminis naturalis instinctu

ſtinctu agnoverunt, unde *Hierocles* apud *Stobeum ſerv. 77. libri* quem edidit ſub titulo, quomodo erga parentes agendum ſit hæc habet: *Si quis parentes ſecundos ac terreſtres quoſdam Deos dixerit, non errabit, cum propter vicinitatem, ſi dicere fas eſt, vel ipſis Diis honorabiliores ſint: Neceſſarium eſt autem ita exiſtimare, & perpetua animi promptitudine conandum, ut ipſorum beneficiis paria faciamus, quantumvis enim multa in ipſorum gratiam fecerimus, ſemper tamen inferiora erimus omnia quam eſſe deberent*, Et poſt pauca: *ut igitur*, ait: *in promptu habeamus quibus officiis erga parentes obſtringamur. Summariam hanc ſententiam ſemper animo verſare oportet. Quod parentes nobis Deorum imagines ſint, & per ſorem Dij lares ſeu domeſtici, beneficiorum Authores, cognati creditores, Domini & amici conſtantiſſimi.*

2. Et quidem conformiter iſti *Ariſtotelico. Deo, parentibus & præceptoribus non poteſt reddi æquivalens*: id quod etiam advertit *Philo Judæus lib. de decalogo*, ubi ait: *patrem & matrem Deos eſſe conſpicuos illius ingeniti imitatores in fingendis animalibus, &*

hoc uno differre, quod Deus sit totius mundi genitor hi verò filiorum duntaxat; nec fieri posse, ut pius sit erga illum invisibilem, qui erga hos conspicuos sit impius. Parentumq; honorem ita natura & hominum inditum, ut aliquem vel affectu Parricidam fieri impossibile quodammodo judicarit *Solon Atheniensis:* Vnde interrogatus, *cur nullam contra parricidas dictasset legem,* Respondit, *quoniam desperavi hoc scelus.* At posteri malitiam humanæ naturæ considerantes, parricidio & verberationi parentum gravissimam statuere pœnam, ut nimirum culeo cum gallo gallinaceo, simia & vipera vivis, inclusi in mare demergerentur, ut docent *Alexander ab Alexand. lib. 3. geneal. c. 5. Carpzov. in prax. Criminal. lib. 1. q. 8.*

3. Nec minorem pœnam non parricidis modo sed & violentas in parentes manus injicientibus lex Divina præscripsit *Exodi 21. qui percusserit patrem suum, aut matrem morte moriatur,* item *qui maledixerit patri suo vel matri, morte moriatur:* item *Deuter. 21. si homo genuerit filium contumacem & proterum &c.* quodsi maledicenti patri & matri,

tri, voluit Deus pœnam mortis infligi, quam erat decreturus parricidium committentibus? sed his non obstantibus, hoc de honorandis parentibus præceptum, laxant Neoterici, dum omnem ejus obligationem, per supra, circa primum decalogi Præceptum allegatum *esse indeterminatum* tollunt: sed hoc sepositio sit.

PROPOSITIO.

Probabile ac tutum est filios licite cum indignis inire matrimonia Patre & matre dissentientibus.

4. COnsensum Parentum ad matrimonia de jure civili, sive fiant cum indignis, sivè dignis à filijs contrahenda, esse necessarium, certum est, unde *Justinian. libr. Instit. tit. 10.* ait *ipsum suaderi & civili & naturali ratione:* Consentiunt & Acatholici Augustanæ confessionis professores, qui tantum requirunt parentem ad matrimonia filiorum consensum, ut illo deficiente, ipsa non subsistere & irrita esse asserant; nisi forte ad

ad sponsalia copula carnalis accesserit, quo casu illum nō requiri arbitrantur, ita *Carpz.* in sua *Iurispr. Consist. defin. 60. n. 6.* De jure autē Canonico consensum requiri saltē de honestate, communis hucusque sententia fuit, idque quando fiunt cum dignis, quanto magis si cum indignis? ita sentiuut *Henriquez. in summa lib. 11, cap 6. Basilius Pontius lib. 2. de matrimonio: cap. 1. Bellarm. lib. 1. de Matri. cap. 19. & 20. Estius in 4. dist. 28. §. 2. S. Ambros. Epist. 64 alias 23. ad Sisinnium. Hesselius lib. 5. Catechismi cap. 115.*

5. Quorum omnium rationes sunt, prima honor parentibus super omnes alios debitus quarto decalogi præcepto expressus, qui requirit, ne quid magnum filij sine ipsorum consensu aggrediantur.

Secunda quia parentum interest quem generum vel nurum, cui dotem annumerent, quemque filij vel filiæ loco habeant, sint adepturi, & hæc est ratio *S. Ambrosij* loco cit.

Tertia, Parentes longà utique experientiâ docti, filiis auxilio & consilio tam ante, quam in matrimonio esse possunt, quod tanto prom-

to promptius præstabunt, si cum suo consensu & consilio matrimonium inierint, propter quod vituperatur *Esau*, quod sine parentum consensu illas sibi matrimonio copularit, quas illi pro nuribus noluerũt agnoscere: Accedit ex parte filiarum sexus infirmitas & imprudentia qua stimulante plerumque maritorum titillatione adversus propria commoda in conjugium consensum præbent.

6. Hæcque causa, quod multi Canonistæ matrimonia sine consensu parentum contracta damnent, *Cano. nostrates & alij 31. q.* Ipsimetque Acatholici mortalis & gravis peccati damnant filios sine parentum consensu matrimonia ineuntes, unde *Georgius Franzkius* in suis *exercitationibus Juridicis q. 3. n. 16.* relatis in utramque partem sententiis sic concludit, quæ cum ita sint, Concludemus tandem gravissime quidem illos peccare liberos, qui parentum Authoritate aspernati propriæ libidinis ductu uxores maritosvè sibi copulaverint, & nefariam hoc interno conscientiæ honestatisque vinculo obligari.

Propo-

PROPOSITIO I.

Licet absolute desiderare filio mortem Patris, ut causam boni sui.

PROPOSITIO II.

Licet Parentibus optare mortem filiæ, ut à sollicitudine & cura illius liberentur.

7. HAs propositiones, licet assertor earum, non vacare periculo ipse advertat, in quantum in utraque absolute eligitur malum alterius, licet ut causam proprij sui commodi; nihilominus satis probabiles, adeoque in praxi tuto eas sequi licere judicat: quodsi illæ tutæ in praxi, æque licitum erit subdito optare mortem Prælati, vel ut ab illo sibi infenso liberetur vel Prælaturam adipiscatur: item fratribus junioribus mortem seniorum, ut in jus primogenituræ succedant. Eoque justior erit optatio & desiderium, quo pinguiores Prælaturæ & primogenia quæ desiderantur. Sed hoccine est honora-

honorare patrem & matrem, illis malorum temporalium, maximum & terribiliumomnium terribiliſſimum exoptare? Eſtne hoc illi primo legis naturalis principio, *quod tibi non vis fieri, alteri ne feceris*, conforme? Quis pater æquo animo ferat, æquis oculis aſpiciat filium, ſuæ morti hæreditatis adipiſcendæ cauſa inhiantem? Chriſtus Dominus ab homicidio non excuſavit eos, qui ex motivo pietatis & obſequij Divini diſcipulos ſuos eſſent interfecturi, dum ait, *venit hora, ut omnis qui interficit vos arbitretur ſe obſequium præſtare Deo*, ecce imaginatum Deiſervitium in mente divina eſt homicidium, cur non & ob imaginatum proprium commodum mortis patris deſiderium erit in mente divina parricidium? ſi, qui viderit mulierem ad concupiſcendam eam, jam mœchatus eſt eam in corde ſuo, utique à pari, qui intuitu hæreditatis optat mortem parentis jam parricida ſaltem eſt affectu in corde ſuo, & tanto certius quanto talis optatio non eſt mera velleitas vel inefficax ſed efficax & abſoluta voluntas, unde dictum eſt in propoſitione *licet abſolute &c.* non dicam quod inſuper

aliud decalogicum præceptum, *non concupiscesrem proximi tui*, absolute violent, dum bona paterna sub alterius adhuc dominio constituta, affectant, & pro medio illa adipiscendi ad affectatum iniquum objectum, iniquius medium affectationem mortis paternæ assumunt.

8. Id quod bene advertit *S. Augustin. tract.42.cap.10. Concupiscere rem proximi* inquit *quod notat Deus in corde, etiamsi justam ibi successionem quæras, non licet, deniq; qui volunt res alienas tanquam justè possidere, hæredes se fieri quærunt à morientibus; quid enim tam justum videtur, quam rem sibi derelictam possidere, habere jure communi? quid apud te manet homo? dimissum est mihi, hæreditatem consecutus sum, testamentum lego: Nihil videtur justius ista voce avaritiæ. Tu laudas quasi jure possidentem. Deus damnat injuste concupiscentem, vide qualis es, qui optas te ab aliquo hæredem fieri, non vis ut habeat hæredes, in hæredibus autem nihil charius primogenito. Proinde in primogenitis tuis punieris, qui concupiscendo res alienas, id quod tibi jure non debebatur, quasi juris umbram perquiris.*

9, Quibus merito illud *Philonis Judæi lib. de decalogo* opponas. *Cæterum quinetiam hominibus bene merentur. Lætis eorum prosperitatibus, condolentes adversitatibus neophytarem sanctitatemq; suspiciunt, possunt videri mutati in ferarum ingenium, inter quos primatum tenent qui parentes suos negligunt, matrisq; partis hostes, tum Deo, tum ejus, qui hominibus se approbare vult: sciant igitur se damnatos pro duobus tribunalibus, quæ sola sunt naturalia: Impietatis apud divinum, quod secundos post Deum authores vitæ suæ non tuetur ex officio: Inhumanitatis verò apud humanum: Cui enim benefacient, qui proximos optime de se meritos vili pendunt, quibus nulla potest referri gratia non inferior acceptis beneficiis? quomodo enim genitus poterit genitorem suum vicissim gignere, quam eximiam prærogativam natura dedit parentibus unquam compensandam à liberis?*

10. Et paulò infra, *ferè pro acceptobenefacio norunt gratiam reponere, canes custodiunt domos, & cadunt pro dominis suis, repentino aliquo periculo, circumventis: alij gregum servandis adhibiti, usque ad mortem decertant*

pro salute pecorum ne damnum accipiant pecuarij: & non fatebimur probrum esse longe turpissimum, hominem gratiis natum gratitudine superari à cane, audâci asperaque bestia? Et non faciem præ pudore obvoluent homines parentum suorum contemptores, damnabuntque suam incuriam in re quæ sola erat curanda, vel ante alias, præsertim cum non conferatur quam referatur beneficium? filiorum enim nihil est, quod non debeant parentibus, à quibus vel acceperunt, vel in accipiendo adjuti fuerunt.

11. Quarto quoque decalogi præcepto, & illi, qui licet non sint patres carnis propagatione, sunt tamen vel directione vel instructione, honorandi veniunt, quales sunt superiores, Magistri & instructores ita *Doctor Angelicus. 22. q. 102. a. 1. in corp.* sicut ait: *carnalis pater particulariter participat rationem principij, quæ universaliter reperitur in Deo, ita etiam persona, quæ quantum ad aliquid, gerit circa nos providentiam, particulariter participat rationem patris, quia pater est principium & generationis & educationis, & disciplinæ, & omnium quæ ad perfectionem*

humanæ vitæ pertinent; Persona autem in dignitate constituta, est sicut principium gubernationis respectu aliquarum rerum, sicut Princeps Civitatis in rebus civilibus, dux exercitus in bellicis, Magister autem in disciplinis. Et inde est, quod omnes tales personæ Patres appellentur.

12. Vnde *Senec. lib. 1. de Clement. cap. 14.* interrogatus, *quodnam sit Principis officium*, respondit *quod bonorum parentum*; hoc quod parenti id etiam Principi faciendum est, quem appellamus Patrem patriæ, non adulatione vana seducti; quemadmodum & *Aristoteles* eos simul ponit, dum Deo, *parentibus, & præceptoribus æquivalens reddi non posse* asserit; à parentibus enim esse & vivere, à præceptoribus bene & honeste vivere habemus.

Sicut Deo & parentibus ut jam visum est injurij sunt, novarum sententiarum inventores vel assertores sic quoque Regibus non minus præjudicant dum docent:

Propo-

PROPOSITIO III.

In quavis probabilitate orta ex Iure, quilibet Rex licite bellum gerit, contra alium Regem, etiamsi, sit in quieta possessione.

13. AD bellum juste inchoandum non sufficere consilium & judicium particularis unius aut alterius Theologi inter privatos parietes existentis & rerum publicarum & status politici ignari experientia sat docuit, neque enim Germania tot cladibus sine illis afflicta fuisset ; suadebatur ut fert rumor Imperatori Ferdinando à protestantibus urgere non solum Monasteriorum ab ipsis occupatorum, sed & fructuum perceptorum restitutionem. Primo annuebatur, secundo, quodammodo impossibili contradicebatur, & hoc belli initium, quo præter jam ante ablata plurima alia & monasteria & Episcopatus amisit: Idem expertus ille, qui dum cuidam Principi bellum suasisset, præter suam opinionem ex post videns

tantum humani ex suo forte imprudenter dato consilio sanguinis fundi, plurimaq; inconvenientia exoriri : licet supplex consilium datum revocarit, & aliter suaserit, audiri tamen non est ; Vt bellum proinde legitimũ sit graviſſimæ accedant causæ necesse est.

14. *Nec enim ad ejus justitiã sufficit* ait *Wilhelm. Ferdin. ab Efferen in suo Manuali polit. l. 1. punct. 1. Vt Princeps credat se habere justã causam, sed oportet ut ex prævia cognitionis examine eandem habeat, bene perspectam.* Adeoque semper prius audiendæ sunt Adversariorum rationes, si velint ex æquo & bono disceptare. Et quidem inter justas belli causas est defensio, vim enim vi repellere omnes leges omniaque jura non solum permittunt verum etiam jubent. *l. 54. §. 4 ff. ad l. aquil.* Idque vel propter religionem, vel regionem vel personam. Religionem enim inimis posse defendi sacrarum paginarum testimoniis comprobatur *Nehem. 4. Machab. Summaq; & optima ratio putatur quæ propter religionis tuitione facit, Zasius ad legem placuit n. 10.* Quamvis enim religio in se tanquam spi-

ſpirituale bonum armis materialibus conſervari non poſſit, ipſum tamen religionis veræ exercitium & cultus liber à vi externa & inſultu impedientium recte armis defenditur, *Nehem. 4. v. 13.*

15. Pro regionis defenſione ſufficiat adferre *S. Ambroſij* monitum: *fortitudo quæ vel in bello à barbaris tuetur patriam vel domi defendit infirmos vel à latronibus plena juſtitia eſt*; quæ etiam juſta erit, etiamſi quis ab alio juſto bello impetatur, nam is ſui ipſius judex non eſt, niſi tam clara ſit injuſtitiæ cauſa, ut quaſi totus mundus ſententiam ferat, *notoria enim non indigent probatione vel deciſione*, extenditur etiam defenſio non ſolum ad præſentem, ſed etiam ingruentem neceſſitatem & vim quæ inferri timetur; unde utile bellum movemus ne ipſi bello premamur, impendentibuſque malis obviam imus & antevertimus, uti Salomonem qui à Deo pacis promiſſionem habebat, feciſſe legimus: continuo duodecim millia equitum & mille quadringentos currus alendo, ut eſſet terrori vicinis regibus, & in hunc finem introducti ſunt milites limitanei, ſive limitum

Provinciæ tutores, etiam tempore pacis nec inopinantes opprimamur. In bello verò offensivo causa prima est, rerum per vim ereptarum recuperatio, *Covarr. in relict. peccatum p. 2. §. 9. num. 4.* sicut sese eximentium facta coërcitio, qui enim ab Imperio deficiunt Imperij hostes efficiuntur: Secunda si adversus contumaces qui se judicio submittere nolunt, vi & armis procedatur & hoc multo magis si subditi rebelles adversus magistratum insurgunt: *Covarr. lo. cit.*

16. Tertia est illatæ injuriæ vindicatio, non enim frustra magistratus gladium portat, sed ad vindictam, modo illa gravis sit, ob exiguam enim injuriam quæ ordinarie alio modo vindicari potest, expeditio bellica suscipienda non est; Quinta denegatio transitus innoxij qui jure societatis humanæ debetur: ob hanc enim causam *filij Israël* contra *Og. Regem Amorrheorum* arma sumpserunt, & tanto amplius si transitum petens de resarciendo damno caveat; his adjungi potest denegatio necessariorum alimentorum à transeuntibus expetitorum, si illa pro pretio sine extradentium damno postulent.

Qui

Qui enim alimenta jure humanæ societatis, refuso legitimo pretio denegat, necare videtur: *l. necare §. de agnosc. & alendis liberis.*

17. Quæ omnia sub compendio tradit *Hugo Grotius de jure belli & pacis lib. 2. cap. 1 n. 2. Plerique* ait *bellorum tres statuunt causas justas: defensionem, recuperationem rerum & punitionem; quæ tria in Camilli ad Gallos denunciatione invenias, omnia quæ defendi repetique & ulciscendi fas sit, in qua enumeratione nisi vox recuperandi sumatur latius, omissa est persecutio ejus, quod nobis debetur. Quam non omisit Plato dum dixit bella geri, non modo si quis opprimatur aut expiletur, verum etiam si deceptus fuerit:* quo enim illud *Senecæ* convenit: *æquissima vox est, & jus gentium præ se ferens. Redde quod debes:* & *Marcus Zoerius Boxhornius Instit. politic. lib. 1. c. 12.* qui ad belli susceptionem & indictionem sufficere negat quod justum sit nisi simul & necessarium; est autem necessarium & justum, cum alia ratione jus nostrum nobis non possumus vindicare: quibus adde illud *Tacit. hist. sec. Omnes qui magnarum rerum consilia suscipiunt æstimare debent, an,*

quod inchoatur Reipublicæ utile ipsis gloriosum aut promptum effectu aut certe non arduum sit.

PROPOSITIO IV.

Rex quivis ratione probabili nixus subditos ad militandum, & belli sumptus & incommoda subeunda cogere potest.

18. HAnc sicut & priorem, sententias probabiles, idem Author assertor judicat, licet contrariæ sibi placeant, ideo quia authores aliqui easdem defendunt, quos tamen vel non nominat, vel si quos nominat, unico excepto, contra se sentiunt; sola enim probabilitate extrinseca, nulla adducta ratione se fundat, qualiter etiam probabilis esse poterit, infra ad septimum præceptum adducenda propositio, quod scilicet omnia bona subditorum sint regis, quam tu impiam & justitiæ adversam plerique SS. Patres senserunt, & nihilominus non unus, sed plures sat famosi authores defendunt, quorum rationes ibidem adducentur. Quodi liceat regibus & Principibus alium pacifica

regni

regni possessione existentem deturbare ex fundamento probabili, ex eodem poterunt facilius & justius subditos bonis exuere, aut ea confiscare eo quod multo minora inconvenientia & incommoda post se trahat quam bellum publicum : Imò nec ullus Rex aut Princeps ab alio liber erit, cum eodem jure, quo alius utitur erga se & is erga alterum uti possit. *de similibus enim ad similia fit extensio ex identitate seu paritate rationis ut* inquit *Garzias 5. part. c. 7. n. 65.* Quo enim jure quis utitur erga alterum, contentus esse debet, si alter quoque erga ipsum utatur. Facillimumque erit hoc luxuriantium ingeniorum certissima probabilitatum male applicantium principia feracissimo sœculo. cuivis Regi aut principi invenire viros doctos, qui intentioni suæ, licet quandoque iniquissimæ patrocinentur sententiamque suam quam vult vel ex aliis probabilem ostendant, vel adinventis à se rationibus addita sua auctoritate probabiles faciant.

19. Quis enim audeat Regij alicujus Parlamenti in quo tot viri doctissimi & in publicis versatissimi reperiuntur judicium tan-

quam improbabile, taxare? id certo erit eos vel insciti æ vel improbitatis arguere, præsertim dum ex officio super aliqua sententia ex professo & regio mandato simul congregati, consultant, quilibet autem Doctor Principisque consiliarius in tam arduis negotiis præsumitur doctus & probus, donec probetur indoctus vel improbus, juxta *Regul. furis in sexto* quæ si vera supponamus, cessabunt plures quæstiones, quæ à Theologis moveri solent, scilicet an teneatur miles examinare justitiam belli? an si dubitet de ea possit bellare? sed quilibet sub quolibet quacunque de causa juste & sine conscientiæ scrupulo militare poterit, etiamsi causa etiã sit injustissima, quia non tenetur illam examinare, sed supponere quod id, quod à totot tam doctis viris justum esse decretum est, idem propter & rationes & authoritatem eorum revera sit tale. Ac ita justus fuerit ille à sæculo non auditus, contra Regem Angliæ à propriis subditis institutus processus, quo eum, qui potestati suæ non suberat, in judicium citarunt, & capitis condemnarunt.

20. Quod si justum fuit, & videtur ex adductis

ductis principiis esse, misero certe loco erunt omnes Reges & Principes, meritoque metuant, ne similis contra se quandoque à subditis processus instituatur. Non dicam quod ex jam allatis principiis quoque sequatur, subditum cui nititur Princeps bona auferre vel confiscare in quorum pacifica & quieta est possessione, jus habeat sese defendendi & injustum invasorem (si aliter res suas salvare nequeat) licite occidendi, cum melior illius tanquam possidentis sit conditio: Et laxistæ concedant etiam licere illum, qui nititur nobis auferre rem valoris unius aurei interficere, ut infra videbitur.

Regibus & Principibus tanquam Patriæ Patribus injurij quoque sunt, qui in gabellarum defraudatione consilium dare non verentur. sit proinde.

PROBLEMA.

PROPOSITIO V.

Probabile est subditum dubitantem de justa Gabellarum impositione teneri illas solvere.

PROPOSITIO VI.

Probabile est subditum dubitantem de justa Gabellarum impositione non teneri illas solvere.

21. ECce propositionem problematice propositam, ut quiliber quidlibet amplecti valeat, nec peccet si vel priorem vel posteriorem eligat, ex duabus enim probabilibus, illam, quæ mihi magis arridet, sequi possum: quod autem ambæ jam dictæ sint probabiles, ex hoc elucet, quod, & ratione alicujus momenti, & authoritate nitantur: Ratio prioris partis est, quia possessio justitiæ præsumenda est pro Principe, posterioris, quia possessio stat pro libertate subditorum, qui non sunt obligandi solvere, nisi certi sint de justitia: ubi vides possessionem stare pro utraq; parte contradictionis dum Princeps in possessione justitiæ & subditi libertatis supponuntur esse: Possessio tamen Principum licet major libertate subditorum ipsis nihil proderit, nisi prius omnibus & singu-

gulis subditis justitiam inpositionis gabellarum ad oculum & certo demonstrent alias enim possessione libertatis se tueri poterunt & negare gabellarum solutionem.

22. Certe periculosum foret si Princeps deberet justitiam suæ gabellarum indictionis subditis suis demonstrare. *Didacus Savedra* conscientiosissimus Politicus *in suis symbol. politic. symb. 67.* putat solorum statuum in comitiis congregatorum consensum requiri, siita contractum, vel immemorabili consuetudiue introductum; *si regnum* inquit *ea conditione obtigerit, ut absque ejus consensu tributa imponi nequeant, aut postea decreto aliquo generali ita sancitum, aut diuturna aliqua præscriptione jus istud acquisitum fuerit, in his, talibus casibus consensum comitiorum exspectare oportebit ne periculo sese exponat Princeps.*

23. Ad eam rem proderit si Princeps tantum apud subditos authoritate valeat, ut ipsi ex concepta de Zelo illius erga bonum commune opinione æquum judicent onus, quod iis imponitur, & ultro in illud consentiant, totos sese ejus prudentiæ & notitiæ rerum

publicæ,

publicæ, committendo, quomodo ad Josephi arbitrium sese referebant Ægyptij, cum quintam fructuum partem ab ijs exigeret; ubi populus istam de Principe conceperit fiduciam, cavere debet sedulo ne eam absque sufficienti causa oneret; verum si necessitas urgens aliud postulaverit, illud curet saltem, ut tributa, quæ exiguntur, bene impendantur, nihil enim gravius fert populus, quam si nullum oneris sui fructum videat, & fortunas suas in usus inutiles insumi intelligat. Tum illud etiam odit, si tributa, quæ sua sit necessitas, ea cessante continuentur.

24. Audet nihilominus affirmare Castropalaus *valde probabile esse, te non obligari, obedire superiori præcipienti, quando habes opinionem probabilem, rem imperatam vel esse illicitam vel excedere ejus jurisdictionem*, quod, si ita est, nunquam subditi gabellas solvere tenebuntur, cum merito dubitentur de justitia impositionis: & sint in possessione suæ libertatis. Hæc sententia licet Principibus summe præjudicialis longe tamen magis superioribus Regularium: quibus si subditi nõ teneantur parere, quoties sententiam

probabilem habent, rem imperatam esse, vel illicitam, vel excedere ejus jurisdictionem: vix dabitur casus (si ea quæ legi Divinæ manifeste contrariantur excipias) in quibus se ad parendum obligari judicabunt.

24. Si proinde grave quid & sensualitati contrarium demandetur: Innumeræ ad extricandum se viæ, illis præsertim, qui docti & Theologi sunt, se offerent, videlicet quod imperata sint contra, supra vel præter regulam. Quod sit consuetudo immemorialis (quæ contra regulam & statuta ordinis præscribere potest) in contrarium, maximè cum quilibet Theologiæ lector, juxta fundamenta nova probabilitatis, prætendere possit suam sententiam esse probabilem. Quodsi opponas in dubio esse possessionem impetrandi pro superiore, quo jure spoliari nequit, & subditos suam libertatem in voluntatem superioris per professionem resignasse, mox respondetur id verum esse, nisi subditus obediendo grave aliquod incommodum, in persona, rebus, honore sibi vel alteri timeat. In dubio esse enim magis favendum reo, & ei, de cujus damno agitur, qui licet

non

non sit in possessione suæ libertatis, est tamen securitatis, qua potest sese à periculis conservare.

25. Quam verò obvium sit, religiosos de gravitate & difficultate impositæ sibi obedientiæ causari, & continuos prætextus se extricandi inquirere: norunt eorum superiores plus aliquando vanâ apprehensione quàm ipsâ difficultate operante. At talibus argumentis ferreum quodammodo obicem opposuit *S.P.N. Benedictus, cap. Regulæ*: Vult jubet Monacho etiam in impossibilibus, si non effectum operari, saltem efficacem affectum demonstrare: *Et Regulæ ff. Minorum*, dum suis præcipiunt, ut in omnibus obediant, quæ non sunt contra regulam vel contra animam, & denique *constitutiones Societ. Jesu*: præcipientes suis in omnibus obedire, in quibus non cernitur manifestum peccatum: Ridicula proinde est illa, cujusdam sub *Regula S. Benedicti* militantis ad Abbates instructio; *Lector casuum conscientiæ talis ab Abbate eligatur, qui sciat bene distinguere inter probabilitatem & improbabilitatem: ut discipulus jure possit Deo dicere, viam mandatorum*

torum tuorum cucurri, cum cor meum ignorantiæ rigore compressum, opinionum benignitate dilatasti.

26. Scient utique superiores & de jure scire debent, quid sui sit officij, & quousque juxta regulam & emissa à subditis vota, potestas sua se extendat, reddituri rigidissimam æquissimo judici (si non legitimis quoque suis superioribus) rationem: si limites à regula & constitutionibus sibi præfixos, transgrediantur: qui enim subditis præcepit sub reatu pœnæ obedire, præcepit & superioribus sub interminatione Divini Judicij justa præcipere; Apud Deum enim *judicium durissimum, his, qui præsunt fiet & potentes* (nisi suis officiis satisfecerint) *potenter tormenta patientur.*

27. Certè longe aliter ordinum fundatores, suos instituere religiosos, ut perpulchre ostendit *Leonar. Lessius de Jure & Just. l. 2. c. 46. dub. 5.* Tria ad obedientiæ perfectionem (ad quam religiosus, vi professionis tendere obligatur) requirentes. Primo scilicet ut esset cæca, personam superioris ejusque imperfectiones non attendens, sed

solum

solum quod vices Dei agere in Monasterio credatur; sed nec rationes impositæ sibi obedientiæ scrutetur, memor illius S. Gregorij *lib. 2. c. 4. in lib. 1. Regum: Vera obedientia, Nec præpositorum intentionem discutit, nec præcepta discernit, quia qui omne vitæ suæ judicium majori subdidit, in hoc solo gaudet, si, quod sibi præcipitur, operatur: Nescit enim judicare, quisquis perfecte didicerit obedire*, Secundo prompta: *Verus* enim *obediens* teste S. *Bernard. serm. de virt. obedien. Mandatum non procrastinat, sed parat aures auditui, linguam voci, manus operi, pedes itineri, & sic se totum intra se colligit, ut mandatum peragat imperantis.* Tertio fortis in opere aggrediendo, in eoque ad mortem usque perseverando, juxta exemplum in monte monstratum, Christi facti obedientis usque ad mortem, mortem autem Crucis.

ARTI-

ARTICVLVS IX.

Continens Propositiones contra quintum Præceptum à laxistis adinventas.

I. INter præcipua secundæ tabulæ post mandatum de honorandis parentibus, ad quos post Deum tanquam Deitatis aliqualiter participes; ut articulo præcedenti dictum est, maxima est omnium obligatio: mox illud subjungitur, quod inter sequentia gravissimũ est, scil. non occides, ad quod aliqualiter allisisse &allidere eos, qui licitum putarunt optare mortem parentum fratrum &sororum ad succedendum in jus primogenituræ & largiorem hæreditatem: superiorum ad succedendum vel assequendum ab eo tanquam sibi offenso liberationem, alterius maritum ad habendam uxorem &c. ibidem quoque ostensum est. Gravius illud violant qui sentiunt.

Propo-

PROPOSITIO I.

Licet occidere calumnioſum actorem Teſtes, & injuſtum judicem, ad ſervandam vitam, vel res familiares.

2. SEd hanc propoſitionem ad inſtantiam *Epiſcopi Gandavenſis* cenſuravit primum quidem *facultas Theologica Lovanienſis Anno 1657. 4. Maij* ac de poſt feliciſſimæ recordat. *Alexander VII. Anno 1665. 2. Oct.* Volebant nimirum hujus aſſertionis inventores, ut prætermiſſo ordine juris, quo aliquis in propria cauſa judex eſſe nequit, nec privata auctoritate, niſi naturalis, cum moderamine inculpatæ tutelæ defenſionis cauſa, aliquem occidere liceat: Cuilibet privato concedere quod nec Principi de Jure conceſſum eſt, ut ſcilicet pro libitu ſuo aliquem occideret, vel occidi juberet, niſi forte quem in flagranti homicidij, vel ſimili crimine deprehendiſſet.

3. Merito proinde, hanc aſſertionem præfata *ſchola Lovanienſis* judicavit abom-

nandam execrandamq; Vtpote quæ assassinatibus, sicariatibus & intoxicatibus temere patrocinetur & judicibus, advocatis aliisque publicis justitiæ ministris, quin & ipsis quoque Principibus præsentissimum procreet periculum: Et nihilominus quod summæ dolendum, hæ & plures supra adductæ & infra adducendæ sententiæ, ita jam apud recentiores Theologos invaluerunt, ut illis, tanquam certissimis assentiantur; sed generale à *S. Augustino* allegatum principium corpori Juris Canonici insertum *causa. 23. q. 5. c. 9.* hic ab omnibus attendendum est. *His exceptis, quos vel lex justa generaliter, vel ipse fons justitiæ Deus specialiter occidi jubet, quisquis hominem vel seipsum, vel quemlibet occiderit, homicidij crimine innectitur:* Ex quibus patet quid dicendum ad eas quæ sequuntur.

PROPOSITIO II.

Licet Clerico & Religioso calumniatorem gravia Crimina de se vel sua religione spargere minitantem occidere, dum alius defendendi modus non suppetit.

4. Hanc

4. HAnc sed alius ab inventore auctor, solam veram & oppositam improbabilem asserit, quo tamen non obstante tanquam improbabilis & scandalosa, ab *Universitate Lovaniensi, & sede Apostolica anno & diebus, quibus supra, condemnata est.*

PROPOSITIO III.

Religiosus, qui fragilitati cedens fœminam vilem cognovit, quæ id sibi honori ducens illum infamat, potest illum licite occidere.

5. CVjus, si rationem inquiras, non alia quam quod talis religiosi (præsertim si sit Prælatus aut in dignitate constitutus) fama & honor pluris fiat, ex moralitæstimatione, quam vita vilis fœminæ, adeoque pro illa conservanda, hæc prodigi potest; sed huic opponitur *Regula* à *S. Augustino* mox allata, & naturalis bonorum naturalium subordinatio, in qua primum locum bona animæ, secundum corporis, tertium fa mæ, & quartum fortunæ obtinent, quæ nil aliud

aliud lex, vel justus judex secundum allegata & probata judicaverit, observari debet. Vt sileam quam indignum sit ejusdem iniquitatis reum privatâ authoritate in Complicem sibi officium Judicis, Executoris & Carnificis, arrogare: nec accusatum, nec citatum, nec auditum, contra jus divinum, & naturale, ne relicto quidem pœnitentiæ tempore, quoad animam simul & corpus, ob vanam famæ suæ existimationem trucidare. Quod si adulteræ à marito in crimine deprehensæ licitum est eundem se ob hanc causam interficere volentem etiam præveniendo ob vitæ suæ defensionem occidere, hac de causa quia is in tali occasione privata authoritate judicis & executoris officium sibi arrogat utique pari & majori jure id defloratæ in defloratorem etiam Religiosum licitum erit. Ex quo quales consequentiæ deriventur quivis facile conspicit.

PROPOSITIO IV.

Licet occidere Invasorem etiam fugientem post alapam impactam, aut illatam calumniam.

PROPOSITIO V.

Licet acceptare duellum pro defensione honoris, & occidere provocantem.

6. FUndamentum prioris est justa defensio & iniuriæ vindicatio, posterioris verò, quod *crudelis sit, & dicatur qui famam negligit c. nolit. 12. q. 1. & non minor sit infamia & timor quam mortis l. isti quid. 8. §. penult. ff. quod metus causa, famaq; & vita paribus passibus ambulent l. justa caus. 9. ff. de manumiss.* Sed fundamentum prioris ex se ipso attentis fundamentis S. *Augustini* ipsiusque decalogici præcepti, omnem hominis privata auctoritate, extra necessariam cum moderamine inculpatæ tutelæ factam defensionem vetantis corruit.

7. Ad fundamentum posterioris respondetur: Judiciorum Jurisque publici tutelam ad hoc constitutam, ne quisque sibi ipsi præsumere valeat ultionem; nunquam enim erit quieta & tranquilla respublica, si quoties quis injuriâ oneratus integrum illi fuerit prove-

provocare injuriantem ad arma & cum eo in arenam descendere; Vnde ad argumenta in contrarium allata negatur illum famam negligere qui duellum recusat, cum alia suppetant justæ defensionis media: Si recusans duellum asserat, se quocunque loco fuerit, ad defensionem paratum fore, nec pedem alterius metu loco moturum aut alio declinaturum. Quod verò liceat vitæ invasorem cum moderamine inculpatæ tutelæ occidere, hinc fit, quod eo casu vita propria alio modo conservari nequeat, quod in defensione honoris famæ & fortunæ locum non habet, maxime dum cessat actualis invasio, quæ utique fugiente illo, qui injuriã intulit cessat: Merito proinde *ultima assertio à sede Apostolica, ut scandalosa est anathematizata*, sed jam diu ante *Gregorius XIII.* ut refert *Martinus Delrio Disq. Magic. lib. 4. cap. 4.* hanc sententiam anathematizarat *Anno 1582. 9. Decembr.* & ante eum *Concil. Trident. sess. 25. de reform. cap. 19. Detestabilis* inquiens *duellorum usus fabricante diabolo introductus, ut cruenta corporum morte animarum etiam perniciem lucretur ex Christiano orbe penitus*

exterminetur. Imperator, Reges, Duces, Principes, Marchiones, Comites, & quocumque alio nomine Domini temporales, qui locum ad Monomachiam in terris suis inter Christianos concesserint: eo ipso sint excommunicati ac jurisdictione & dominio civitatis, castri aut loci in quo, vel apud quem duellum fieri permiserint, quod ab Ecclesia obtinent privati intelligantur: & si feudalia sint directis Dominis statim acquirantur. Qui verò pugnam committerint, & qui eorum patrini vocantur excommunicationis ac omnium bonorum suorum proscriptionis ac perpetuæ infamiæ notam incurrant. Et si in ipso conflictu decesserint perpetuo careant Ecclesiastica sepulturâ. Quas pœnas ad spectatores & suasores quoque extendit. Ex quibus infert *Delrio* illos quoque in has pœnas incidere qui dicunt veni ad talem locum, ego te illic cras tali, vel tali hora expectabo. Nec hic sistit novarum adinventionum temeritas: forte quis putabit magnam quantitatem bonorum fortunæ requiri, ut licite quis invasorem occidat. Ecce contrarium.

Propo-

PROPOSITIO VI.

Licet occidere invasorem usurpantem rem, quæ tantum est valoris unius aurei.

8. VBi bene notandum, quod dicitur usurpantem rem, ut est in præsenti, & post impactam alapam fugientem, per quod ostenditur, jam in possessione esse, & cessasse violentam invasionem, adeoque abesse moderamen inculpatæ tutelæ, dum pro aureo & læsione honoris, quæ alio modo reparari possent, vita tollitur, quodsi licitũ fuerit talem invasorem occidere multo magis licebit Judicem injuste talem aureum abjudicantem interficere, cum ex *Isidoro Pelusiota multo pejus & deterius sit injustam sententiam ferre, quam injuste agere, gravius enim* ait *Isidorus Hispalensis lib. 3. sent. cap. 52. Lacerantur pauperes à pravis judicibus, quam à cruentissimis hostibus. Nullus enim prædo tam cupidus in alienis, quam judex iniquus in suis. Latrones in accessis faucibus ac latebrosis latentes*

tentes insidias ponunt ; Isti palam rapacitatis avaritiâ sæviunt, hostes in alienorum tantum sanguinem intendunt: Judices quasi crudelissimi carnifices civium oppressione sua subditorum vitam exstinguunt.

9. Sed & majorem Judicibus culpam habent Principes, utpote pravorum Judicum institutores, cum plus culpæ habeat mandans & committens, quam mandatarius & commissarius, & quod quis facit per alium per se fecisse censetur secundum *reg. jur. in sexto. Princeps* enim ait: *Sarisberiensis in Policratico tenetur de omnibus, & omnium author esse videtur,* & *Isocrates serm. 44.* Principem alloquens: *Imperium gerens* inquit, *nullius mali* Athei aut Pseudopolitici *opera ad gubernandum utitor, illius enim peccatorum causæ in te referentur.* Quod igitur de Judice, id servata proportione, Principi quoque applicari potest. Quodsi quis quærat, qualiter se habere debeat, si ab aliquo quod nondum possidet, sed ad quod proximam exspectantiam & jus inchoatum habet, ab altero deturbetur vel impediatur, respondet alter laxista.

Propo-

PROPOSITIO VII.

Eodem modo non solum licet defendere, quæ possidemus, sed etiam ad quæ jus inchoatum habemus.

10. EX qua subinfert Author hoc modo: quare licitum erit tam hæredi quam legatario, contra injuste impedientem, ne vel hæreditas adeatur, vel legata solvantur, se defendere, sicut & jus habenti ad Cathedram vel præbendam, contra earum possessionem injustè impedientes. Sed iis refutandis immorandum non est, quas tam censura Romana quam Lovanienſis sufficienter refutavit.

PROPOSITIO VIII.

Tyrannum quivis privatus, privatâ authoritate occidere potest.

HAnc sententiam in odium religionis ac Summi Pontificis Catholicis affingit *Theodorus Reinkingh in tract. suo de Regimine*

seculari & Ecclesiastico lib. 1. class. 2. c. 8. n. 13. ubi ait: *eadem Religionis specie simplicioribus persuaserunt subditis fas eis esse ex jussu Pontificis ac magistratus ordinarij non vivere ad nutum Pontificis, jurisdictione se eximere Reges q; ac Dominos interficere, ac parricidiis istis & sceleribus, in præmium obedientiæ religiosæ, æternam vitam mereri,* Idque probare conatur trium vel quatuor summorum Pontificum, & illius Monachi Dominicani, qui *Henricum* tertium, Galliarum Regem, cultro in viscera adacto, interemit exemplis. Nimirum ut totam Religionem Romano & vere Catholicam redderet odiosam, uno aut altero exemplo à particulari ad universale procedit ordine sane præpostero, sed propter se necessario commutato: Adductum exemplum de *Gregorio VII.* quasi is *Henricum* tertium interfici mandarit, auctoritate & testimonio *Goldasti* eiusdem secum religionis & in religionem Catholicam sedemque Apostolicam affectionis astruit; quod, sicut & alia quæ de Romanis Pontificibus ex testimonio sui similium adducit eadem qua asseruntur auctoritate negantur; Odium & capita-

capitales inimicitiæ testimonij vigorem tollunt. De Monacho Dominicano historia plus quam certa, sed nunquid ideo omnes Catholici sic sentiunt? an quia unus aut alter Lutheranus etiam Prædicans vel minister impie vivit, omnes etiam Lutherani impii censendi sunt? quasi verò nec similia homicidia apud ipsos patrarentur.

12. Certe non habent *Lutheri & Calvini* asseclæ quod nobis obiiciant, si semetipsos in speculo diligenter inspiciant, nec sunt inter ipsos tot sancti, quot capita: ubi triticum ibi Zizania, ubi lilia ibi lolia, interim *utile non debet vitiari per inutile reg. juris in 6to.* Maxime cum apud ipsos homicidia adulteria, blasphemiæ &c. nec peccata sint, nec à vita æterna assequenda, modo fides adsit, impediant: Ita clarissimis verbis Doctor *Martinus Lutherus serm. de piscatura Petri, erga Deum* inquiens, *non operibus sed nudâ fide indigemus. Debemus enim cum Isaac, id est, cum fide venire, servos & asinos, hoc est opera deorsum demittere oportet. Quanto sceleratior es, tanto citius Deus gratiam suam infundit; si adorneste, ut Cattus bonis operibus, ut te Deus*

acceptet, nihil efficies. Et in commentarie super Evangelium Dominicæ octavæ post Trinit. nullum opus ait *tam malum est, quod hominem damnare queat, neque ullum tam bonum quod salvare possit: Cæterum sola fides salvat, sola incredulitas damnat.* Et denique *Epist. 238. ad Phil. Melanchtonem sufficit*, ait: *quod per divitias gloriæ Dei agnovimus agnum, qui tollit peccata mundi: ab hoc enim non avellit nos peccatum, etiamsi millies millies uno die fornicemur & occidamus.*

13. Falsum proinde est Catholicos, aut sensisse aut sentire allegatam assertionem: Verum distinguunt in hoc Theologi, quod vel Tyrannus sit in pacifica possessione Regni vel principatus per tyrannidem & injustitiam occupati, vel adhuc vigent bella & armorum strepitus: si prius nequaquam licet privato, privatâ eum auctoritate interficere & occidens indubitatus homicida est, quod si adhuc viget armorum strepitus cuilibet privato eum interficere licitum est, eo quod censeatur actualis miles contra ipsum: sic *Aod* sustulit è medio *Eglon Regem Moabitarum* injustum oppressorem *filiorum Israel.*

Judith

Judith Holofernem actualem alieni Regni, & injustum invasorem, *Brutus, Cassius & alij Julium Cæsarem*: licitum est enim cuilibet, innocentem ab alio injustè oppressum defendere, si aliter liberari nequeat, sicut & militi hostem sui Principis, territorij, suumq; injustum in vasorem jure vindictę occidere.

14. Sciendum etiam tyrannum quoque dici illum, qui licet sit legitimus princeps, tyrannicè tamen principatum administrat, ob sua privata commoda absque intuitu boni publici subditos onerando exactionibus & tributis condendo leges iniquas &c. At hunc nequaquam privatâ auctoritate occidere licet. *Serui* inquit *S. Petrus 1. Epist. c. 2. subditi estote in omni timore Dominis non tantum bonis & modestis, sed etiam discolis.* Jubetque sacra scriptura parere superioribus etiam ethnicis quemadmodum exemplo suo ipse salvator docuit, gentili Imperatori parendo, tributum solvendo & solvi mandando.

15 Ecclesiæ tamen mentem clarissimè demonstravit *Concilium Constantiense sess. 15.* ubi inter alios condemnatus quoque fuit hic

articulus: *Quilibet Tyrannus potest & debet licite & meritorie occidi per quemcumq; vassallum suum, vel subditum etiam per clanculares insidias & subtiles blanditias vel adulationes non obstante quocunque præstito juramento seu confœderatione factis cum eo, non exspectatâ sententiâ vel mandato judicis cujuscunque.*

Homicidio gravius est suicidium, dum quis sibi ipsi violentas manus injcit ac seipsum perimit, eodem, quo homicidium, præcepto vetitum; illius aliqualiter patroni sunt, qui judicant.

PROPOSITIO IX.

Minor est obligatio cavendi suicidium, quam altericidium.

16. HAnc sententiam tenet ille, qui docet: non teneris strictius te non occidere quam proximum: Imo forte minus stricte. Sed longe aliter *S. August.* Parricida inquiens *tanto sceleratior est, quam quilibet homi-*

homicida: quia non tantum hominem sed propinquum necat, & in ipsis parricidis, quanto propinquiorem quis occiderit, tanto judicatur immanior: sine dubio pejor est, qui se ipsum occidit, quia nemo est homini se ipso propinquior: Accedit quod suicida seipsum tam quoad corpus quam animam jugulet. Committendo ipso trucidationis actu peccatum mortale, quorum alterutrum saltem in altericidio abesse potest ; Videtur nihilominus hanc sententiam auctor exquisivisse, ut esset sequentibus fundamento.

PROPOSITIO X.

Potest Iudex reo præcipere, ut sententiam mortis in semetipso exequatur.

PROPOSITIO XI.

Iuste damnatus, ut fame pereat, potest oblatum cibum respuere.

PROPOSITIO XII.

Milites navales licitè ignem injiciunt in pulverem sulphureum se conjiciendo in mare, ut acerbiorem mortem evadant, & ne navis in hostium potestatem deveniat.

17. SEd elisо, per *S. Augustinum* allato fundamento, ruunt etiam ambæ propositiones eidem superstructæ; futilis proinde est illa ejusdem inventoris argumentatio; *Valde moderate procedemus si dicamus eodem modo teneri hominem abstinere ab homicidio sui quo ab homicidio alterius: At si in Republica auctoritas ut possit carnifici præcipi occisio alterius hominis rei, ergo & erit, ut eidem si reus sit, possit mandari occisio sui ipsius*: Negatur enim antecedens, ad cujus probationem respondetur disparitatem à *Sancto Augustino* esse allatam. Cui accedit amor naturalis quo omnia etiam irrationabilia connaturaliter ad conservationem sui ipsius in esse tendunt. Soliusque illius sit per se ve

se vel suos vicarios justitiâ & bono publico sic exigente vitam tollere, qui dedit: si proinde judex reo suiipsius interemptionem præciperet, illi tanquam iniquè & contra legem Divinam ac naturalem præcipienti, reus nec teneretur, nec posset parere.

18. Eodem modo, nec à suicidio excusantur milites pulverem nitratum incendentes, cum æque ipsi privata auctoritate extra ordinem defensionis naturalis adeoque contra divinum & naturale præceptum se perimant: Nec ligat si dicas hanc sui ipsius peremptionem fieri indirecte, non enim talis se ipsum perimit, sed impetus turris aut navis: certum est enim talem vere intendere suicidium non minus quam *Saul* gladio incumbens, & ita se interimens. Quia enim talis actio *Saulis* ex sua natura ordinabatur ad suicidium, hinc suicida appellatur. At non minus actio militis pulverem nitratum incendentis eo ordinatur, erit proinde par ratio: Longe aliud est de milite stationem etiam in certissimo mortis periculo non deserente, reo ex carcere, dum potest, non fugiente, peste infectis serviente &c. Tales enim

actio-

actiones earumve omissiones, non ex natura sua, sed per accidens & voluntate alterius ad occisionem tendunt, suntque potius non conservatio vitæ, quam violenta ablatio.

19. Nec est generosi & militaris, sed abjecti animi mortem sibi accelerare timore mortis acerbioris, vel conservationis navis, quæ est bonum inferius vita hominis. Unde S. Augustinus lib. 1. de civit. Dei c. 22 quicunque ait *in seipsis hoc perpetraverint, animi magnitudine fortasse mirandi, non sapientia sanitate laudandi sunt: quanquam si rationem diligentius consulas, nec ipsa quidem animi magnitudo recte nominatur, ubi quisque non valendo tolerare vel quæque aspera, vel aliena peccata se ipse interemerit. Magis enim mens infirma deprehenditur, quæ ferre non potest vel duram sui corporis servitutem vel stultam vulgi opinionem: Major q; animus merito dicendus est, qui vitam ærumnosam potest ferre quam fugere.* Cui consonat *Seneca Epist. 24. Vir fortis & sapiens* ait: *non fugere debet vita sed exire* & *Epist. 70. stultitia est timore mortis mori: venit qui occidat, exspecta quid occupas? quare suscipis aliena crudelitatis procu-*

rationem

rationem? utrum invides carnifici tuo, an parcis?

20. Denique clariſſimis & paucis verbis *Doctor Angelicus* tres relatas propoſitiones enervat, dum *2.2.quæſtione 69.a 4.ad. 2.nullus condemnatur* ait: *quod ſibi ipſi inferat mortem, ſed quod ipſe mortem patiatur, & ideo non tenetur facere id, unde mors ſequatur, quod eſt manere in loco unde deducatur ad mortem; tenetur tamen non reſiſtere agenti, quin patiatur, quod juſtum eſt eum pati, ſicut etiam ſi quis ſit condemnatus ad mortem, ut fame pereat, non peccat, ſi cibum ſibi occulte miniſtratum ſumat, quia non ſumere eſſet ſeipſum occidere.* Cum autem idem ſentiat *Doct. Angelicus 2.2.q.46.a 5.ad 4. Nulli licere ſe ob quamcunq; etiam cauſam occidere*, conſequenter judicat in caſu propoſito talem teneri cibum ſumere, ne ſuicidium & ex hoc homicidium & conſequenter peccatum mortale incurrat, *tranſitus* ait *S. Thomas loc. cit. ad ar. 3. de hac vita ad aliam feliciorem, non ſubjacet libero hominis arbitrio, ſed poteſtati divinæ, & ideo non licet homini ſe ipſum interficere, ut tranſeat ad feliciorem vitam, ſimiliter*

militer etiã, nec ut quaslibet miserias evadat, quia ultimum malorum hujus vitæ & maximè terribile est mors, & ideo inferre sibi mortem, ad alias vitæ hujus miserias evadendas est majus malum assumere ad minoris mali vitandum. Similiter etiam non licet seipsum interficere propter aliquod peccatum commissum, tum quia in hoc sibi maximè nocet quod sibi adimat necessarium pœnitentiæ tempus: tum etiam quia malefactorem occidere non licet nisi per judicium publicæ potestatis. Similiter non licet etiam mulieri seipsam occidere ne ab alio corrumpatur, quia non debet in se committere crimen maximum, quod est suiipsius occisio, ut vitet minus crimen alienum: non enim est crimen mulieris per violentiam violatæ, si consensus non adsit; quia non inquinatur corpus nisi de consensu mentis, ut Lucia dixit: Constat autem minus esse peccatum fornicationem vel adulterium quam homicidium, & præcipue sui ipsius quod est gravissimum, quia sibi ipsi nocet, cui maximam dilectionem debet. hæc D. Thomas.

21. Quæ omnia pulcherrime ad nostrum intentum deducit Covarruvias tom. 2. lib.

c.2.n.8. ubi, poſtquam dixiſſet: *Licuiſſe martyribus in carcere tyrannorum manere, nec peccaſſe ideo ob rationem D. Thomæ*, mox ſubjungit: *Secundo infertur nunquam licuiſſe, nec licere, divinâ juſſione ſecluſâ, etiam ex cauſa religionis & martirij ratione in fidei teſtimonium, cuiquam ſeipſum jugulare: ſeipſum veneno occidere, aut actum morti immediatum exercere; Nec enim ita Deus Opt. Max. Jeſus Chriſtus religionem fidemque Chriſtianam inſtituit, ut neceſſarium ſit vel expediens, quenquam in ſe ipſum crudelem committere executionem. Nec actus is, ex quo immediatè ſequitur mors, poteſt ex aliqua cauſa reddi licitus &c.*

22. *Tertio infertur eſſe verum, nulli licere ſibi mortem conſciſſere etiam ob evitandum ſtuprum, ob evitandum aliud quodcunq; peccatum: pati enim omnia mala debet quis potius, quam peccato conſentire, non tamen graviſſimum homicidij crimen admittere ob alterius crimen avertendum.*

Quarto hinc colligi poterit damnatum etiam juſte, ut fame moriatur, omnino peccare mortaliter, & ſeipſum occidere ſi oblatos ſibi cibos noluerit ſumere.

23. In

23. In foro etiam externo gravius æstimari sui-quam homicidium, si non sit voluntarium & latrocinium: ex pœna utrique ordinarie imponi solita, colligitur: homicida enim capite minuitur: suicidæ verò cadaver ad caudam equi alligatum per publicas plateas raptatum capite bidenti seu furcæ adomnium spectaculum & terrorem imponitur: quasi reus nec pœna capitis, nec patibuli sed atrociori supplicio sit dignus.

24. Sui-& homicidio succedit fœticidium sive occisio fœtus in utero matris existentis: Certum est enim fœtum utero materno concluſum aliquid hominis esse, sive quod homo infallibiliter & connaturaliter ex eo fiat, sivè quia est aliquid matris & quasi pars ipsius. *Membrum interius matris ait S. Thomas p. 3. q. 68. a. 11. ad 2. Est aliquid ejus per continuationem & unionem naturalem partis à toto: puer autem in utero matris existens, est aliquid ejus per quandam colligationem corporum distinctorum; & ff. lib. 25. tit. 4. l. 1. §. 1. partus antequam edatur mulieris portio vel viscerum*

25. Quærit *Lessius de Jure & Justit. lib.*

2.c 9.dub.10. *An ad conservationem vitæ matris liceat præbere pharmacum, quo proles putetur moritura*, & resp. negative, sive sit ante sive post animationem prolis. *Ita Covarm. & Clementina si furiosus p 2.§.3 n.1* asserens Communem omnium sententiam ex *Petro Navarr.lib,2 c.3 n.140.* Non quidem post animationem, quia est directa occisio innocentis, ad alterius conservationem, cui constituitur pœna mortis *l.pen c.de sicariis & l. divus π. de extraordinariis criminibus*, nec ante, *quia procurare abortum propter sanitatem est illicitum: sicut procurare pollutionem propter eundem finem.* Vtrumque enim est, contra naturam generationis, neque est medium per se necessarium ad sanitatem.

His tamen non obstantibus repertus est qui asseverare ausus fuit.

PROPOSITIO XIII.

Probabile est fœtu necdum animato licere procurare abortum ad vitandum scandalum, aut mortem.

26. Ex

26. EX quo apparet (pergit assertor) non facile condemnandam puellam abortum facientem, cum nondum est animatus fœtus, ne deprehensa gravida, occidatur vel diffametur, ac ita pro medio evadendi diffamationem vel mortem (qui casus raro contingit) assumitur vel homicidium, si anima rationali fœtus animatus sit, vel fœticidium si nondum; ut talis ergo ex humana fragilitate forte lapsus evadat mortem, quæ corporis, vel diffamationem quæ minus malum est, committet mortale peccatum, quod animæ malum & mors est (cum peccato mortali perdatur vita animæ Deus) committendo homi-vel fœticidium: esse autem fœticidium sive animatus sive nondum animatus sit fœtus unanimiter sentiunt SS. Patres & Ecclesia vetus. Vnde *Tertull. in Apolog. c. 9. nobis* ait *homicidio semel interdictum, etiam conceptum in utero, dum adhuc sanguis in hominem delibatur, dissolvere non licet, homicidii festinatio est, prohibere nasci, nec refert natam quis eripiat animam an nascentem disturbet, homo est & qui est futurus, & fructus omnis jam in semine est*; cui consonans S. August.

gust. serm. 244. de tempore, nulla mulier ait, potationes ad abortum accipiat, nec filios aut conceptos, aut jam natos occidat, quia quæcunque hoc fecerit, ante tribunal Christi sciat se eorum causam, quos occiderit esse daturam, sed nec alias diabolicas potationes debent mulieres accipere; mulier autem quæcunque fecerit hoc, per quod jam potest concipere, quantoscunque parere poterat, tantorum se homicidiorum ream esse cognoscat.

27. Et S. Hieronymus Epist. 28. c. 5. ad Eustochium: Piget dicere ait, quod quotidie virgines ruant, quantas de suo gremio perdat mater Ecclesia, super quæ sidera inimicus ponat thronum suum, quot petras excavet & habitet coluber in foraminibus earum. Videas pleraſq; viduas antequam nuptas infelicem conscientiam, mentita tantum veste, protegere, quas nisi tumor uteri & infantium prodiderit vagitus sanctas & castas se esse gloriantur & erecta cervice & ludentibus pedibus incedunt: Aliæ verò sterilitatem præbibunt, & necdum sati hominis faciunt homicidium: Nonnullæ dum senserint se concepisse, de scelere abortij venena meditantur, & frequenter etiam ipsæ

commer-

commortuæ trium criminum reæ, ad inferos deducuntur: homicidæ sui, Christi adulteri, necdum nati filij parricidæ. Cui consentiens *Synodus Wormatiensis c. 35. & pœnitentiale Romanum.* Illa: *Mulieres* ait *quæ ante temporis plenitudinem conceptos utero infantes excutiunt, ut homicidæ procul dubio judicandæ sunt.* Hoc verò: *si quis* ait *explendæ libidinis vel odij meditatione, ut non ex eo soboles nascatur, homini vel mulieri aliquid fecerit vel ad potandum dederit, ut non possit generare vel concipere, ut homicida teneatur.*

28. Quæ verba SS. Patrum licet clarissima, nihilominus audent Neoterici quidam, fœticidij & homicidij iniqui patroni evertere, ipsa probabiliter esse licita asseverantes: idque ne mater gravida deprehensa diffametur, aut mortis periculum incurrat; cumque ordinarie, extra matrimonium diffamatio sequatur, ordinarie quoque secundum hos erit licita fœtus vel occisio vel expulsio.

Certe aliter sensit *jus civile, Constitutio criminalis Caroli V.* & Doctores *à Carpzov in prax. crimin. q. 11. n. 2. citati.* Vnde communis eorum sententia est, conformiter jure dicta

dictæ *constitutioni Criminali art.133.* quod si quis partum animatum abigit pœnâ ordinariâ *Legis Corneliæ de Sicariis:* Si verò nondum animatum, pœnâ extraordinariâ, veluti relegatione, fustigatione vel etiam mitiori pro arbitrio judicis puniatur. Cui consentit *Elector Saxon. parte 4. const.4.* partum animatum excutienti gladij pœnam præfigens, qui ut etiam tollat omnem de tempore animationis fœtus dubitationem: clausulat constitutionem suam hisce verbis, *quod si fructus fœtus nondum vixerit, & adhuc infra medietatem fuerit, &c.* Non solet autem pœna capitis, fustigationis, vel relegationis, nisi criminibus infligi adeoque qui fœticidio, vel fœtus expulsioni tales pœnas præfixerunt, graviſſimum utrumque crimen esse judicarunt. Vt autem anterioris assertionis inventores tanto facilius reddant fœticidium, imò totaliter tollant, ecce novam inventionem, quâ asserunt.

PROPOSITIO XIV.

Probabile est omnem fœtum, quamdiu in utero est, carere animâ rationali.

29. PRoinde juxta hos, fœtus incipiet prius habere animam rationalem dum paritur, quo supposito & veritate assertionis præcedentis, consequens est semper licere expellere fœtum, & nunquam committi homicidium. *Less.* ubi supra *n. 63.* non dubitans de animatione fœtus in utero adhuc existentis, quærit quãdo proles animetur anima rationali, & respondet improbando *Covarruvia* opinionem, qua putat mares *die 40.* à conceptu, fœminas *80.* animari, & ait, *verius est utrumq; fœtum animari simulatq; fuerit formatus*, nam *Exodi 21.* juxta versionem *70. Interp.* dicitur *qui percusserit mulierem prægnantem, & illa abortum fecerit, si fœtus nondum erat formatus dabit animam pro anima, si non-dum erat formatus mulctabitur pecunia*, ubi aperte insinuatur fœtum habere animam simulatque fuerit formatus; idem docet

medici

medici: quoto autem die formatio absolvatur: docet *Hipocrates lib. de natura fœtus*; ubi dicit *maris formationem absolvi die 30. aliquando die 35. aliquando 40. aliquando 45. fœminæ vero nunc 30. nunc 35. nunc 40. nunc 45. nunc 50.* huc usque *Lessius ex infallibili* scriptorum testimonio & medicorum (quibus in sua arte credendum) assertis fœtum in utero materno existentem animari anima rationali. Cui accedit aucto: *S. Augustini Ench. c. 68.* dicentis *negare vixisse puerperia, quæ propterea membratim exsecantur, ut eijciantur ex uteris prægnantium, ne matres quoque, si mortua ibi relinquatur occidat, impudentia nimia videtur.*

30. Fœticidio succedit mutilatio, quæ est membri humani, salvâ interim, vitâ totius, amputatio, quam quoque novantes laxitatibus suis involuunt, dum illud, quod sub solius Dei potestate est, hominis dominio subijciunt, asserentes licere hominem se mutilare vel mutilari permittere.: cum tamen juxta communem Doctorum sententiam membrum amputare non liceat nisi propter bonum totius. Ita *D. Thomas 2. 2. q. 56. a. 1. si*

membrum inquit sanum fuerit, & in suâ naturali dispositione consistens, non potest præscindi absque totius corporis detrimento: sed quia ipse totus homo ordinatur ut ad finem, ad totam communitatem, cujus est pars, potest contingere, quod etsi abscissio membri vergat in detrimentum totius corporis, ordinetur tamen ad bonum communitatis, in quantum alicui infertur in pœnam in cohibitionem peccatorum. Et ideo sicut aliquis per publicam potestatem licite privatur vitâ propter aliquas majores culpas, ita etiam privatur membro propter aliquas culpas minores. Hoc autem non est licitum alicui personæ privatæ, etiam volente illo, cujus est membrum, quia per hoc fit injuria communitati, cujus est ipse homo & omnes partes ejus. Si verò membrum propter putredinem sit totius corporis corruptivum, tum licitum est de voluntate illius cujus est membrum &c.

31. Et ibidem in solutione ad tertium membrum non est præscindendum propter corporalem salutem, nisi quando aliter totaliter subveniri non potest, saluti autem spirituali semper potest aliter subveniri quam per membri præcisionem quia peccatum subjacet voluntati, & ideo

& ideo nullo casu licet præcidere membrum propter quodcunque peccatum vitandum; Ex quibus patet quod juxta mentem *D. Thomæ* nunquam liceat vel ipsi sibi amputare, vel ab alio amputari permittere membrum aliquod nisi quando aliter toti subveniri non potest, vel quando id fit à publica potestate in ordine ad bonum commune; specialiter autem quod id non liceat propter quodcunque (ut omnis tollatur exceptio) vitandum peccatum: sed utrumque hoc certissimum *Doct. Angelici* fundamentum evertere conantur laxitatum invectores, dum docent.

PROPOSITIO XV.

Consentientem filium, pater castrare potest, ut voce & cantu Ecclesiæ serviat.

PROPOSITIO XVI.

Ad evitandas carnis tentationes, seipsum quis castrare potest.

32. PRioris assertionis rationem assignat Auctor, *quia certum est magni debere fieri vocis excellentiam, vocis suavitatem, stipendij opulentiam, & apud Reges & Principes auctoritatem:* magni inquam debet fieri & majoris quam integritas corporis membrumque corporale & & vita ipsius: Nimirum vult hic author vanam Principum æstimationem & vocis suavitatem, adde lautiorem conditionem & tractationem præferri posse membris corporalibus, cum tamen bona famæ, & æstimationis humanæ tanquâ viliora bonis corporalibus ex natura rei non dominari sed ancillari debeant. Secundæ vero ratio est, quod summi debeat fieri conscientiæ securitas & tranquillitas, pro qua vel obtinenda vel conservanda, poterit adolescens cælebs, qui aliter nescit tentationes carnis superare relicto etiam legitimo matrimonio, quo similes tentationes superare posset, ad remedium castrationis recurrere: supponit proinde author per remedium castrationis posse tentationibus carnis obviari, illâque positâ has cessare. Sed mirum esset hasce rationes à SS. Patribus & doctoribus huc-

hucusque fuisse incognitas. Verum longe aliud & salutarius remedium suggerit *sapiens. sap. 8. ut sciui* inquiens; *quoniam aliter non possem esse continens nisi Deus det, & hoc erat sapientiæ scire, cujus esset hoc donum, adij dominum & deprecatus sum illum*: Non ait sumpsi ferrum & castravi meipsum, *sed adij dominum & deprecatus sum illum.* Certe castrationem & membrorum genitalium præcisionem non esse conveniens tentationum carnalium superandarum remedium, proq; graviſſimo crimine sæper in Ecclesia & à SS. Patribus habitum testantur Canones Apostolorum unde *Canon. 22.* sic habet, *si quis abscidit semetipsum, id est, si quis amputarit sibi virilia, non fiat Clericus, quia suiipsius homicida est, & opificij Dei inimicus.* & alter mox sequens, *si quis cum clericus fuerit abscinderit semetipsum, omnino damnetur, quia suus est homicida.*

33. Hocidem dubium sibi proponit *Lessius de jure & justit. lib. 2. c. 9. dub. 14. n. 97. An scilicet ob animæ salutem, v. g. ad carnis tentationes vitandas aut superandas liceat se mutilare*, & respondet: *nunquam licere*, ra-

tionemque hanc assignat, quia id nunquam est medium necessarium ad animæ salutem, non enim membra adferunt homini perniciem (alioqui Deus prave naturam instituisset) sed malitia & negligentia liberæ voluntatis. Vnde qui hanc ob causam membrum aliquod secant, tacitam quandam injuriam & blasphemiam Deo irrogant: adde neque etiam conveniens remedium esse, vel utile, quia abscissio seu castratio non tollit tentationes carnis sed solummodo impedit generationem, quin potius illi, qui castrantur, præsertim in virili ætate magis incitantur libidine, ut docent S. Patres: quæ certe rationes non solum allatis ex adversorationibus efficaciores sunt, sed eas prorsus evertunt. Vnde citatus ab eodem Lessio *Chrysost. hom 63 in Matth. neque enim eâ* ait, *castratione scilicet cupiditatis æstus mitigantur, sed graviores inflammatioresq; redduntur.*

34. Vnde est & illa *S. Basilij Epist. 87. ad simpliciam in Eunuchos invectiva, si testibus opus fuerit non sistentur servi, neque ignominiosum illud ac omnibus modis perniciosum Eunuchorum genus, genus hoc inquam neque fœmi-*

fœmininum neque masculinum, insaniens in mulieres, invidiosum, vilis pretij, animo feroci, effœminatum, ventri deditum, auri cupidum, sævum, inter cœnandum plorans, inconstans, illiberale, stabularium, insatiabile, furiosum, Zelotypum, & quod amplius dicendum est, cum ipsa statim generatione ferro damnatum: quomodo ergo rectus esse poterit, istorum animus, quorum pedes distorti sunt, isti frustra casti manent per ferrum, insanientes sine fructu propter suam turpitudinem. Id quod etiam *lib. de virginitate* circa finem ratione & exemplis hoc modo confirmat. *Neque enim* ait, *pudicitiæ ratione laudare convenit hujusmodi abscissos, quia neque equos, quod cornu non impetant laudamus, sed hos quidem, nisi calcitrent, laudamus, bonos vero, non cornipetas mansuetudinis gratiâ suscipimus. Non enim quo quisque non potest, sed quo cum possit, non ad injuriam utitur admirationi habetur. Quod si putant abscissionem genitalium aliquid ad pudicitiam atque innocentiam animæ conferre posse, eruant & oculos plurima præterrationem salutis intuentes. Præcidant simul & pedes, & manus, & aures, penitus abstineant*

ſtineant ne quid horum, peccati inſtrumentum fiat. At id quidem ſtultum & irrationabile eſt & inſaniæ furoriſq; pleniſſimum, peccati cauſam non aliter auferri poſſe, arbitrari, niſi undique circumcidantur membra omnia, eâratione, qua diximus, truncisq; in morem inutile omnino jaceat corpus, quando ſic etiam ex præcedentibus imaginibus deluſa mens peccet: Juſtiſſime proinde à SS. Patribus taxatur & damnatur *Origenes*, quod incontinentiæ ſedandæ cauſa ſeipſum caſtraverit, unde de illo aliiſque ait citatus ante *Baſilius, qui non intellexerunt quod dictum eſt, ſunt Eunuchi, qui ſeipſos caſtraverunt, propter regnum cœlorum, ſeipſos nimis improbe mutilarunt*: ex quibus conſectarium eſt, exploſam jam ante ſecula illam, quam qui ſupra Author aſſeruit ſententiam ſcilicet.

PROPOSITIO XVII.

Certius eſt poſſe ſe caſtrare propter vitam æternam, quod legimus feciſſe Origenem & multos ſanctos attentaſſe aut deſideraſſe, quam ob ſuavitatem vocis.

35. Vtrum-

35. VTrumq; enim falsum est, tam prius quã posterius, tum quia castratio, ut jam visum, non est medium conveniens ad consequendam, quin potius ad amittendam vitam æternam, tum quia nullus est dominus suorum membrorum corporalium, ut ex auctoritate Doct. Angelici ostensum est, peccat proinde graviter & mortaliter, qui sibi ipsi membra genitalia, quocunque tandem prætextu & fine, nisi ob conservationem totius præscindit, suiq́ue homicida est, eo quod membro corporali, animâ totius corporis informatâ, vitam tollat, cujus solus ille est dominus, qui ait, *ego occidam & vivere faciam, percutiam & ego sanabo, & qui solus vitæ & mortis habet potestatem*, quod bene advertit *Covarruvias l. 1. p. 3. n. 8.* ubi dicit: *mutilationem membri alicujus homicidio comparari & æquipollere, ut quemadmodum hominem occidens dubio procul irregularis est, ita & irregularis erit, qui hominem membro mutilarit:* idem probatur *ex. c. 1. de clericis pugnantibus in duello, cap. in Archiepiscopatu de raptori. c. clericus, ne clerici vel monachi.*

ARTICVLVS X.

Continens laxitates sexti et noni Decalogicorum Præceptorum laxativas.

I. COnjungimus utrumque hoc præceptum, quorum unum illicitum voluptatum carnalium usum, alterum verò earundem illicitam concupiscentiam damnat & vetat: illud dicendo non mœchaberis, hoc verò non concupisces uxorem proximi tui: tanta enim amborum quemadmodum & septimi furtum, & decimi concupiscentiam rei alienæ vetantis est vicinitas & connexio, ut plures SS. Patres laborarint in assignanda inter illa diversitate: hinc *S. Augustinus q. 71. in exodum: quæritur*, ait: *quo differat, non furtum facies, ab eo, quod paulo post de non concupiscendis proximi rebus præcipitur: non quidem omnis, qui rem proximi sui concupiscit, furatur, sed si omnis, qui rem proximi furatur, concupiscat: poterat in illa generalitate*

ralitate, ubi de non concupiscenda re proximi præcipitur, etiam illud, quod ad furtum pertinet, contineri. Similiter etiam quæritur, quid differat quod dictum est: non mœchaberis ab eo, quod paulo post dicitur: non concupisces uxorem proximi tui? in eo quippe, quod dictum est; non mœchaberis, poterat & illud intelligi, nisi forsitan in illis duobus præceptis non mœchandi & non furandi, ipsa opera notata sunt, in his verò extremis ipsa concupiscentia. Quæ tantum differunt, ut aliquando mœchetur qui non concupiscit uxorem proximi sui, cum aliâ aliquâ causâ illi miscetur: aliquando autem eam concupiscat, nec ei misceatur pœnam timens. Hæc *Augustinus* diversitatem utrorumq; præceptorum sufficienter assignans.

2. Sciendum est autem ex eodem *S. Augustino:* quod licet mœchia ex prima sua institutione adulterium, & mœchos non nisi adulteros designet, & significet, nihilominus etiam nomine mœchiæ fornicationem significari, teste illo Christi: *Quicunque uxorem dimiserit exceptâ causâ fornicationis facit eam mœchari.* Vbi vides fornicationem vocari, quod reipsa adulterium est: Si enim

conjugata cum alio, quam legitimo suo marito carnaliter peccet, utique thorum matrimonialem violat, adeoque adulterium non fornicationem solum committit. Vnde ex his suppositis sic infert citatus *S. Augustinus*. *Sed si furti nomine benè intelligitur omnis illicita usurpatio rei alienæ: non enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit: Sed utiq; à parte totum intelligi voluit, quidquid illicitè rerum proximi aufertur: profectò & nomine mœchiæ omnis illicitus concubitus, atque illorum membrorum non legitimus usus debet intelligi prohibitus. Et libro de decem chordis cap. 3. Dicitur tibi*, inquit, *non mœchaberis, id est, non ibis ad aliam aliquam præter uxorem tuam: Etenim qui simplicem fornicationem committit, it ad eam, quæ non est sua uxor, adeoque transgressor est præcepti non mœchaberis.* Cui conformiter *Magister sententiarũ l. 3. dist. 37. §. 9. Tertium præceptum est*, inquit, *non mœchaberis, id est, ne cuilibet miscearis, excepto fœdere matrimonij, à parte enim totum intelligitur.* Nomine ergò mœchiæ omnis concubitus illicitus, illorumque membrorum non legitimus usus debet intelligi.

3. Nec

3. Nec solum sed & illiciti concubitus conjugum inter se hoc præcepto vetantur, cum quoque nomine illiciti concubitus veniant. Vt 1. Si copula post emissum votum castitatis exerceatur. 2. Si non sit naturalis sed sodomitica. 3. Si de industria interrumpatur, ut fœcunditas impediatur. 4. Si modus congrediendi sit inordinatus. 5. Si sit immoderata cum periculo sanitatis propriæ aut prolis utero gerendæ vel gestæ. 6. Si sit ardens nimium, ut meretricius potius, quam matrimonialis affectus notetur: adulter est enim juxta *Hieron. lib. 6. in cap. 18. Ezech.* *uxoris propriæ amator ardentior.* *In alienæ quippe uxore* inquit *idem, omnis amor turpis est, in sua nimius. Sapiens vir judicio debet amare conjugem non affectu, reget impetus voluptatis, nec præceps feretur in coitum. Nihil est fœdius quam uxorem amare quasi adulteram. Certè qui dicunt se causâ reipublicæ & generis humani uxoribus jungi, & liberos tollere: imitentur saltem pecudes, & postquam uxorum venter intumuerit, non perdant filios, nec amatores se uxoribus adhibeant, sed maritos.*

Hoc

Hoc sextum & nonum Decalogi præceptum, non minus laxant novitatum inventores, quam anteriora inter quos primo loco censendi, ij qui supra asserere ausi sunt, licere filio optare mortem patris, ad adipiscendam hæreditatem: Matri mortem filiæ, ut ejus sollicitudine & curâ liberetur: ij enim suis ibi positis principiis, consequenter asserere debent.

PROPOSITIO I.

Licet viro cælibi optare mortem Mariti ad assequendam ejus uxorem.

PROPOSITIO II.

Licet uxorato optare mortem uxoris suæ, ad habendam aliam.

4. SI enim idcirco in prioribus tale desiderium, sit licitum, eo quod fiat intuitu boni assequendi, & non præcisè in quantum mors est malum optato; utique & in duabus posite-

posterioribus tale desiderium quoque excusari poterit, cum fiat ob bonum, quod optans sibi sperat, sivè illud sint divitiæ, sivè pulchritudo in futuro matrimonio fruenda, sivè aliud quid. Sed his futilibus ratiunculis ad quartum Decalogi præceptum ex SS. Patrum authoritatibus sat responsum est, maximè ex illo *S. Augustini: Illo vivo, quem vis mori te homicidam tenet Deus in corde,* & altero notissimo *Christi Domini, qui viderit mulierem ad concupiscendam eam, jam mœchatus est in corde suo.*

Jam allegatis authoribus succedunt illi qui audent & dicunt.

PROPOSITIO III.

Finis solius delectationis in conjugatis, ne quidem veniale peccatum est.

5. PAr enim ratio apud illos est pulchrum prospectare campum, fragrantem rosam odoratui ob voluptatem admovere, suavi melodiæ liberas aures dare, ac uxorem solius delectationis causa cognoscere; Sed re-

clamat

clamat his sacra scriptura, reclamat ipsius-met instituti matrimonij finis, reclamant denique *S. Augustinus, & alij SS. Patres*: ambo priora *S. Augustinus lib. de bono conjugali cap. 6.* Sub compendio proponit his verbis: *conjugalis concubitus*, ait: *: generandi gratiâ non habet culpam, concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum conjuge propter fidem thori, venialem habet culpam:* & *cap. 7.* reddere ait *debitum conjugale nullius est criminis, exigere autem ultra generandi necessitatem, culpa venialis.* Et *cap. 10.* certè ait: *jam dubitare fas non est; nuptias non esse peccatum. Non itaq; nuptias secundum veniam concedit Apostolus: nam quis ambigit absurdissimè dici non eos peccasse, quibus venia datur? sed illum concubitum secundum veniam concedit, qui fit per incontinentiam: non solâ causâ procreandi, sed etiam aliquando nullâ causâ procreandi, quem nuptiæ non fieri cogunt, sed ignoscium petrant: Si non sit nimius, ut impediat quæ posita esse debent tempora orandi: nec immutetur in eum usum qui est contra naturam, concubitus enim necessarius causa generandi inculpabilis, & solus ille nuptialis est: ille autem*

qui

qui ultra necessitatem istam progreditur, jam non rationi sed libidini obsequitur.

6. Et tandem *serm. 63. Cæterum* inquit, *qui uxoris carnem amplius appetit quam præscribit limes ipse liberorum procreandorum causa, contra ipsas tabulas facit, quibus eam duxit uxorem. Nisi ad hoc dentur ad hoc accipiantur uxores, quis sanâ fronte det filiam suam libidini alienæ? sed ut non erubescant parentes cum dant recitantur tabulæ: ut sint soceri non lenones. Quid ergo recitatur de tabulis? liberorum procreandorum causâ.* Consentit *Isidorus lib. 2. sent. cap. 40.* ubi ait, *quosdam conjugale decus non pro gignendis filiis delectat. sed hoc pro turbulenta carnis & libidinosa consuetudine appetunt. Et lib. de offic. Eccles. cap. 19. Illæ sunt certæ nuptiæ* inquit: *quæ in conjugio non libidinem, sed prolem requirunt, neque enim sic institutæ sunt, ut carnis voluptatibus serviant: sed tantum ut, fructum propaginis quærant. Nam & ipsæ tabulæ dotales indicant, quod causa procreandorum liberorum ducitur uxor: quando ergo quisq; luxuriose amplius vivit, quam necessitas procreandorum liberorum cogit: jam peccatum est:* Imò

hæc

hæc est communis SS. Patrum sententia; ita enim sentiunt *Cyril. Hierosol. catech. 4. de corpore. Chrysos. hom. 22. in Genesim. Isidorus Pelus. lib. 3. Ep. 46. Basilius de verâ virginitate. Cyrillus Alexand. lib. 15. in adorat. de spirit. & veritate. Gregorius lib. 12. Registr. Epist. ad. 10. interrogat. Clemens Alexandrinus lib. 2. pædagogi. cap. 10. ubi* ait: *ne semina, ubi non vis tibi nasci, quod seminatum est, neque ullam omninò tange fœminam, præter tuam ipsius uxorem, ex quâ solâ tibi licet carnis voluptatem percipere propter legitimam successionem: hæc enim sola rationi sunt legitima.* Et innumeri alij tam Patres, quam Scholastici; ut *Henriquez*, merito eam antonomasticè vocet Patrum sententiam.

Prioris assertionis invectoribus, longe graviùs illi allisêrunt, qui adulterium non esse, quando compars in copulam cum tertiò consentit, & juri suo, vel quasi renunciat asseverare sunt ausi: sit proinde.

PROPOSITIO IV.

Copula cum conjugata consentiente marito, non est adulterium.

7. Ex

7. EX quo assertor consequenter infert, non esse necesse in confessione dicere se commisisse adulterium, sed esse fornicatum: verum propositionem hanc *Anno 1653.* ad instantiam *Archiepiscopi Mechlinensis* censuravit, *Schola Theologica Lovaniensis*, at diu ante quasi prævertens censuravit & condemnavit Doctor Gentium *Apostolus Paul. ad Rom. c. 7.* inquiens: *Quæ sub viro est mulier, vivente viro allegata est legi: Si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro.* Igitur teste Apostolo, ut mulier dicatur adultera, nil aliud requiritur, quam ut vivat vir ejus, cum ergo viro consentiente is adhuc vivat, utique consensu non obstante mulier cum alio concumbens adultera erit: cum Apostolus expresse dicat vivente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro: nec ullam apponat clausulam limitantem de consensu, vel dissensu mariti. Accedit, quod ex *D. Thoma 2. 2. q. 154. a. 8. in corpore. Adulterium non sit aliud, quàm accessus ad alienum thorum.* Ad quem indubiè accedit, qui alterius uxori miscetur, sive id fiat consentiente, sivè dissentien-

sentiente marito, cùm per hoc mulier non desinat esse thori, cujus anteà erat. Quid expendens genuinus Doctoris Gentium discipulus *S. Augustinus lib. 2. de adulterinis conjugiis cap 9. mulier* ait *alligata est, quamdiu vir ejus vivit: Ergo consequenter, & vir alligatus est, quamdiu mulier ejus vivit. Hæc alligatio facit, ut aliis conjungi sine adulterinâ copulatione non possint.* & *cap 12.* alludens ad illud, qui dimissam à viro duxerit, mœchatur: *Quomodo mœchatur* ait: *nisi quia illa, quam duxit, eo vivente à quo dimissa est, adhuc uxor aliena est? si enim jam suæ non alienæ miscetur uxori, utique non mœchatur: mœchatur autem: aliena ergo est, cui miscetur.* Imò tantum abest, ut consensus mariti adulteram adulterio absolvat, quin potius consentientem eodem crimine involvat, & ejusdem pœnæ se reum faciat: nec ullus hic suffragatur temporalis, vel alterius commodi prætextus: *nam non ideo* ait *S. August. mendacium putandum est non esse peccatum, quia possumus aliquando alicui prodesse mentiendo: possumus enim & furando aliquando alicui prodesse: si pauper, cui palam datur, sentit com-*

modum

modum, & dives, cui palam tollitur, non sentit incommodum nec ideo tale furtum quisquam dixerit non esse peccatum: Possumus & adulterando prodesse, si aliqua nisi adhoc ei consentiatur, appareat amando moritura, & si vixerit pœnitendo purganda: nec ideo peccatum negabitur esse tale adulterium.

His de adulterio dictis restat, ut quoque de illis, quæ alia vitia carnis concernunt scil. fornicationem & vitia contra naturam paucis differamus. Primum quidem laxant ij, qui viam quodammodò sternunt ad fornicationem, aliaque vitia carnis & docent.

PROPOSITIO V.

Osculum præcise, ut est actus carni delectabilis & remote disponens ad seminationem, tantum est veniale.

8. HAnc sententiam virtualiter quasi condemnavit *Anno 1666. felic Record. Alexander VII.* dum hanc. *Est opinio probabilis, quæ dicit tantum esse veniale, osculum*

lum habitum ob delectationem carnalem, & sensibilem, quæ ex osculo oritur, seclusopericulo consensus ulterioris & pollutionis, ut scandalosam damnavit & prohibuit. Improbatæ illam *Lessius de jure & justitia lib. 4. cap. 3. dub. 12. n. 59.* qui postquam fundamenta contrariæ sententiæ retulisset, subjungit: *Verum communior sententia est, in istis esse peccatum mortiferum: quæ & mihi probatur in praxi, tum quia communior, tum quia tutiùs est, ut omnia ista, quam maximè vitentur, tum quia sæpe est periculum ulterioris consensus, & morosæ delectationis, vel etiam pollutionis ratione temperamenti, aut peculiaris dispositionis corporis, quam ob causam expedit in hujusmodi non esse laxum.* Et quidem prudentissimè. Quis enim tam intelligens, qui delectationem ex contactu personæ sequioris sexus, ut fit in osculo, aliisque contactibus provenientem perfectè distinguere valeat, an sensibilis sit, an venerea? certè sæpe credo sensibilem judicari, & verè veneream esse: nec ad hoc requiritur, quod in partibus genitalibus semper inordinatus motus oriatur; cum impudicus aspectus sæpe detur, qui

peccatum

peccatum mortale sit, emanente nihilominus illicito motu, & quidem sæpe ob naturæ debilitatem, vel indispositionem. Vnde *Lessij* sententia placet *Laymanno lib.3 sect.4. n.14.* ubi hanc inter tactum & visum differentiam assignat, quod tactus puta amplexus, oscula &c. magis propinquè tendunt ad concubitum, ideoque delectatio sensibilis, quæ ex tactu voluntariè percipitur, ordinariè est venerea & mortalis. At verò visus, seu aspectus mulieris propinquè non tendit ad concubitum, & delectatio, quæ ex aspectu pulchritudinis percipitur, potest, & sæpe solet esse non venerea, ut si quis mulieris pulchritudinem contempletur, ob solam curiositatem, erit culpa venialis; sin verò ideo contempletur, ut Dei Authoris potentiam admiretur, nullum peccatum erit per se loquendo. Allegatæ jam propositioni sequens assimilatur.

PROPOSITIO VI.

Contactus uberum personæ sequioris sexus ex levitate, aut joco est solum peccatum veniale.

9. NOn est hic sermo de contactu, qui fit medendi, aut simili de causâ, sed de illo, qui est inter virum & fœminam, sivè illi liberi, sivè ligati sint, absque ullanecessitate, ex joco & levitate factus, hunc quidam à mortali excusare conantur, & quod talis contactus absque intentione delectationis venereæ fieri possit. Sed hoc fundamentum explodit *Laymannus loco citato n. 10.* ubi ait: *neque refert, quod tales tactus ad carnalem copulam intentione operantis sæpe non referantur: quia suapte naturâ eo spectant, ac tendunt, tanquam viæ, dispositiones, inchoationes, ideoq; mortalia esse solent inter personas nullo legitimo conjugij, aut sponsaliorum fœdere junctas.* Hic quoque notandum est: quodsi talia oscula, vel contactus fiant inter personas sanguine junctas: vel ejusdem sexus, conjugatas, Religiosas vel Ecclesiasticas in sacris constitutas &c. specialem adhuc assumant malitiam, in quantum ex naturâ suâ, tam quam dispositiones ad incestum, sodomiam, adulterium, vel sacrilegium ordinantur.

Melior proinde Moralista fuit *Apostolus*, qui pro similibus occasionibus suasit fugam.

fugæ

fugite inquiens *fornicationem:* cui conformiter *S. Augustinus serm. 250 de tempore cap. 1. ergo* inquit *contra libidinis impetum, apprehende fugam, si vis obtinere victoriam.* Et moxiterum *cap. 2. Inter omnia* ait *Christianorum certamina sola duriora sunt prælia castitatis, ubi quotidiana est pugna, & rara victoria. Gravem castitas sortita est inimicum, qui quotidie vincitur & timetur. Et ideo se nemo falsâ securitate decipiat, nemo de suis viribus perniculose præsumat, sed audiat Apostolum dicentem, fugite fornicationem. Et cap. 4. Iterum, iterumq; ait rogo, ut diligentius consideremus, & quantum possumus, timeamus, quod Dominus in Evangelio dicit: Qui viderit mulierem ad concupiscendam eam jam &c. Pro qua re non solum ab extraneis mulieribus, sed etiam ab ancillis propriis refrœnanda est, & secreta familiaritas & oculorum incauta fragilitas: ne impleatur in nobis, illud, quod Propheta terribiliter clamat: Intravit mors per fenestras vestras: Per quas enim fenestras mors ad animas nostras ingreditur, nisi per visum oculorum, & auditum aurium &c.* Subscribit *Magistro Augustino discipulus Doctor*

Angelicus in cap. 6. prioris ad Corinth. lect. 3. Notandum ait: *quod cætera vitia vincuntur resistendo, quia quantò magis homo particularia considerat, & tractat, tantò minus in eis invenit, unde delectetur, sed unde magis anxietur, sed vitium fornicationis non vincitur resistendo, quia, quantò magis ibi homo cogitat particulare, tantò magis incenditur. Sed vincitur fugiendo, id est, totaliter vitando cogitationes immundas, & quaslibet occasiones.*

10. Quod periculum à quinque sensibus velut portis, quibus ad cor, quod velut arx & metropolis, via patet. *Per quinque sensus* ait *Hieronymus lib. 2. contra Jovinianum. cap. 7. quasi per quasdam fenestras vitiorum ad animam introitus est: non potest ante Metropolis, & arx mentis capi, nisi per portas ejus irruerit hostilis exercitus. Horum perturbationibus anima prægravatur, & capitur affectu, auditu, odoratu, sapore, tactu.* Et Paulinus Nolanus Epist. 26. *Quinque sensibus* ait *omnes prædita sumus, per quos aut vitam recipimus, aut mortem: de ipsis enim dolens Propheta, ait, Mors introivit per fenestras, quas obstruamus amore Dei, ut ad omnes istius mundi for-*

mas &

mas & voces surdi simus, ac cœci: sepiamus aures nostras spinis contra linguam nequam, & illecebrosa modulamina. Avertamus oculos nostros, ne videant vanitatem: obstruamus & nares nostras, ne de corruptione hujus sæculi odorem mortis trahamus, neque per gustum illicem gulæ morbus irrepat, & concupiscentiarũ cibus continentiæ robur enervet: neq; mollibus vestimentis corpori blandiamur, ne carneos tactus & amplexus illicitos, delicatis male palpata tegminibus membra disquatiant. Actandem Hugo de S. Victore serm. 35. longum inquit est, omnia assequi, per quæ constat miseram animam ex suis sensibus infirmari. Isti sunt quinque porticus piscinæ, quæ in Evangelio commemorantur, in quibus jacebat multitudo languentium. Vnusquisque enim sensus tot servat languentes, quot appetituum patitur corruptiones: sed quoties spiritus sanctus descendit in nos, & in nobis excitat gratiam compunctionis, toties sanatur noster sensus, à quacunq; detineatur infirmitate corruptionis. Custodiamus sensus nostros, ne ingrediatur per fenestras mors ad animas nostras.

Sed his de fugiendâ fornicatione defu-

giendis occasionibus de mortificandis quæque per quas mors quasi per fenestras intrat sensibus, non obstantibus consiliis, imò mandatis: inventi sunt, qui occasiones peccati luxuriæ non solum non damnent, sed quodammodò suadeant: dum enim easin materiâ tam lubricâ, & ex naturâ suâ plurimum attractivâ licitas asseverare audent: ex consequenti quasi suadent; suadetur enim, quod in hac materiâ licitum asseritur: eorum proinde sunt, quæ sequuntur.

PROPOSITIO VII.

Licet quærere directe occasionem proximam peccandi, pro bono spirituali aut temporali nostro, vel proximi.

PROPOSITIO VIII.

Nemo tenetur vitare occasionem proximã peccandi, cum magno suo detrimento.

AD quam consequenter subsumit asserror: unde nec concubinarius tenetur dimit-

dimittere concubinam, quæ est ipsi utilis ad lucrandum bona temporalia mediâ negotiatione, vel etiam ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illa nimis ægre ageret vitam & epulæ tædio magno afficerent concubinarium, & alia famula ad id nimis difficilè inveniretur.

Vtramque hanc assertionem in se complectitur illa quæ sequitur.

PROPOSITIO IX.

Potest absolvi, qui in occasione proxima peccandi versatur quam potest, & non vult omittere, quinimò directe & ex proposito quærit.

11. QVibus omnibus quid aliud intendunt Authores, quam suadere concubinatum? suadere libidinem, etiam spontanee & directe quærere? & voluntarie in peccatis perseverare? Hoccine est Domino præcepto morem gerere? quo jubet abscindi & erui dextram manum pedem & oculum

culum scandalisantes? *Quam ob causam inquit Chrysost. hom. 17. in Matth. posuit dextrum? adjecit manum? ut scilicet disceret non de membris esse sermonem, sed de his potius, qui nobis familiaritate junguntur. Etsi igitur tantum aliquem diligas, ut eo dextri oculi vicem utaris, aut ita tibi quempiam putes esse utilem, ut cum dextro manus loco ducas, & hi tamen animæ tuæ forsan incommodent, etiam illos inquit abscinde à te. Et diligentius vim ipsam sermonis attende: non enim dixit discede à societate talium, sed maximam separationem indicat: Erue inquit & projice abs te.* Quod si dicas ex assiduo te cum mulieribus colloquio, congressuque & convictu non admodum lædi. Respondet tibi *Sapiens. Proverb. 6. Abscondet quis ignem in sinu suo & vestimenta non comburet? aut ambulabit quispiam super carbones ignis, & pedes non comburet?* Respondet tibi *Magnus Basilius in constit. Monast. cap. 3. Hic de quo sermo, aut maris naturæ particeps non est, & portentum est quoddam insolentissimum, & præter omnium opinionem admirabile.* Respondet denique *Doctor Mellifluus: cum fœminâ esse conversari &*

ri & vivere, & fœminam non tangere, nonne plus est, quam mortuum suscitare?

Sed absurditatem summam allatarum propositionum in suis censuris manifestat *Schola Theologica Lovaniensis*, dum primam intitulat *falsam, temerariam, pernitiosam, atq; ab auribus fidelium procul arcendam assertionem.* Secundam verò nominat præcedenti assertioni *consectariam*, & similibus notis inurendam, *quæ contineat præterea corollarium uti Epycureorum placitis consonam: ita Christianorum regulis (quibus manum, pedem & oculum quoque dextrum scandalisantem abscindere, atque à nobis abijcere præcipimur) consonum:* Et utramque censuram confirmavit *Censura Romana Anno 1666. ab Alexandro VII felic. record. fulminata.* Eandem censuram merentur sequentes.

PROPOSITIO X.

Non peccat frater sorori in domo parentum cohabitans, licet sit illis occasio peccandi.

PROPOSITIO XI.

Famuli comitantes Dominum ad Domum concubinæ, quo sine eis non iret, vel referunt literas internuncias & horam ad peccandum vel excubantes illis peccantibus, absolvi possunt, si ob temporale commodum id faciant.

12 PRioris rationem hanc assignat Author, quia ejusmodi occasio, quamvis extrinseca, non est voluntariè assumpta. Cui accedit mos patriæ, & periculum diffamationis: quasi vero non possit aliis modis obviari tali & diffamationi, & mori patriæ: vel assumptione alterius status, vel peregrinatione, novo officio. &c. Posterioris ratio ipsimet inserta est eadem, quæ superiorum: scil. commodum temporale, oblectamentum, negotiatio &c. Videntur quoque omnibus his patrocinari jurisperiti, qui concubinatum appellant coitum legitimum, ita *Bartolus in l. penult. de concubinis, & quidam alii sed*

sed alia illorum mens est: nil enim aliud teste *Covarruviâ de sponsalibus p. 1. cap. 4. n. 6.* volunt, quam legibus permitti & non puniri: ut enim in *d. l. penult.* dicitur, quia concubinatus per leges nomen assumpsit, extra legis pœnam est. Vnde melius diceretur, lege permissus, quam legitimus. Corrigit nihilominus Jus Canonicum in hoc jus civile, punitque tam in foro exteriori, quam conscientiæ. Rationes proinde horum Authorum omnium SS. Patrum & scholasticorum Doctorũ hactenus in cõmuni approbatis fundamentis diametraliter contrariantur, dum judicant bona honoris & famæ, bonaque temporalia bonis animæ, delectationesque & oblectamenta carnalia bonis animæ, ejusque saluti præferenda, quibus merito illud Salvatoris nostri opponatur. *Nonne anima plus est, quam corpus?* & quid prodest homini, si famam conservet vel augeat, si carnis oblectamenta sectetur, si divitias & honores acquirat: paucis, *si universum mundum lucretur, & animæ suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro animâ suâ?* sic quoque communis hucusque Do-

ctorum sententia fuit, cum, qui occasionem proximam peccandi deserere recusat, absolvi in confessione sacramentali non posse: cum tali desit propositum emendationis, quod essentialiter ad contritionem, vel attritionem partes essentiales sacramenti pœnitentiæ requiritur.

His de illis, quæ ad fornicationem quodammodo disponunt dictis, jam alias de eâ laxitates audiamus.

PROPOSITIO XII.

Fornicatio secundum se nullam involvit malitiam, sed solum mala est, quia prohibita.

Et huic consentanea est sequens.

PROPOSITIO XIII.

Nullâ ratione naturali ostendi potest, simplicem fornicationem esse malam.

13. Forni-

13. FOrnicationem ne quidem peccatum esse, olim docuerunt Hæretici: inter quos fuerunt *Nicolaitæ, Græci Schismatici teste Guidone*, & nostris temporibus teste *Florimundo Remundo de ortu progressu & interitu Hæreseos lib. 2. cap 6. n. 2.* id docent *Anabaptistæ* omnem promiscuum concubitum, spiritu instigante permittentes, & patrantes. At Theologi quidam nostri temporis cum clarissimis S. Scripturæ testimoniis convicti id docere non audeant: peccatum quidem esse mortale admittunt, sed totam malitiam à prohibitione accipere asseverant. Quod peccatum & quidem mortale sit clarissimum est apud *S. Paulum, qui 1. ad Corinth. 6. An nescitis* inquit, *quia iniqui Regnum Dei non possidebunt? nolite errare, neq; fornicarij, neq; idolis servientes, neq; adulteri, neq; molles &c. Regnũ Dei possidebunt. Et ad Gal. 5. Manifesta sunt* ait *opera carnis; quæ sunt fornicatio, immunditia, impudicitia, luxuria &c. quæ prædico vobis sicut prædixi, quoniam, qui talia agunt, Regnum Dei non possidebunt.* Et denique *ad Ephes. 5. hoc autem scitote intelligentes, quod omnis fornicator, aut immundus &c. non ha-*

bet hæreditatem in regno Christi, aut Dei. Certum est autem neminem à Regno Dei & cœlo, nisi propter peccatum mortale excludi. Omnem nihilominus hanc malitiam à sola prohibitione oriri tam clarum cuidam Neoterico videtur : ut sententiam contrariam, quam tamen fatetur esse Doctoris Angelici, judicet omni rationi dissonam : & stando puræ & nudæ rationi, nequidem audeat nominare probabilem : eo quod sint nonnullæ objectiones, quibus ipse respondere non sciat, inter quas & hæc est: Fornicatio mortale peccatum est, etiam quæ à solutis commissa, at si staremus principiis *D. Thomæ*, aliquando esset licita ergo &c. Minorem, quæ in sensu & sententia D. Thomæ falsissima est, sic utique probare conabitur, quia potest fieri, ut aliquis fornicarius bene provideat prolis educationi, ergo tunc ex mente *D. Thomæ* erit licita. Sed non debuisset hic Author ob hanc rationem ab ipso *Doctore Angelico* diu ante refutatam, à communi doctrina discedere, & tantum ab Ecclesiâ approbatum Doctorem non solum insciliæ, sed quasi argumenta rationi disso-

na adducat, & ita ratione non utatur arguere: *D. Thomas*, ut ostendat fornicationem ex naturâ suâ malã esse *2. 2. q. 154. a. 2. in corp.* hunc format discursum. *Cum fornicatio sit concubitus vagus utpote præter matrimonium existens, est contra bonum prolis educandæ, & ideo est peccatum mortale*: quo posito prævidens, & præoccupare volens à *Martino à Magistris* de post primo inventam, & deinde à Neotericis repetitam retortoriam objectionem: *nec obstat* inquit, *si aliquis fornicando aliquam cognoscens, sufficienter provideat proli de educatione: quia id, quod cadit sub legis determinatione, judicatur secundum id, quod communiter accidit, & non secundum id, quod in aliquo casu potest accidere.* Per quæ sufficienter eliditur proposita ex adverso ratio, & ostenditur, quam temerarie illi, qui vel non intellexerunt vel certe, quod magis credendum est, intelligere noluerunt, eandem taxent.

14. Vnde *Dominicus Sotus lib. 5. de just. & jure q. 3. a. 3.* Contrariam sententiam hac censurâ ferit: *dicere fornicationem non esse contra jus naturæ error est hæresi proximus.*

Nam

Nam consequens inde protinus fieret, gentibus ante legem scriptam non fuisse delictum: quin vero, neq; post scriptam, quia lege Moysaica non tenebantur neq; verò ratio, quam contra idem Author obmolitur, digna est morali Philosopho. Ait quippe hoc esse accidentarium fornicationi, quod malè educetur, alaturque proles: nam potest fornicarius tum facultatem habere majorem quã conjugatus, tum etiam propositum firmius alendi, quin vero ditandi suos liberos. Non inquam hæc ratio digna est Philosopho: quin vero id, quod ipse dicit accidẽtarium est: hoc verò, quod nos dicimus conditionis vagi concubitus nativum. Nam ex naturâ rei, qui non sunt matrimonio juncti, non possunt bene alere prolem. Et revera, si argutia Martini ullius esset momenti, tunc sequeretur matrimonialem conjunctionem non esse vinculum naturale: inde enim hoc habet, quod natura ejus est, ut sit bene educativa prolium. Et tamen usu nihilominus accidit, ut sæpe conjuges nèque facultatem habeant, neq; vero voluntatem eas educandi. Est ergo actus existimandus ex naturâ, non ex accidente. Cum ergo dicimus bonam educationem matrimonio esse naturalem

turalem, non autem fornicationi: non de actione loquimur, quæ utique impediri aliunde potest, sed de naturali potentia.

15. Idem convincit Argumentum à *Leonardo Lessio* propositum, & ab irrationabilibus animantibus desumptum, quę si non sint humana potestate subacta, & libertate suâ naturali privata, invicem post actum generationis assistunt, ut inter aves, masculus & fœmella pro pullorum educatione simul nidificant, & masculus illi, quam suam reputat & pullis ab ea enixis in procurandis vitæ necessariis sollicitissime providet; quod utique signum est, de jure naturæ vagum concubitum, quem fornicatio per se inducit, esse illicitum. Vnde citatus *Lessius* post adductum hoc & aliis *D. Thomæ* fundamentis subjungit: *Hinc sequitur fornicationem jure naturæ non solum esse malam: sed etiam grave esse malum, & consequenter peccatum mortiferum, quia caret convenienti ordine & habitudine, quam natura requirit ad prolis educationem & perfectionem; quæ habitudo est magni momenti, sicut & prolis bona instructio, ratione cujus fornicatio est contra charitatem proximi*

scilicet

scilicet prolis educandæ. Quibus addi potest, quod in hoc fornicatio ab aliis peccatis carnalibus essentialiter distinguatur, vel enim quis est inordinatus in actu generationis, ne fiat, & est peccatum contra naturam; vel quia impeditur commoda institutio & promotio prolis usque ad statum perfectum, & est simplex fornicatio, vel fit, cum incongruâ personâ: quæ si sit propinqua affinitate vel consanguinitate, est incestus: si alteri juncta, adulterium: si sub potestate patris, stuprum, si renitente, raptus.

Sed omnes jam adductas laxitates superat illa, quam quidam in vitiis contra naturam docuit, dum ait.

PROPOSITIO XIV.

Mollities non est ex naturâ suâ mala, sed quia interdicta.

16. AVthoris verba sunt: *Si Deus mollitiem non interdixisset, nunquam esset mala, sæpe esset bona & aliquando obligatoria sit*

sub mortali, pro cujus confirmatione mollitiei prohibitionem comparat cum prohibitione esus pomi vetiti in paradiso inquiens: *Esum pomi alias indifferentem primis hominibus interdixit Deus, quia voluit & potuit, utpote rerum universarum Creator & Dominus: seminis etiam effusionem inhibet: non quod ipsa sit mala ante præceptum, sed quod ipse sit Dominus, nos servi, ipse Creator, nos creaturæ, ipsi competat præcipiendi authoritas, nobis obediendi gloria relicta sit.* Ex quibus consectarium est secluså prohibitione nullam mollitiei inesse malitiam, adeoque illos, quibus lex divina intimata non est, si voluntarie seipsos polluant, toties quoties nullo modo peccare.

Quod si objicias mollitiem ex naturâ suâ impedire matrimonium quod est de jure naturæ, adeoque ex consequenti quoq; contrariari juri naturæ, & ex naturâ suâ malum esse: respondet ad hoc Author negando assumptionem: *contrarium enim vtdetur in Mahumetanis, quibus non solum mollities permissa sed & sodomia tolerata, & tamen non fugiunt matrimonia, sed potius tot ducunt uxores,*

xores, quot alere possunt. Deinde esto bona sit consequentia: Mollities permittitur, ergo matrimonia non erunt: quis ostendet esse malum naturæ, quod nulla sint matrimonia? multæ fuerunt Respublicæ, quæ bene gubernari creditæ, & tamen caruere matrimoniis. Græcam reformare contendebant Excellentissimi Philosophi, & inter alias politicas hypotheses uxorum communionem posuerunt; asserentes matrimonia non esse utilia, sed & politico statui pernitiosa. Meritò hic repetendum illud *Cavallos scientia in homine abutente est tanquam gladius in manu furiosi:* tanta est enim hujus argumenti turpitudo, ut ipsum Catholicæ aures horreant: ab impio nimirum Mahumetanorum exemplo velle probare matrimonium non esse de jure naturæ & mollitiem non esse ex naturâ suâ malam, idque contra torrentem Doctorum. Sed ubi sunt illæ bene gubernatæ Respublicæ, quæ matrimonium statui politico pernitiosum judicarunt? unde probatur Mahumetanis licitam esse & fuisse mollitiem ac sodomiam suppositâ permissione, & illo committendo contra jus naturæ & Deum non peccare, nec peccasse?

17. Re-

17. Relicto igitur ſpurciſſimo à Mahometanorum exemplo ſumpto argumento, ſecundo probat Author mollitiem non ex naturâ ſuâ, ſed ſola prohibitione malam eſſe: quia licet ad generationem & nativitatem proximius accedat embrio & infans ipſe nondum natus, quam ſemen, nihilominus poteſt gravida mater contra animatum fœtum procedere, ſi aliter vitam conſervare non poſſit: quanto magis decidere ſemen per pollutionem? Ecce inſigne argumentū: ſupra idem Author, ut licitum faceret abortum & expulſionem fœtus, docebat eundem non animari antequam naſceretur, jam ut licitam faciat mollitiem, animationem admittit, & crudelem matris, contra eum, qui nihil peccavit, proceſſum decernit. Sed ad hæc articulo præcedenti ad quintum præceptum reſponſum eſt ſufficienter, quibus adde magnam inter expulſionem fœtus & ſeminis deciſionem eſſe diſparitatem, cum in hac vehemens libidinoſa delectatio ad ſolam legitimam in matrimonio prolis generationem ex naturâ ſuâ ordinata immiſceatur, quæ à priori abeſt: adeoque, ſi illa, non continuo & hæc licita erit.

Tertio

Tertio tandem id Author probare conatur, quia multi doctores dubitant, quid sit semen: certant & ad huc sub judice lis est, alijs contendentibus esse sudorem: alij spumam, alij lac, alij denique & plerique sanguinem esse contendunt; quis autem dicat contra naturam sudorem, spumam, sanguinem, lac & similia corporis nutrimenta, vel excrementa ex rationabili causâ decidere? Certe contrarium nullus dialecticus probare poterit, ergo nec ex simili rationabili causa non licere decidere semen quod plerique Doctores unum ex illis esse censent. Ecce rationem, quæ eo tendit, ut mundum mollibus & seminifluis impleat, & pollutionem, à qua hactenus multi indubie conscientiæ & peccati honore abstinuerunt, suadeat: Quibus omnibus accedit, quod si solum jure positivo sit prohibita pollutio idem dicendum erit de fornicatione saltem in casu necessitatis: quemadmodum tali titulo divina mandata transgressi sunt *David* panes propositionis comedendo: *Machabæi* in sabbatho pugnando & *discipuli Christi* sabbatho spicas colligendo: Sed ad hæc omnia sufficienter si-

ter supra responsum est: argumenta enim, quæ probant fornicationem ex suâ naturâ malam esse, multo magis id probant de mollitie.

18. Certe vehementissima illa naturæ humanæ in actum generationis vel decisionis feminis inclinatio facile quemvis seducere posset, ut nescio, quem vel morbi, ut præveniatur, vel sanitatis, ut conservetur prætextum exquirat, quo suam turpitudinem excuset: nisi divinis mandatis, inferni timore & ipsiusmet vitij fœditate cohibeatur. Vnde in his similibusque materiis laxum esse, est omnibus criminibus, & immunditiis ostium patefacere. Neque enim teste *Magno Basilio vehementior ulla, violentiorq; humanis corporibus insita reperi potest libido, quam maris cum fœmina & fœminæ vicissim cum mari conjunctionis appetitus. Neque id mirum omnino: nam cum is mortalium generi ad propagandam sobolem divinitus esset datus, consentaneum fuit, ut quod omnium in se functionum caput in se contineret, huic vehementior etiam quasi impetus vis quædam esset adjuncta.* Et *S. Augustinus: Fragmen 3.* alludens

ad illud

ad illud Apostoli, *qui fornicatur in corpus suum peccat, videtur B. Apostolus* inquit *exaggerare voluisse fornicationis malum super omnia alia peccata, quæ etsi per corpus committuntur, non tamen ita animum humanum concupiscentiæ carnali efficiunt obstrictum & obnoxium: quemadmodum in solo opere fornicationis corporalis commisceri facit animum, vis ingens libidinis cum ipso corpore, & unum cum ipso quodammodo agglutinari, & devinctum esse in tantum, ut nihil aliud ipso momento & experimento hujus tam magnæ flagitij cogitare homini liceat, aut intendere, nisi quod sibimet addicit mentem, quam captivam subdit ipsa submersio: ut quodammodo videatur dictum esse: qui autem fornicatur in corpus proprium peccat, quia tunc fit proprie & familiariter servum corporis cor hominis fornicantis, maxime in tempore ipsius nequissimæ operationis: in tantum, ut ipse Apostolus inculcatius volens commendare hominibus cavendum hoc malum dixerit: Tollens ergo membra Christi faciam membra meretricis? Absit, an nescitis quoniam qui adhæret meretrici unum corpus est? erunt inquit duo in carne una.*

Numquid

Numquid hoc posset dici de aliis atque aliis facinoribus hominum? liberum est enim animo humano in alius quibuscunq; sceleribus & unum aliquid eorum operari: & eo ipso tempore alio cogitatione distendi, quod in fornicationis ipso opere atque tempore non licet animo ad aliud aliquid cogitandum liberum esse: sic enim totus homo absorbetur ab ipso & in ipso corpore, ut jam dici non possit, ipse animus suus esse, sed simul totus homo dici possit, quod caro sit & spiritus vadens & non rediens.

Jam adducta propositione legi naturali adhuc difformior est hæc.

PROPOSITIO XV.

Mollities, Sodomia, bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ.

19. QVo posito non concesso sequitur consequenter, Primo: Sicut in sententia assertoris hujus mollities non est ex natura sua, sed propter prohibitionem solum mala, sic & sodomia ac bestialitas. Se-

cundo: Non esse necesse in confessione dicere commisi mollitiem, sodomiam vel bestialitatem, sed sufficiet dicere procuravi mihi pollutionem: Circumstantias enim speciem non mutantes secundum Concilium Tridentinum non est necesse in confessione explicare. Tertio: Illos, qui legem positivam non acceperunt, ut Turcæ, Mahometani, ac similes aliquod ex his tribus criminibus cõmittentes nequaquam peccare, cum tamen constet sodomitas à crimine sodomiæ sic dictos, etiam ante legem Mosaicam datam à Deo ob hoc crimen vocatos pessimos, & igne de cœlo exustos: sed primus hujus sententiæ vel inventor vel resuscitator putat expedire potius conscientiarum securitati, & hujus vitij incutiendo horrori, si ejusdem, quam si diversæ speciei esse doceatur: horret enim animus committere scelus, quod ejusdem speciei est cum illo, quod Deus flammis de cœlo incensis flagellavit: Jusque civile & constitutio criminalis ignis pœnâ mulctandum censent. Sed hic potius metuendum quod ex mollitie quam cupiditate victi, incitati etiam rationibus eorum, qui in

visum

visum §. præcedenti eidem patrocinantur, leve crimen existimant, ab illâ in alia ejusdem speciei devolvantur. Sed his non obstantibus tot tantisque pro eadem citatis Authoribus *felic. record. Alexander VII.* eandem inter alias *condemnavit*: ratioque à *Lessio lib. 4. de Just. & Jure cap. 3 dub. 13.* adducta convincit: *notandum est* inquit *is, prædictos modos specie distingui, quia singuli continent peculiarem & distinctam turpitudinem repugnantem castitati, suntq; pejores, quam reliquæ species luxuriæ.*

Ad sextum hoc Decalogi Præceptum, tanquam cum mœchiâ eidem temperantiæ virtuti oppositum, reduci possunt tanquam libidinis fomenta, & incitamenta, peccata gulæ, & ebrietatis: quæ Authorem suum simili quodammodo afficiunt, teste *Virgilio* poëmate de *Venere & Bacho.*

Nec veneris nec tu vini capiaris amore,
Vno namq; modo, vina venusq; nocent.
Vt venus enervat vires, sic copia vini
Et tentat gressus, debilitatq; pedes.

Multos cœcus amor cogit secreta fateri
Arcanum demens detegit ebrietas.
Bellum sœpe petit ferus exitiale cupido;
Sœpe manus itidẽ Bacchus ad arma vocat.
Prodidit horrendo Trojã venus improba bello
Et Japhytas bello, perdis Jacche gravi.
Deniq; cum mentes hominum furiarit uterq;
Et pudor & probitas, & metus omnis abest.
Compedibus venerem vinclis constringe lisũ:
Ne te muneribus lædat uterq; suis.
Vina sitim sedant, natis venus alma creandis
Servit: finem horum transiliisse nocet.

20. Certum est enim sine Cerere & libero frigere venerem; Vnde *Hieronymus* Epist. 22. *ad Eustochium cap. 4. videas* inquit *alios pocula in tela vertentes, schyphum in faciem jacere convivæ, alios scissis vestibus, in vultu ra aliena proruere, alios clamare. Quiplus biberit fortior computatur: accusationis occasio est, adjuratum per regem frequentius non bibisse, vomunt ut bibant, bibunt ut vomant, digestio ventris & guttur non occupantur officio. Hoc nunc dixisse sufficiat quod secundum Apostolum, in vino luxuria est, & ubicunque satur-*

saturitas, ebrietas fuerint, ibi libido dominetur. Spectaventrem, & Genitalia pro qualitate vitiorũ, ordo membrorũ. Nunquã egoebriũ castum putabo qui etsi vino consepultus dormierit, tamen potuit peccare per vinum. Et Augustin. Serm. 65. de tempore semper juncta est saturitati lascivia, vicina sibi sunt venter & Genitalia, & pro membrorum ordine, ordo vitiorum intelligitur. Cui consonat. S. Ambrosius lib. de Elia & jejunio. cap. 16. Ebrietas ait fomentum libidinis. Ebrietas incentivum insaniæ, Ebrietas venenum sapientiæ, hæc sensum hominis mutat, & formas per hanc fiunt ex hominibus equi adhinnientes: Siquidem naturali calore corporis calidi, & præter naturam vini calore flammati, cohibere se non queunt, & in bestiales libidines excitantur. Et Isidorus Hispalensis lib. 2 sent. cap. 42. Proxima est inquit ventri libido sicut loco, ita vitio: ubi enim ventris cura, ibi & eorum, quæ circa ventrem sunt proxima. In ordine namque membrorum genitalia ventri junguntur, dumque unum ex his immoderatè reficitur, aliud ad luxuriam excitatur, & denique Petrus Damiani lib. 1. Epist. 15. cum tantopere inquit homines non

exigente naturâ, sed impuritati gulæ deserviunt, velint, nolint libera libidini frena laxantur: venter enim atque pudenda contigua sibi sunt affinitate contermina, & cum ille sine temperantiæ discretione reficitur, illa protinus ad contumelias excitantur. Cibi scilicet illices sunt libidinum, & immoderate percepti proprij humoris exuberantiam, mox ad pudenda transmittunt. Qui videlicet humores dum congesti pruriunt & titillant, importunius expetunt, ut per coitum effluant. Vnde Apostolus 1. ad Timoth. 5. concessit modicum vinum, obstomachi & varias infirmitates: vetuit è contra inebriari vino, in quo est luxuria. Quapropter Isidorus Pelusiota lib. 1. Epist. 495. vinum inquit ad necessarium corporis usum modice haustum pectus exhilarat, quod autem ultra mediocritatem adhibetur petulans contumeliosum, atque intemperans vocatur. Intemperans enim res vinum, & contumeliosa res ebrietas inquit sacra scriptura: & rursum: Nolite inebriari vino, in quo est luxuria, atq; ipsa natura per immoderantiam turbata & irritata lasciviæ magistra efficitur.

Sed

Sed his Sanctorum Patrum rationibus & authoritatibus non obstantibus ad gulæ illecebras quodamodo invitant, qui docent.

PROPOSITIO XVI.

Licet comedere & bibere usque ad satietatem ob solam voluptatem modo non obsit valetudini.

21. HVjus rationem assignat Author, quia licite potest appetitus naturalis suis actibus frui, adeoque oculi videre, manus palpare, aures audire, odoratus olfacere, & gustus comedere & bibere, quod libet & placet, & quantum placet, imò & ultimum finem in eis constituere: fruitio enim est finis, usus verò mediorum. Sed hujus assertionis absurditas satis supra ostensa, & refutata est, in illa propositione voluptates sensuum licite possunt appeti propter se: quibus accedat divina comminatio, *non graventur corda vestra crapulâ vel ebrietate &c. Væ vobis, qui saturati estis, quia esurietis. Et*

S. Augustinus de Moribus Ecclesiæ cap. 21. Habet igitur ait *vir temperans in rebus moralibus & fluentibus vitæ regulam, utroque testimento firmatam, ut earum nihil diligat, nihil per se appetendum putet: sed ad vitæ hujus, atque officiorum necessitatem, quantum satis est, usurpet mentis modestia, non amantis affectu.* Et de his similibus merito asseveres illud, *Socratis: illos nimirum velle vivere ut bibant & comedant, non comedere, ut vivant.*

PROPOSITIO XVII.

Non nisi veniale est absque utilitate se cibo & potu usque ad vomitum ingurgitare, nisi ex hujusmodi vomitibus gravia valetudini incommoda oriantur.

QVæ deducta videtur ex alia ex qua sequitur tanquam conclusio ex suo principio.

PROPOSITIO XVIII.

Gula ex naturâ suâ non est mortale, sed solum veniale peccatum.

22. Si

22. SI enim Gula ex genere suo peccatum veniale & non mortale est, nec is, qui se cibo & potu usque ad satietatem & vomitum sine læsione sanitatis corporalis ingurgitat peccare mortaliter censendus est: sed contra est, quod *Salvator* simul, & semel crapulam, & ebrietatem damnat, & cavere mandat: & *Apostolus* commessationes & ebrietates simul ponit inquiens *Rom. 13. non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus, & impudicitiis, non in contentione & emulatione, sed induimini Dominum Jesum Christum*, & *ad Galatas 5.* inter peccata à Regno Dei excludentia, quæ indubie sunt mortalia, ponit *commessationes*: quod si bene de aliis ibidem connexis ob illam causam judicent Doctores scholastici esse peccata mortalia: utique & gula, quæ nomine commessationis importatur, mortale erit: Quod bene advertit *facultas Theologica Lovaniensis, & Episcopus Namurcensis*, dum priorem articulum explicite, & alterum implicite censurarunt: si enim talis ingurgitatio peccatum veniale non est, certe mortale erit (quin enim peccatum sit nemo dubitat) adeoque

intra limites, & in propriâ materiâ quinad malitiam mortalem pertingere potest, quod requirit *Doctor Angelicus* ad hoc, ut aliquid sit ex genere suo peccatum mortale. Vnde appositè *Gerson serm. 1. contra Gulam Dom. 1. Adventus*, *Gula* ait *ex personâ quæ esse deberet civitas, & habitatio Dei, facit habitationem quandam inimicorum, & tanquam speluncam latronum, aut haram porcorum, per gulam homines transgrediuntur præcepta legis, & ideo non habet præceptum speciale, quod eam prohibeat: quia omnia sunt ei contraria, & ipsa omnibus.* Quod si censura *Lovaniensis* mortale judicat usque ad vomitum se ingurgitare, modo absit periculum lædendæ valetudinis, facile colligere licet quid sit judicatura de sequenti, quâ asseritur.

PROPOSITIO XIX.

Licet usque ad vomitum bibere & comedere, etiamsi quis vomat, ut iterum bibere possit.

Certe

CErte bestialis & plus, quam bestialis est hæc assertio: bruta animalia metas sui ventris & appetitus norunt, cui dum satisfecerint, cessant, nec ultra se cogi permittunt, quod attendens *D. Augustinus serm. 231. Considerent* inquit *ebriosi, si non pejores animalibus judicandi sunt: cum enim animalia amplius, quam eis opus est, bibere nolint. illi & duplum, & triplum, quam eis expedit, potum accipiunt: & unde trium vel quatuor dierum refectionem poterant habere, uno die cum grandi peccato contendunt perdere potius, quam expendere: & utinam potum tantummodo perderent, & non etiam ipsi perirent*, nec minus laxant habenas ebrietati gulæ sorori, cibum enim superfluum ordinarie liquido perfundi volunt sivè pro digestione, sive pro delectatione. Ebrietatem definiunt ordinarie, quod sit voluntaria privatio usus rationis per nimium potum causata eam esse ex genere suo mortale peccatum, & ex naturâ suâ malum omnes sentiunt, & nihilominus docent aliqui.

PROPOSITIO XX.

Licitum est inebriare se, ex præcepto Medicorum, si aliter sanitas recuperari non possit.

PROPOSITIO XXI.

Licitum est inebriare se, si quis cogatur ad hoc intento ense.

PROPOSITIO XXII.

Licitum est alterum inebriare ad avertendam proditionem urbis.

PROPOSITIO XXIII.

Non est ebrius, nec peccat mortaliter cujus phantasia aliqualiter turbata est, qui evomit, lingua citubat, cujus pedes vacillant

cillant, oculi cernunt duplicia, & domus gyrare videtur.

23. FUndantur hæ assertiones prima in recuperanda sanitate, secunda in vitanda morte, tertia in majori bono; sed supposito, quod ebrietas ex naturâ suâ mala, & peccatum mortiferum sit, adeoque mortem animæ adferat: utique propter bona inferioris ordinis, qualia sunt vita, sanitasque corporalis, nunquam se inebriare licebit: cum propter vitam, sanitatem, bonaque temporalia nunquam licitum sit peccare mortaliter. Quod confirmat *S. Augustinus serm. 232.* *etiamsi* inquit *ad hoc ventum fuerit, ut tibi diceretur aut bibas, aut morieris: melius erat, ut caro tua sobria occideretur, quam per ebrietatem anima moreretur:* Sed paucos modo invenies, qui tantum timorem incuti, sed facile sibi id persuaderi permittunt, non est opus tam violentis mediis in gratiam Principis, aut alicujus boni amici bibimus, & rationem in potu submergimus, multique putant sufficere, si adducant excusationem *à S. Augustino* diu ante prævisam, locoque jam cita-

to memoratam : *solent ebriosi* ait *se ita excusare, ut dicant persona potens me coëgit, ut amplius bibam, & in convivio Regis, vel Principis non potui aliud facere: ad excusandas excusationes in peccatis ista prætendimus, & quod implere nolumus, non potuisse nos dicimus, nolle in culpa est nostra, & non posse prætenditur. Etiamsi ad hoc veniretur &c.* Sic nec ratio tertiæ propositionis subsistit, non enim facienda sunt mala, ut eveniant bona, falsumque est majus bonum esse liberare civitatem à proditione, quam committere peccatum mortale: si enim teste *S. Augustino* non licet mendacium committere, licet totus mundus per ipsum possit salvari : quanto minus licebit mortale peccatum pro unius civitatis salvatione committere? certe bonum publicum privato semper anteferendum est. Quando verò concurrunt salus reipublicæ & charitatis violatio, quâ Deum offenditur, cessare est: præstat millies mori, millesque respublicas perire, quam Deum vel leviſſime offendi. Declinata siquidem offensa Dei rationem habet boni publici, salus populi boni privati.

Quod

Quod si ad vitandam mortem, recuperandam sanitatem liceat se inebriare; quare non æque licebit ob eandem vel similes causas committere fornicationem, adulterium, & similia: præsertim si alicui obvotum matrimonij incapaci id præscribat Medicus, vel aliquis intento ense mortem minitetur? si dicas majus hic subesse delectationis, & consensus in illam periculum, quam in eo, qui ex simili timore, vel motivo se inebriat: contra est, quod multi usque ad ebrietatem bibunt, non quidem ob delectationem (mallent enim sœpe ab illa abstinere) sed ut Principi, aut bono amico inuitanti satisfaciant: quos tamen à peccato nullus excusat, adeoque delectatio, quam quis in potitatione percipit, non est de formali ebrietatis, sed tota ejus malitia in hoc consistit, quod aliquis voluntariè per nimiam potus inebriantis sumptionem se privet usu rationis: quod quoq, indicat illa *Dei* apud *Isaiam cap. 5.* commination, *Væ* inquiens, *qui potentes estis ad bibendum vinum, & miscendam ebrietatem* non dicit, væ, qui delectamini in sũptione vini, sed *qui potentes estis ad bibendum vinum* sive il-

lud

lud cũ, sive sine delectatione fiat: Sœpe enim videre est pro palmâ potitantes, quis eorum plus vini altero capere possit, qui tantum abest, ut in sumptione tali delectarẽtur, ut etiam natura horrens sumptum per vomitum ejiceret

24. Hos graphice describit *S. Ambrosius lib. de Elia & jejunio cap. 13. Primo* inquit *minoribus poculis velut velitari pugna praeluditur. Verum haec non sobrietatis est species, sed disciplina bibendi, ut irritent sitim, ergo ubi calere cœperint, poscunt majoribus poculis, fervor inardescit. Deinde procedente potu longius contentiones diversæ, & magna certamina, quis bibendo præcellat, nota gravis, si quis se excusat. si quis temperandum forte vinum putet, & hæc donec ad mensas perveniatur secundas. At ubi consummatæ fuerint Epulæ, putes jam esse surgendum? tunc de integro potum instaurant suum. & cum consumaverint, inchoare se dicunt: tunc deferuntur Phialæ, tunc maximi Crateres, quasi instrumenta bellorum, ac ne immoderatum hoc arbitreris, mensura proponitur, certatur sub judice, sub lege decernitur, Agonothetes illic furor est, stipendium debilitas,*

tas, victoriæ præmium culpa. & cap. 14. Nec vos ait, *excusamini, qui vocatis, ut amicos, & emittitis, ut inimicos, quanto melius in terram vina tua fudisses? Quid te delectant damna sine gratia? rogas ad jucunditatem, cogis ad mortem: invitas ad prandium, efferre vis ad sepulchrum: cibos promittis, tormenta irrogas: vina prætendis, venena suffundis.* Et *S. Augustinus serm. 231. Majora pocula providentur, certa bibendi lege contenditur, qui poterit vincere, laudem meretur ex crimine.*

Ex quibus jam dictis facile quivis prudens æstimabit, quid de quarta dicendum sit: Ea etenim jam sufficienter cum illa, quæ ab Vniversitate Lovanienſi censurata, supra quoque est refutata, ac proinde ad septimum Decalogi Præceptum transimus.

Articulus

ARTICVLVS XI.

Continens laxitates à Neotericis contra septimum & decimum Decalogi Præceptum adinventas.

I. QUemadmodum supra Præceptum sextum & nonum ob connaturalem connexionem, quam concupiscentia inordinata uxoris alienæ cum adulterio habet, cum posterius prius necessario præsupponat, licet non econverso: ita ob eandem causam in præsenti furtum (sive peccata caudata obligationem restitutionis quasi caudam post se trahentia) cujus nomine teste *S. Augustino* bene intelligitur omnis injusta usurpatio rei alienæ; neque enim rapinam permisit, qui furtum prohibuit septimo & concupiscentiam rei alienæ decimo præcepto vetitam: sub eodem titulo connectimus. Vetatur autem his præceptis tanquam omnis furti, appetentiaque rei alienæ, & omnium malorum radix cupiditas, & avaritia, quâ vel res aliena injustè

na injustè concupiscitur, vel debita denegatur; vel ab illo invito tollitur, quidquid enim quis plus habet, quam suum est, illius est fur tollens æqualitatem rei ad rem, quam justitia requirit; quæ omnia pulcherrime explicat *S. Petrus Damian. l. 2. Epist. 2.* alludens ad verba sapientis, *Avaro nihil est scelestius, & nihil iniquius, quam amare pecuniam. Dura* ait, *& nimis formidolosa sententia; si enim avaro nihil est scelestius, nõ ergo melior est parricidis, non præfertur incestis, æquatur Hæreticis, assimilatur Idololatris, unde & Apostolus dicit Avaritia, quæ est Idolorum servitus. Sit ergo quilibet castus, sit sobrius, sit indigentibus alendis intentus, sit hospitalitati deditus, jejunet, vigilet, diem nocti psallendo continuet: si tamen avarus est, totum perdit, ita, ut inter omnium criminum reos nequiorem se invenire non possint. Quid ergo proderit non occidere, non mœchari, non rapere, non perjurare, immunemq; te prorsus à cunctis criminibus custodire: dummodo si à te avaritia non expellitur. nihil te nequius, nihil scelestius reperitur? Eat ergo avarus, parietes Ecclesiæ construat, studio prædicationis insistat, dissipantes in pace*

congæ-

confœderet &c. donec tamen in eo ardor avaritiæ non extinguitur, omnis flos virtutum ejus exuritur, & nullus eo criminosior inventus. Igitur avarum esse, nihil aliud est, quam amare pecuniam. Amatur autem pecunia acquisita, amatur nihilominus acquirenda, avaritia quippe, quasi biceps est coluber, utroque consuevit ore mordere, utroque pestiferum virus influere: dum aut aliena res quæritur, aut habita delectabiliter possidetur &c.

2. Cui accedat *Asterius Amaseensis Antistes homilia contra avaritiam* quasi sub compendio proponens & avaritiæ adscribens, omnes hoc articulo adducendas laxitates contra bina allegata præcepta adinventas. *Tui isti sunt fructus* exclamat: *O scelerata avaritia. Tuus stimulis provocatus filius parenti efficitur hostis. Terram reples latronibus ac sicariis, mare pyratis, urbes turbis, atque tumultibus, forum, ac tribunalia falsis testibus calumniatoribus, proditoribus, advocatis ac judicibus eo propendentibus, quo tu pertraxeris, avaritia mater est inæqualitatis immisericors, inhumana, summè crudelis. Et Chrysostomus hom. 18. ad Ephes. Dæmone gravior est pecunia-*

cuniarum cupiditas cui multi magis obediunt, quam idololatræ idolis: illi enim in multis non parent, hi verò in omnibus: huic obtemperant & quæcunque suggesserint, obsequuntur. Quid dicit avaritia? Esto omnibus inimicus, oblivisce naturam, contemne Deum, sacrificium mihi te ipsum offer. Dicto citius parent, & idolis quidem boves sacrificantur, at verò avaritia animas sibi sacrificari suadet & persuadet. Ecce quas habet aras, quæ libamina accipiat.

His nihilominus non obstantibus eandem tanquam radicem concupiscentiæ & incitamentum furti suadent laxistæ, inter quos primum locum obtinent, qui sentiunt.

PROPOSITIO I.

Probabile est jure civili omnia bona subditorum esse Regum.

3. QUæ propositio eo tendit, ut ex omnibus Regibus meros *Achabos*, vineæ *Naboth*, & omnium bonorum ad subditos pertinentium non solum appetitores, sed & rapto-

raptores faciat. *Achab* vineam, *Nabothæ* petijt, & justo pretio solvere voluit, & nihilominus, quia ab invito id voluit, audire debuit: *Occidisti insuper & possedisti.* Quod si vera est allata assertio, certe injuria illi à Deo facta est, cum ipsi tanquam Regi vineæ Dominium de jure competeret: Veram autem, & vere probabilem esse ex multitudine Doctorum pro eâ sentientium demonstrari posset: *Cævallos in suis practicis quæstionibus communium contra communes. q. 577.* format hanc quæstionem: *An Princeps de plenitudine potestatis, absq; causâ possit alteri auferre Dominum.* Et respondet primo *affirmative* adducens novem sat celebres authores *Angelum, Joannem Andream, Hostiensem, Baldum* &c. Quibus si addas illos, quos quæstione sequenti adjungit facile numerum vigesimum & trigesimum excedent: quo plus ad sententiam probabilem, an requiri possit, non video.

4. Distinguunt autem Canonistæ duplicem in Principe potestatem. Ex quibus alia *ordinaria* est secundum leges, & Canones, & de illa ait *P. Antonius de Petra. cap. 24. n. 32.*

Quod

Quod sicut Princeps supremam habet potestatem, ita eam regulare debet secundum summam honestatem, & si secus, faciat: utiq; potestas talis non absoluta, sed dissoluta, & plenitudo tempestatis non potestatis dicitur: ac juxta hanc docet *Menoch. cons. 265. n. 33. & 35. Principem rem tertij aufferre non posse, quamdiu aliâ viâ reipublicæ subveniri potest.* Alia est *absoluta*, & de hac ait *Rebuffus in praxi benefic. Reg. de non toll. jus q. gl. 6. num 34. & 35. Quod Princeps de potestate absoluta jus tertij tollere potest, etiam sine causa, etiamsi agatur de gravi præjudicio. Sed ista potestas absoluta est potestas, quæ vere diabolica dicitur: procedit enim à potestate injuriosa, & est contra legem divinam, de quâ superius dixi de Naboth: sit q; contra legem naturalem, civilem & canonicam, ideò, qui illâ utuntur ineffrenatâ dominatione, nec non consultores illorum, qui hæc suggerunt, & actus eorum diabolici sunt? quos nisi resipuerint, possidebit infernus, ubi erit fletus & stridor dentium. Intelligite hæc, qui consulitis Principibus, & vobis in futurum plurima horrenda præparatis.*

5. Posse

5. Posse nihilominus Principem in casu extremæ necessitatis ob solam utilitatem publicam disponere de bonis subditorum, cómunis est sententia: cum enim Princeps pro defensionè patriæ debeat solicitus esse, si non habet de suo, potest subditos collectare *Albericus in l. de quibus vers. idem quaro ff. de legibus l. si quis in hoc genus.* Maxime, quia Princeps militat pro communi utilitate, adeoque debet etiam de communibus vivere pro honesto statu Principum conservando, cum reditus proprij non sufficiunt, nec exactiones consuetæ. Sed id intelligendum est, quando Princeps non habet de proprio marsupio, unde succurrat bono publico: unde mortaliter peccare Principem sine justa causa novum vectigal imponentem, tradit *Afflictus in rub. quæ sunt Regalia col. pen. n.* licet in eo præsumatur justa causa, cum sit communis Pater omnium, qui subditis, velut Pater filiis debet Thesauros præparare, & in cunctis necessitatibus vicem Pastoris gerere: quia secundum *Aristotelem similis est operatio Regis ad subditos, Patris ad Filios, Pastoris ad oves: paterno enim amore, & pie debare-*

bet regere Populum, ut in Clem. conquerente de restit. spoliat. boni enim Pastoris est tondere pecus, non autem deglubere, id est pilos & lanam evellere.

6. At quia facillime sibi Principes exemplo *Achab.* causas aliena bona appetendi fingunt, & necessitatem imaginantur, ubi sœpè non est hinc *Abulensis in cap. 8. lib. 1. Reg. q. 19.* sicut etiam *Nicolaus de Lyra* censet opinionem allatam periculosam animabus, quia præstat Principibus incentivum rapinæ & Tyrannidis: ideoque monet Confessores & Prædicatores Evangelicos, ut fugiant ab eâ tanquam à Peste: nam ambitio & vorago cupiditatis Principum hodie tanta est; ut omnes fingant necessitatem, nec avaritiam suam totius orbis terrarum dominio satiare possint. Et ob hoc inter se bella gerunt, propriis terminis non contenti, & mille necessitatibus justo Dei judicio undique circumdantur. Ad quod etiam alludere videtur, *S. Ambrosius lib. de Nabuthe: cap 1. Nabuthe historia* inquiens *tempore vetus est usu quotidiana: Quis enim divitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non*

exturbare contendit agello ſuo pauperem aut; inopem aviti juris eliminare finibus? quis contentus eſt ſuo? cujus non inflammat animum divitis vicini poſſeſſio Non enim unus Achab natus eſt, ſed quod pejus eſt, quotidie Achab naſcitur, & nunquam huic ſæculo moritur, ſi unus occidat, aſſurgunt plurimi: plures, quirapiant, quam qui amittant: Nam unus Nabuthe pauper occiſus eſt, quotidie Nabuthe ſternitur, quotidie pauper occiditur.

Quemadmodum Principi graſſandi in bona ſubditorum oſtium aſſertione præcedenti aperuerunt laxiſtæ, ita & judicibus Principum vicariis occaſione judiciorum graſſandi in bona & emungendi crumenas ſubditorum viam ſternunt, dum docent,

PROPOSITIO II.

Dum ex utraque parte ſunt rationes æque probabiles, judex, cui mavult parti rem adjudicare poteſt.

Propo-

PROPOSITIO III.

Dum causa partis unius probabilior causa alterius: judex parti minus probabili causam adjudicare potest.

7. INter graviſſimos moderni temporis abuſus merito computari poſſe, inordinatum judiciorum modum, multitudinem legum, & in eas commentatorum, teſtantur multitudo litium, & lamentationes litigantium, *quemadmodum* ait *Arceſilaus apud ſtobeum ſerm. 41. ubi pharmaca multa, multiq; medici ſunt, ibidem & morbi abundant: ſic enim, ubi plurimæ leges fuerint, ibi & injuſtitia viget maximè.* cui aſſentiens *Vernulæus lib. lib. 3. inſtit. polit. tit. 2. §. 4. legum* ait *multitudo mali reipublicæ ſtatus indicium eſt. Non igitur probanda. Et utinam pro tot indigeſtis legum voluminibus unum eſſet breve ac perſpicuum juris compendium, illa legum multitudo litium eſt ſeminarium, in quas multo plus quævis reſpublica impendit, quam in bellum, adeo leges quæ finiendis inventæ ſunt litibus, lites*

quotidie generant, dum quæ bona sunt, ad injuriam à pravis ingeniis detorquentur. Et Lipsius *lib. 2. exempl. polit. c. 10. Europam* ait *vide & mentior, nisi maxima ejus pars circalites occupatur. Alij judicant, alij instruunt, alij agunt, & qui miserrimi sunt, eas habent. Bene Lothari manes tui per me quiescant, sed rosæ, aut lilia sepulchrum tuum non ornent, qui tot tricas & spinas nobis sevisti: Nam quæ tam clara causa est, quæ non aliqua lege, imò & interpretatione obscuretur? quæ tam improba, cui non dent colorem? Ars enim facta est causidicina, & perite captare, aut capere laudem habet.*

8. De ratione legis esse claritatem fatetur tam civile, quam jus canonicum. Unde *Justinian. Nov. 197. cap. 1. quid enim* ait *sic proprium est legum, sicut claritas? Erit autem* inquit *Jus Canonicum Dist. 4. lex honesta, justa, possibilis &c. manifesta quoque, ne aliquid per obscuritatem in captionem contineat: Nunquam enim* ait *Plato lib. 5. de legibus fuerint concordes, aut inter amantes cives, ubi mutuæ multæ lites judiciales sunt: sed ubi ea brevissimæ & paucissimæ.* Certe nihil famelicis & avaris-

avariſſimis procuratoribus, cauſidicis, advocatis, imò & judicibus gratius accidere poteſt ejuſmodi perplexarum legum emanatione. Vnde ſingulariter mihi notus Prænobilis cujusdam Cancellariæ Præſidens & Summus Juſtitiæ Promotor: dum inquit Cancellariam ingredior, & tot ante eam Procuratores ſtantes intueor, videre mihi videor vultures, & corvos cadaveribus devorandis inhiantes: neque enim partes juſte etiam litigantes, & juſta prætendentes ſine ſuo gravi damno intentum ſuum aſſequuntur, ita ab Advocatis & Procuratoribus circumducuntur.

9. Eſt v. g. qui ab alio quadraginta aut quinquaginta Imperiales, quos ex amicitia mutuo dedit, lite (eo quod alio modo eos recuperare nequeat) prætendit: primum illi ſubarrhandus Advocatus, & Procurator, ille ducato, hic Imperiali: petitur citatio, quæ ad quatuor vel quinque milliaria inſinuanda: inſinuatur, ſed ad primam citationem non comparet citatus, alteram præjudicialem exſpectat: quæ iterato inſinuanda, comparet tandem reus cautionem petens, illam actor,

utpote alieni territorij nec in loco judicij bona, vel amicos habens, præstare nequit: offert juratoriam, contra quam excipit reus adductis Authoribus pro se sentientibus: interea tempus currit, & annus integer elabitur, antequam veniatur ad rem: & actor non solum non accipit, quod juste postulat, sed novos quotidie nummos exponere cogitur, pro mandatis, citationibus, copiâ protocolli, conceptibus Advocati, recessibus procuratoris: in tantum ut sumptus brevi medietatem, vel integram, quæ petitur summa adæquent. Tandem vel tædio prolongationis & sumptuum deserit litem, vel negotium componitur cum exiguo vel nullo partium, majori Advocatorum, procuratorum, aliorumque judicio interessentium emolumento. Quod si actor post litem examinet statum suum, videbit se plus detrimenti, quam emolumenti, si tamen reportasse ex lite.

Id quod pulcherrime demonstrat à *Casp. Clockio lib. 2. de ærario cap. 124.* citatus *Barclaius: sæpe* ait *itur ad judices causa narratur aliquot anni abeunt necdum contestatio litis audita est. Judicibus hic non vacat:* hic omitto quod

to quod litem facit, negotio hærent Patroni in causis minoribus, quæ nunc sponte, nunc eorum studio nascuntur à prima sic dubia ex dubiis seruntur: sic jmmani dilatione pereunt litigantos magnâ in insontes inopesq; injuriâ. Ne quære cur tamdiu judicibus placeat & patronis ad se delatos cruciari: nempe ex mora & tempore sua opera æstimatur. Sic patronis inquam crescit, sic judicibus sua merces. Multa scripsisse, multa audisse acerrime vendunt eo pejores quod quæ peccant justitiæ imputant. Præterea consuetudine videndi miseros exuunt humanitatis sensum aut potius miserum esse non credunt litigare. Et inter hæc judices omnem in Advocatos culpam reijciunt illos esse qui cunctantur & ambages quærunt: quasi vero ij peccare nisi ex consensu judicum possent: Hi rem postulant differri: illi annuunt utrorum majus est vitium? equidem censeo esse illorum, qui cum possint prohibere hæc mala, permittunt Neget prætor inducias omnes litis articulos intra sex mensium spatium includat, imparatos habeat pro convictis jam caussidici desinent ab hac fraude.

10. Certe sæculo hoc nostro non minus litigioso, quam malitioso, quod plus scientiæ, quam conscientiæ habet, omnes conqueruntur de litium diuturnitate, ex quâ sæpissime evenit eos ipsos qui victoriam cum sumptuum quoque adjudicatione reportarunt, tam longis anfractibus vexatos, ac tot sumptibus misere fatigatos sic affici, ut lugendum sibi potius, esse putent, quod bonæ alioquin litis aut instituendæ aut suscipiendæ consilium ab initio non abjecerint: quam gratulandum quod tanto pretio nudam victoriæ gloriam compararint. Teste *Anton. Fabro in cod. lib. 9. tit. 22. definit. 1. in princ.* Quod certe omnes mirantur, pauci rimantur. Ideoque etiam ipsa summa tribunalia invasit, ut vere pudeat referre, quod impudenter nonnulli evomunt, ibi lites spirare, nunquam exspirare: litigantes diu sperare, nunquam aspirare. Largo namque lachrymarum imbre deplorandum est, quod lites eo appellabiles fiant immortales, nec patris nec filij, imo nepotis termino terminentur. Testis est à *Carpzovio* citatus *Hartm. Vulteius à die mortis ipsius de cujus hæreditate agebatur,*

usque

usque ad litis contestationem elapsos esse annos ferme 28. ab investiturâ novâ usque ad litis contestationem annos 75. Ita nimirum lites non modo hominum plerumque: sed & vivaces cornicularum atque corvorum ætates superant, ut vere dixerimus homines esse mortales, lites verò immortales.

11. Causa horum est multitudo tot Advocatorum & in jus commentantium sine numero ita multiplicatorum, ut vix casus inveniatur, qui non possit juxta *Cævallos* primo articulo citatum in utramque partem ventilari & definiri, non dicam per quos causæ etiam injustæ defendi possint: cujus exemplum refert *Lipsius* loco paulo ante citato: *Galeacius* ait *Dux Mediolanens. cum aliquoties audijsset vafro ingenio causidicum esse, qui lites serere, & satas producere, atq; alere etiam in liquido jure posset: hominem ad se accitum affatur: debeo* inquit *Pistori meo centum aureos, non lubet solvere. Tu ecquid tueri me in jure, & rem protollere potes; annuit largiter & Principi prompte se dedit: sed iste ei malum. Nam fraudis sic confessum, verbis prius increpitum, laqueo publice necari jussit.* Quod si

moderno tempore omnes illi, qui iniquas causas tuentur, laqueo necari deberent: non vacarent tot patibula, nec tot injustitiæ committerentur. *Hi sunt, ut* ait *Doctor Mellifluus lib. 1 de consid cap. 9. qui docuerunt linguas suas loqui mendacium, diserti adversus justitiam, eruditi pro falsitate: Sapientes sunt ut faciant malum, eloquentes, ut impugnent verum. Hi sunt, qui instruunt, à quibus fuerant instruendi: astruunt non comperta, sed sua, struunt de proprio calumnias innocentiæ, destruunt simplicitatem veritatis, obstruunt judicij vias. Nihil ita absq; labore manifestam facit veritatem, ut brevis & pura narratio. Ergo illas, quas ad te necesse erit intrare causas diligenter velim, sed breviter decidere adsuescas: frustratorias q;, & venatorias præcidere dilationes. Causa vidua intret ad te, causa pauperis, & ejus qui non habet, quod det. Quid enim necesse est admittere illos, quorum peccata manifesta sunt præcedentia ad judicium?*

12. Quibus omnibus malis exiguo meo judicio melius obviari non posset, quam si Princeps imitetur exemplum, primo *Caroli Magni* cujus latam legem citat *Justus Lipsius*

Lipsius lib. 2. Monitorum polit. cap. 9. q. 1. Hoc missi nostri notum faciant comitibus & populo, quod nos in omni hebdomada unum diem ad causas audiendas sedere volumus. Populo autem dicatur ut caveat de aliis causis ad nos reclamare, nisi de quibus aut missi nostri, aut comites eis justitiam facere noluerunt: Ad quæ verba addit *Lipsius & Monzambanus de statu Imp. Rom. Germ. Ecce erant illo ævo passim in oppidis & pagis, etiam comites sivè graviones, qui communiter jus dicebant: interveniebant extraordinem & missi sivè delegati à Principe: at Carolus ipse tamen audire causas voluit idq; hebdomadatim: causas scilicet graviores, aut in quibus læsio aut injuria, interveniisse ab ipso judice videbatur. Si non alius in hac re fructus, quantus iste esset coërcere hoc modo judices & vigilantes attentosq; reddere, cum Principem cogitarent judicij sui, judicem & forte vindicem mox futurum.* Secundo *S. Ludovici Regis Gallia*, de qua refert *breviarium Romanum ad diem 25. August.* quod cum metueret, ne causæ pauperum negligerentur, bis singulis hebdomadis in publico residens, audiebat eorum querelas & tum

justitia, tum misericordia illas expendens, celeriter expediebat, quod si quæras quænam illæ singulares causæ sint à Principe decidendæ? *Philo Judeus lib. de creatione Principis* alludens ad Consilium *à Jethro Moysi* datum *Exod. 18. quidquid autem majus fuerit referant ad te: Majora* ait *negotia non ut quidam existimant controversias quæ inter claros divites potentesq; incidunt: sed quoties privati egeni obscuri premuntur à potentioribus cum nulla præsidij spes est nisi in judice intelligo*, ut inquam Princeps curet sibi ad minus semel, vel bis in hebdomadâ à singulorum suorum judiciorum consiliarijs vel judicibus in scripto exhiberi specificationem singularum litium & causarum cum tempore à quo ventilatæ sunt, simulque referri, quid quomodo agatur, & quæ causæ tantæ prolongationis; Si cuilibet istarum binarum audientiarum Princeps, unam alteramve horam assignet, multa expediri poterunt, *cum* hoc sit primarium Principum munus & officium teste *Claudiano*: *Hoc uno Reges olim sunt fine creati Dicere jus populis injustaq; tollere facta.* Tertio ut omnes causas (illis

exce-

exceptis, quarum gravitas ordinarium juris processum requirit) summarie, simpliciter, de plano sine strepitu & figurâ judicij decidi curet. Sublatis nimirum omnibus solemnitatibus, quæ sunt juris positivi secundum *Alexand. in cons. 6. col. 2. in princ. in 3. vol.* non tamen citatione cum illa sit juris naturalis & probationibus necessariis, quæ sunt Juris Divini, ut in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum &c. Solum tamen Principem non recognoscentem superiorem, non autem inferiorem à Principe talem commissionem, & mandatum dare posse docet *Maranta in speculo aureo dist. 9. n. 3.* Hanc praxin observarunt teste *Carpz. in sua Jurisprud. for. part. 1. Const. 1. definit. 1. n. 7. 8. 9. 10.* Electores Saxoniæ *Augustus*, & *Joannes Georgius:* dum per omnes suas ditiones suis Judicibus mandarunt: ut partes sua jura de simplici & plano ore tantum absque scriptis proferrent, nec per apices juris & subtilitates legum domi excogitatas, & in scriptis conceptas lites protraherent: & hanc praxin quotidie adhuc in Saxonia servari asserit *num. 10. citato.* Sed sunt qui Majestati Prin-

cipis, si is pro tribunali sedeat & causas decidat derogari opinentur : *Da* inquiunt *imperitum Principem & in gestu ac sermone ineptum, an non faciet recta curva & irrisus exponet? sed & crebra illa in populo ostentatio & loquutio an non Majestatem vilescere facit? si severe judicet loco amoris (qui utique summe æstimandus) populi odium incurret; si remisse jus violabit: Melius itaq; hæc consiliariis remittuntur quam Principem varie distractum in novas arcessere curas.* Verum tantùm abest, ut hæc stringant quin potius majorem stimulum addant: Principes utpote meliore sanguine nati & melius educati naturali plerumque judicio & moribus etiam doctos & quosque bene moratos antecellunt, ut rara causa sit in quâ justum discernere & decernere nequibunt: *Divinatio* inquit *Sap. Prov. 16. in labiis Regis, in judicio non errabit os ejus.* Adsunt & assessores ad hoc dati, ut pro majestate & consilio adsint: sileo quod majorem sibi & reverentiam & timorem ac majestatem Princeps judicando conciliet, quantam enim venerationem & timorem judicibus plebecula etiam innoxia cui

nihil

nihil negotij cum illis est, aut fuit impendat, quotidiana docet experientia. Sic & Princeps dum severam sententiam pronuntiare cogitur eam clementia vel morum & verborum suavitate ac compassione, sic temperare potest, ut amorem etiam condemnatorum qui ex zelo solum justitiæ contra se procedi cernunt consequatur.

13. His viis Principes inordinato illi, & sumptuoso nimis in judiciis procedendi modo (quæ occultæ & gravissimæ exactionis locum & vicem agit) cum magno suo, & subditorum emolumento obviare poterunt.

Quibus incidēter & utiliter occasione judicis, & judiciorum dictis: utramque propositionem falsam, nec ut probabilem defendi posse sentit & probat *P. Antonius Teryllus q. 24. Assert. 3.* his fere rationibus.

I. Quia Judex, ut persona publica, & lex animata debet procedere secundum allegata & probata: & sententiam libello, actisque & meritis in illis allegatis conformem ferre: non verò secundum suam privatam opinionem & phantasiam, cum eo fine partes merita causæ allegent. Et quid & ad quid delectus

ctus Judicis, si ille inter duas æque vel differenter probabiles pro suo libitu & placito possit sententiam ferre? certe miserrimus esset status pauperum viduarum & pupillorum litigantium, si id Judici liceret, ordinarieque divites triumpharent.

2. Quia si id reo constaret Judicem secundum suam privatam opinionem, non secundum fortiora causæ merita sententiasse, juste appellare posset, adeoque signum est, Judicem à quo iniquam tulisse sententiam cum non à justa, sed ab iniqua solum appelletur. Hoc maxime attento quod tota causa appellationis non à causæ meritis sed judicis libertate & iniquitate oriatur.

3. Quia Judex debet secundum Jura judicare, at Jura præscribunt debere secundum probabiliora judicari: *inspiciendum est* inquit *jus tam Canonicum quam Civile in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumq; fieri consuevit: Reg. 45. Juris in 6. item lob carmen. ff. de testam. confirmabit q; Judex motum animi sui ex argumentis & testimoniis, quæ & rei aptiora & verò esse proximiora compererit. l. Tiraquella ad l. si unquam cod. de*

revoc.

revoc. don. Menoch. lib. 1. de præsumpt. q. 29. & 39. & S. Ambrosius serm. 20. in psalm. 119. Bonus Judex ait *nihil ex arbitrio suo facit, & domesticæ proposito voluntatis, sed juxta leges & jura pronunciat: statutis quoque juris obtemperat, non indulget propriæ voluntati; nihil paratum & meditatum domo defert, sed sicut audit, sic judicat, & sicut se habet negotij natura.*

PROPOSITIO IV.

In causâ æquali potest judex aliquid ab unâ partium accipere, ut sententiam in ejus favorem ferat.

PROPOSITIO V.

Licitum est judici pro sententiâ injustâ pretium accipere.

14. NOn sine causâ Deus in sacrâ scripturâ toties & tam severe vetat Judicibus, ne accipiant munera: *Deut. 16. Judi-*

ces

ces ait *Deus constitues in omnibus portis tuis, ut judicent populum justo judicio, nec in alteram partem declinent. Non accipies personam, nec munera, quia munera excœcant oculos judicum, & subvertunt verba justorum. Isaiæ 1. quomodo facta est meretrix civitas fidelis, plena judicij? justitia habitavit in eâ, nunc autem homicidæ. Principes tui infideles, socij furum, omnes diligunt munera, sequuntur retributiones, pupillo non judicant, & causa viduæ non ingreditur ad illos.* Non sine causâ dico hæ exprobationes, incredibile enim dictu est, quomodo munera excœcent rectum Judicij oculum, & affectum in alteram justitiæ contrariam partem trahant: nec ullus mihi persuadebit eos, qui à partibus, quibus justitia contrariatur munera accipiunt, juste judicare: licet conscientiæ suæ aliquod pallium forment, quod vix ulla tam absurda sit sententia, quæ non futilibus aliquibus ratiunculis propugnari possit, & aliquos pro se Authores habeat. Exemplum Romæ factum is, qui ab illo, cui contigerat, audiit, dum hæc scribo refert de duobus in causa quadam maximi momenti, & aliquot millium im-

porta-

portativa referentibus, in hunc modum: Examinaverant ambo merita causæ diligentissime & de sententia solutis omnibus, quæ contra obijci poterant, argumentis convenerant, resciit id, cui contrariabatur Justitia, & alterum ex referentibus, qui senior erat, secreto sibi revelato muneribus impugnare decrevit, aliquot millenis illi præsentatis: renuit aliquamdiu accipere, tandem doni magnitudine victus, ipsum & cum ipso disaffectum justitiæ acceptavit; convenerunt iterato ambo referentes (non latebat autem juniorē, senioris corruptio) & ecce corruptus senior omnia argumenta ante approbata impugnare, correferenti bene suadenti acquiescere nolle, donec is illi: liceat inquit mihi tibi ad animam loqui; scio te muneribus corruptum, quæ nisi corrumpenti remiseris, nunquam justam sententiam feres: paruit consilio & abdicatis, remissisque, quæ acceperat donis sanum & justum judicium rediit idemque ut ante senserunt.

15. *Jethro* summum *Moysis* in populo judicando laborem videns, *Provide* ait *tibi de omni plebe viros timentes Deum, sapientes & stre-*

& strenuos, in quibus sit veritas, qui oderint avaritiam, elige & constitue ex iis, qui judicent populum omni tempore; ad quæ verba Cajetanus in cap. 18. Exod. Viros inquit non mulieres valentes ingenio: prima enim pars judicis à naturali ingenio est: viri siquidem ingenij naturaliter sunt aliorum Rectores. Timentes Deum: prima enim virtus Principis & judicis cujuscunq; ordinis est timor Dei, oportet enim jus dicentem aliis rationem superioris judicis intuentis cor, & singulas conditiones judicantis, atq; judicij attendere, ut sic judicet alios tanquam certus, quod sit ipse rationem redditurus Deo de suis judiciis & ratione judicandi: Si enim solus timor humanus in animo regnat judicis, innumerabiles injurias faciet. Viros veritatis tum in dicendo tum in faciendo, quod dixit. Et qui oderint avaritiam: quamvis sufficiat homini non esse avarum, non sufficit tamen Judici: sed oportet eum tam alienum esse ab avaritia, ut oderit ipsam, minus dico: quia participium habetur in Hebræo odientes avaritiam, significat affectos continuo odio avaritiæ, & non qui ad horam oderit avaritiam.

16. Eccl-

16. Accipere proinde munera, quod ad avaritiam spectat, cuilibet etiam Judici illicitum est, antiquum enim proverbium est:

Das Geldt das stumm ist
Macht geradt was krum ist/
Qui caret nummis
Dem hilfft nicht daß er from ist.

Munera Pontifices subvertunt munera Reges:
Munera jus statuunt, destituuntq; simul.
Munera pervertunt Reges, decreta refellunt,
Evacuant patrum jura rigore suo.
Munera judicij libr̃a moderantur, & ipsam
Protinus inflectunt, quæ data pensa trahunt.
Omnia vincit amor, sed amor̃e munera vinc̃ut
Excœcant oculos, præcipitantq; gradus.
Munera si cessent, cessabunt Jurgia, lites.
Mars cadet, & veneris nullus amicus erit.
Munera si cessent, miseris mortalibus ullus
Clamor, nec luctus, nec dolor ullus erit.

Ponderantur jam vulgo sententiæ ad libram amicitiæ Judex est non ratio sed affectus: hinc madent non raro innocentum lachrymis tribunalia, stillant justorum sanguine ju-

ne judicum manus, turgent inopum æreditum crumenæ. Audite iniqui judices quibus vos verbis perstringat *D. Innocentius* Patronus Innocentium *de contemp. mund. l. 2. c. 4. Vos non attenditis merita causarum, sed merita personarum: non vitam, sed munera: non justitiam, sed pecuniam: non quod ratio dictet, sed quod voluntas affectet: nõ quod lex sanciat, sed quod mens cupiat: non inclinatis animum ad justitiam, sed justitiam ad animum, non ut quod licet lubeat, sed ut liceat hoc quod libet.* Nec est, quod prætendant Judices munera sibi à partibus libere & spontanee non coactis dari, nec esse, qui ea exigat, revera enim partes litigantes, si scirent absque hoc & æque cito justitiã habituros, non offerrent munera: adeoque revera virtualiter involuntarie dant, & in hoc illi Judices maxime culpabiles sunt, qui nisi veniant smiralia: vel causas ad longum tempus protendunt, vel quæsito novo colore & authoribus contra illum, qui partibus suis in offerendo defuit, pronuntiant: videant inquam tales, quomodo coram Deo, qui intima cordis penetralia rimatur, & intentiones discernit, ac discutit, suo

tit, suo tempore subsistant : an non sint rei restitutionis expensarum quas causant, dum quod in principio & facile decidere possunt: in longum tempus cum summo litigantium damno differunt: & adhuc sæpe depost illum, qui nihil, vel minus, quam altera pars, quæ injustam causam fovebat obtulit, ad concordiam absque expensarum refusione quodammodo cogunt. Lepidum est quod refert ad hoc propositum *Mascardus de probationibus vol. 1. Concl. 150. n. 3. circa fin.* Judicibus specialiter attribuens avaritiam.

Quarto amplia ait *ut procedat etiam in Judicibus quibus præcipue adscribitur avaritia ut dicit Nevizan in sylva nuptial. lib. 5. verbo judicandum fol. mihi 226. colum. 2.* ex mente *Arist. cap. 18. problem. 4.* Hinc pictores pingunt quinque videlicet Papam Judicem militem, agricolam & fœminam, & subscribunt.

Papæ	orat pro illis		quatuor
Militi	defendit illos		
Agricolæ	alit illos		
Mulieri	decipit illos		
Judici	furatur illis		

Ex qui-

Ex quibus quilibet facile inferet, quid ad allegatas propositiones dicendum sit; siquidem iniquum est pro justâ sententiâ, longe iniquius erit pro injusta acceptare munera; *si avaro nihil est sceleſtius*, quia animam suam venalem habet: quid dicendum de illo, qui non animam solum, sed & Justitiam, imò quod gravius est injustitiam venalem habet? Sed causa, cur injustam sententiam Judex vendere, & pro eâ pretium accipere potest, ea est, quod illa non debeatur parti: propter sententiam justam nihil accipere à Cliente, vel retinere Judex, vel quis similis potest, quia tunc ipsa acceptio est injusta ratione sui; si enim sententia est justa, debetur ea Clienti: si debetur, ergo ei vendi per pretium à Judice non potest: iam subsumamus; sed sententia iniusta non debetur parti, ergo illi vendi potest. Sed quæso, potestne Judex vendere iniquitatem, quam ipse fecit & quod suum non est? an non debebat eundē laborem vel certe minorem impendere, si justam sententiam tulisset & gratis, quo titulo ergo pro injustâ sententia pretium petit? an ob injustitiam? forte ita, ut sicut ex duabus negationibus

nibus, fit una affirmatio, sic ex duabus injustitiis, quæ negationum, vel privationum justitiæ vigorem habent, fiat una justitia, sed grandi errore; *appone* ait *psalmista ps. 68. iniquitatem super iniquitatem, & non intrent in justitiam tuam: deleantur de libro viventium, & cum justis non scribantur.*

18. Bene proinde dixit *Isidorus Hispalensis; gravius lacerantur pauperes à pravis judicibus, quam à cruentissimis hostibus: nullus enim prædo tam cupidus est in alienis, quam Judex iniquus in suis. Hostes in alienorum tantum sanguinem intendunt: Judices quasi crudelissimi carnifices oppressione suâ vitam civium subjectorum extinguunt.*

Sed à Judicibus ad Advocatos transeamus: illis non minus quam Judicibus patrocinantur, qui docent.

PROPOSITIO VI.

Advocatus causam, quæ semiplene probari, convinci tamen nequit, licite defendit.

PROPOSITIO VII.

Si causa ne quidem semiplene probari, inceptæ tamen patrocinari poterit.

PROPOSITIO VIII.

Actori nullum, jus habenti & accusare volenti Advocatus Patrocinari poterit.

19. QVarum omnium fundamentum est; quod contingat causas bene fundatas male cadere, & sæpe male fundatas bene succedere. Sed novæ huic adinventioni nequaquam assentiendum, potius audiendus *Doctor Angelicus*, communi hactenus ab omnibus approbatæ sententiæ inhærentis: *dicendũ* inquit: ille *2. 2. q 71. a. 3. in corp. quod illicitum est alicui cooperari ad malum faciendum, sivè consulendo, sivè adjuvando, sive qualitercunq; consentiendo, quia consilians & coadjuvans quodammodo est faciens, unde &*

supra

supra dictum est, quod tales omnes ad restitutionem teneantur, manifestum est autem, quod Advocatus & auxilium & consensum præstet ei, cujus causæ patrocinatur. Vnde si scienter injustam causam defendit: absque dubio graviter peccat, & ad restitutionem tenetur ejus damni, quod contra justitiam per ejus auxilium pars altera incurrit. Et ibidem *in solut. ad 2. Advocatus* ait *si in principio credidit causam justam esse, & postea in processu pateat eam injustam, non debet eam prodere, ut scilicet aliam partem juvet, vel secreta suæ causæ parti revelet, potest tamen, & debet causam deserere, vel eum cujus causam agit, ad cedendum inducere, sivè ad componendum sine Adversarij damno. Quis Advocatus* inquit *S. Augustinus Epist. 54. aut ex Advocato vir optimus reperitur, qui suscepto suo dicat: Recipe, quod mihi, cum tibi male adessem, dedisti, & redde adversario tuo, quod me agente inique abstuliſti? Et tamen etiam hoc facere debet, ut si ille, qui inique litigavit, non vult admonitus corrigere iniquitatem, ejus tamen iniquitatis nolit iste habere mercedem: nisi forte restituendum est alienum, quod per furtum clanculo*

auffertur, & restituendum non est alienum, quod in ipso foro, ubi peccata puniuntur decepto Judice & circumventis legibus obtinetur?

20. Tanta certe hoc tempore est Advocatorum injustitia, ut de eis merito queratur *Petrus Blesensis Epist. 26. Hodie* ait *soli avaritiæ militant causarum Patroni, illudq; quondam venerabile nomen, & gloriosa professio Advocati, notabili vanitate vilescit, dum miser & perditus linguam vendit, lites emit, matrimonia legitima dissolvit, amicitias rumpit, sopitarum litium cineres resuscitat, pactiones violat, detrectat transactiones, privilegia frangit, & in capturam pecuniæ pedicas & retiacula tendens, jura omnia intervertit.* Cui consentiens *Joan. Sacrisb. lib. 5. policrat. cap. 10. Experto* ait *crede de talibus in manuscorum millies incidi, &, ut aliquid de fabulis mutuemur: portitor immitis Charon, qui neminipepercit unquam, istis longe clementior est: stipe siquidem, vel triente, solet esse contentus, at isti asses integros sibi multiplicari jubent. Inclementiam Cerberi omnes abhorrent, ego vero credo me vidisse ostiarios Cerbero deteriores. Apud inferos tantum unus est Cerberus:*

rus: quot sunt diverticula curialium, tot Cerberi sunt. In uno tamen piissimos esse miraberis, quod querelas libenter audiunt. Fovent humiliorum causas, & eousq; patrocinantur afflictis, dum exhauriant loculos pleniorum: nam quocunque modo causa procedat, hoc semper agitur, ut loculi impleantur, etsi avaritia impleri nequeat.

21. His addi potest *Vernuleus lib. 3. inst. polit. cap. 4. §. 9. n. 5. multi Advocati* inquit, *& Procuratores multas faciunt lites: & cum pleriq; tantum sint Mancipia lites alunt, ut sua repleant marsupia. Horũ multitudo hominum non est sanitas orbis terrarum: nimis hodie multi ad calamum sudant: nec sane opus est tot sollicitatoribus, sacculariis, scribis, Accẽsis, Ostiariis, Rabulis, & id genus hominibus, quorum labor in verbis longo foliorum apparatu strepitu.*

Ex quibus facile est concludere, quid dicendum de iniquis testibus: qui utique, si pro iniquo, falsoque testimonio quid acceperint, non minus, quam Judices, & Advocati restituere tenebuntur, sed jam ad alias laxitates pergamus.

PROPOSITIO IX.

Non tenetur quis restituere, quod per minuta furta abstulit, licet sit magna summa totalis.

22 QVam *Schola Theologica Lovaniensis* sicut & plures sequentes censuravit, & condemnavit *Anno 1653. & 57.* eodem enim modo justitiæ repugnat retinere rem notabilem alteri debitam, ac illam uno actu auferre: licet non sit injustitia ratione acceptionis, si absit intentio illa successive furandi: est tamen ratione rei acceptæ, quam in notabilem quantitatem crevisse supponitur, habeatque possidens quod suum non est, sed alterius, adeoque restituere obligatur tanquam detinens rem alienam; in quo æque peccat, quam si eam furatus fuisset. Ex eodem fundamento ruit, quæ sequitur.

PROPOSITIO X.

Qui cessit foro potest sibi retinere bona quibus indiget ad sustentationem familiæ

miliæ ne indecore vivat: licet debita pro quibus cedit sint ex injustitia & delicto contracta.

23. SEd non obstante ratione jam adducta probat illam assertor: quia talis cedens ad propria alimenta jus habet, & qui illis caret, est in gravi necessitate constitutus, in qua aliena etiam posse surripi, nedum propria occultari, communis jam nunc sententia est. Quod fundamentum si subsistat: certè hallucinata est *Schola Theologica Lovaniensis* eam censurando: sed allata suppositio &

PROPOSITIO XI.

Licitum est furari non solùm in extrema sed etiam gravi necessitate.

24. ABsolute falsa est, adeoque & Propositio, quæ illi, ut fundamento superstructa: *communis* enim teste *Navarro in Manual. cap. 17 n. 119. sententia fuit peccare illos, qui citra extremam necessitatem diripit, res etiam alteri superfluas, ad sibi, vel aliis*

subveniendum. D. Thomas 2.2.q. 66.a 7.ad 2. In casu extremæ necessitatis omnia sunt communia. Vnde licet ei, qui talem necessitatem patitur, accipere de alieno ad sui sustentationem, si non inveniat, qui sibi dare velit. Consentit *Bannez ad text. cit. D. Thomæ Suarez disp. 7. de charitate sect. 5 n. 8. Durandus in 4. dist. 15. q. 8. n. 7.* omnesque qui prioribus sæculis scripserunt, ut merito *Schola Theologica* tanquam Doctorum torrenti contrariam, & quæ det pauperibus ansam ad passim furandum condemnaverit.

PROPOSITIO XII.

Famuli & famulæ possunt occulte heris surripere ad compensandam suam operam, quam majorem judicant salario quod accipiunt.

25. HVic memorata *Schola Theologica* hanc censuram inussit: quod scilicet sit *falsa, naturam hominis de se pronam ad malum præcipitans in furta ac pacem domesticam* pertur-

perturbans, eo vel potissimum, quod ista compensatio ipsorummet famulorum & famularum judicio relinquatur. Et merito cum nullus debeat esse judex in propriâ causâ, eo quod proprius amor corrumpat judicium, & quilibet in propriis defectibus cæcutiat. *Commune hoc malum* ait *Isidorus Pelusiota lib. 4. Epist. 25. esse videtur, ut homines non solum in rebus propriis cæcutiant, proximorum autem delicta acute cernant: sed etiam sibi ipsis accusationes, defensiones q; quamlibet invitas arcessant.* Sed quid, si horum Doctorum famuli in suorum herorum bonis hujus sententiæ in praxi initium facerent: an putamus eos hoc æquo animo laturos? vix credibile est. Cur ergo, quod sibi fieri nolunt, alios facere docent, & suadent.

26. His accedit, quod si licitum sit famulis in casu proposito, uti occulta compensatione: idem indubie licebit Dominis contra famulos: si judicent ipsorum operam condictæ mercedi non æquari, sed minorem esse: quod ergo illo supposito famuli Dominis, judicarent illicitum contra se, hoc quoque sciant sibi illicitum contra Dominos.

Sed dices alia via satisfactionem habere nequeo; an ergo non est via justitiæ? an non potes te abdicare servitio, & alium herum quærere? quod si neutrum ex illis potes, potius & melius est injuriam pati, quam inferre, ne majoribus te malis obvolvas, nec tibi contingat, quod cuidam studioso, qui cum hanc sententiam in scholis scripsisset, & domi practicasset, tandem deprehensus carceri mancipatus est: & licet se secundum sua scripta publice etiam producta operatum probasset publicam tamen virgarum pœnam, non evasit, adjuncto à Magistratu mandato, ut scripta jam dicta publice cremarentur: Fuit etiam insignis quidam Dominus, qui cum quendam Principis Confessarium, an licitum esset, uti occulta compensatione interrogasset: & is affirmative respondisset: si inquietabatis ego Princeps essem, & illum qui vestro consilio id practicasset, & vos patibulo affigi curarem. Sed ecce aliam priori similem.

PROPOSITIO XIII.

Qui alium movet aut inducit ad inferendum

dum grave damnum tertio: non tenetur ad restitutionem damni illati.

27. HAnc *aperte falsam & receptissimis Justitiæ Regulis contrariam* censet *Schola Lovanienſis.* Generale ab omnibus hucusque admissum principium fuit, quod omnes ad injustitiæ illationem efficaciter concurrentes ad restitutionem, vel quilibet pro suâ quotâ, vel in solidum si alij negligant, restituere obligarentur: inter concurrentes autem principalior censetur, qui jubet: *loquendo* inquit *Tannerus tom 3. disp 4. q. 6. dub. 14. n. 398. de titulo restitutionis ex injusta acceptione præciſe, juxta S. Thomam: Primus est jubens, quo etiam pertinet vi cogens, aut fraude consulens, aut quolibet modo inducens, ut suo nomine damnum inferatur, imò universum malum consulens, ut insinuat S. Thomas, & aperte docet Cajetanus art. 6. & Bannez. art. 7. consulentem executori anteponentes & merito.* Pro quo sicut etiam anterioribus propositionibus furtum concernentibus est clarissimus textus *Gregorij 9. cap. si culpa extra de injuriis & damno dato*: ubi *Pontifex*

ait: *si tua culpa damnum datum, vel injuria irrogata: seu aliis irrogantibus opem fortasse tulisti, aut hæc imperitiâ tuâ, sive negligentia evenerunt: jure super his satisfacere te oportet, nec ignorantia te excusat, si scire debuisti, ex facto tuo injuriam verisimiliter posse contingere vel jacturam.*

28. Ad materiam quoque hoc Decalogico præcepto vetitam spectat usura, quæ est furtum fraudulentum fœnus dictum à fœtu, & fætura quadam pecuniæ parientis, quæ certe contra naturam est: cum enim pecunia ex naturâ suâ sit sterilis, contra naturam est, quod quis ex eâ fœtum expectet. Sed tanta est modo usurarum frequentatio, ut merito *S. Basilius in psalm. 14. vocet pecuniam bestiam fœcundam. Hi sane ait fœtus usurarum, recte genimina viperarum dicuntur; viperas enim dicunt ventrem matris perrodendo nasci: sic item fœnora debitorum domus absumendo nascuntur: semina omnia suo tempore nascuntur, animalia quoq; præstituto tempore fœtus suos pariunt: fœnus autem hodie natum, hodie parere incipit.* Et *S. Ambrosius lib. de Tobia cap. 10. Nihil interest inter funus & fœnus,*

nihil

nihil inter mortem distat, & sortem, personat funebrem ululatum funebris usura.

29. Vsuram utriusque Testamenti paginis condemnari testatur *Alexander III. in Concil. Lateranensi cap. 25. & Clemens V. in Concilio œcumenico Viennensi: sane* ait, *si quis in illum errorem inciderit, ut pertinaciter affirmare præsumat, exercere usuram, non esse peccatum: decernimus velut Hæreticum puniendum.* Notat autem *S. Augustinus in psal. 36. conc. 3.* non solum in nummis, sed etiam in qualibet alia materiâ usuram exerceri posse, si plus nimirum recipias, quam dedisti. *Quodcunque sorti accidit* ait *S. Ambrosius lib. cit. cap. 14. usura est. Cur vocabulum refugis? cur velamen obtexis?* Hoc velamen obtexunt illi, qui Judaicum hunc contractum quæsitis formosis, sed falsis titulis licitum facere volunt, quorum est sequens.

PROPOSITIO XIIII.

Vsura non est dum ultra sortem ex gratitudine & benevolentiâ aliquid exigitur: & non ut ex justitia debitum.

Huic similis est alia.

PROPOSITIO XV.

Contractus Mohatra licitus est respectu ejusdem personæ, & cum contractu venditionis prævie inito ex intentione lucri.

EST autem Contractus Mohatra: quando aliquis egens pecuniâ, emit pecunia credita à mercatore merces pretio summo, & statim ei pecunia numerata pretio infimo revendit.

30. Veramque hanc assertionem censuravit *Schola Theologica Lovanienſis Anno 1657.* & dudum ante contra eandem sententiam tulit *Vrbanus III. cap. conſuluit extra de uſuris. Conſuluit nos* ait *tua devotio, an ille in judicio animarum quaſi uſurarius debeat judicari, qui non alias mutuo traditurus, ea proposito mutuam pecuniam credit, ut licet omni conventione ceſſante plus tamen ſorte recipiat? & utrum eodem reatu criminis involvatur, qui ut vulgo dicitur, non aliter parabolam jun-*

ramenti concedit, donec quamvis sine exactione emolumentum aliquod inde percipiat? & an negator pœna consimili debeat condemnari, qui merces suas longe majori pretio distrahit; si ad solutionem faciendam prolixioris temporis dilatio prorogetur, quam si ei in continenti pretium persolvatur? verum quia, quid in his casibus tenendum sit ex Evangelio Lucæ manifeste cognoscitur in quo dicitur; date mutuum nihil inde sperantes: hujusmodi homines pro intentione lucri, quam habent, cum omnis usura & superabundantia prohibeatur, in lege judicandi sunt male agere, & ad ea, quæ taliter sunt accepta restituenda in animarum judicio efficaciter sunt inducendi.

31. Ecce clarissimus Juris Canonici textus, sed primam propositionem in simili supra, ubi de Simonia agebatur, virtualiter refutatam invenies. Pro secunda verò, quæ iniquissima est nescio quis prætextus, nisi pura titillatio novitatis præformari poterit, sed jam ad alia.

Avaritiam omnis injustitiæ, quæ hoc præcepto specialiter vetatur radicem, fomentum & promotricem esse initio hujus Articuli

ticuli dictum est: illa est, qua instigante alienum rapit, & detinet; illa stimulante Judex injuste judicat, Advocatus iniquis causis patrocinatur testis falsum testimonium profert &c. Nec solum sed & ipsa est, quæ claudit viscera misericordiæ, ne subveniatur indigentibus, & liberalitatis inimica est: *ad liberalitatem* enim *pertinet juxta D. Thom. 2.2.q.115 ar.2.in corp ut neque propter immoderatum amorem pecuniæ aliquis impediatur à convenientibus dationibus.* Et *S. Ambrosius lib.1.offic.cap.30. Perfecta est* inquit *liberalitas, ubi silentio quis tegit opus suum, ut necessitatibus singulorum occulte subveniat: quem laudat os pauperis, & non labia sua. Grandis culpâ si sciente te fidelis egeat, si scias eum sine sumptu esse, fame laborare, ærumnam perpeti, qui præsertim egere erubescat: si in causa ceciderit, aut captivitatis suorum, aut calumniæ, & non adjuves.* Et rursus de *Nabuthe cap.12. non de tuo* inquit *largiris pauperi, sed de suo reddis: quod enim commune est in omnium usum datum, tu solus usurpas, debitum ergo reddis, non largiris indebitum.*

32. Sed

32. Sed non obstantibus tot præceptis divinis in sacris literis latis, tot salutaribus ipsiusmet Dei opera misericordiæ, & eleemosynam suadentibus, tot divinis æternæ vitæ & temporalium rerum etiam abundantia promissionibus: inventi sunt belluis crudeliores, qui asserere præsumpserunt.

PROPOSITIO XVI.

Non tenetur dives nequidem de superfluis sui status dare Eleemosynam.

CVi affinis est, si non in laxitate superet, quæ sequitur.

PROPOSITIO XVII.

Hic actus divitis nolo erogare de superfluis status Eleemosynam in communibus necessitatibus non est mortale.

PRioris rationem hanc adfert Author alias enim ait pauci divites salvarentur. Ergone hoc absurdum est? An non certissimum

mum Salvatoris effatum : *quam difficile inquientis lucæ 18. 24. & 25. qui pecunias habent in Regnum Dei intrabunt ? facilius est enim camelum per foramen acus transire, quam divitem intrare in Regnum Dei.* In quibus quidem verbis Salvator non dicit impossibile esse divitem intrare in Regnum Dei : Sed quemadmodum non absque miraculo camelus per foramen acus transire potest: ita nec absque illo divites intrabunt in regnum cœlorum: sic enim ordinarie divitiis immerguntur, ut illos quodammodo Dei loco habeant plus de illis, quam de Deo cogitantes illos adorantes, omnem reverentiam, cultum & obsequium exhibentes, ut merito avaritia ab Apostolo dicta sit *Idolorum servitus*: & quanto plus crescunt divitiæ, & nummi tanto quoque plus crescit affectus ad illa, juxta commune proverbium:

Crescit amor nummi quantum ipsa pecunia crescit.

33. Nec dubium est principalem causam damnationis divitum, esse immisericordiam & crudelitatem erga indigentes : quod eorum

rum miseriam videntes nihilominus viscera misericordiæ illis occludant: malintque sæpius id dare equis, canibus & brutis animantibus, quo animas, corpora & miserias inopum sublevare possent quam iisdem. Vnicum etiam, quo divites salvari possunt medium esse eleemosynam plures sancti Patres & ipsa S. Scriptura sentit: *Luca 11. Quod superest date Eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis*, & *Daniel 4. Peccata tua Eleemosynis redime, & iniquitates tuas misericordiis pauperum.*

34. Cum ergo quod ab Authore pro absurdo adducitur absurdum non sit, nec assertionem per ipsum tanquam per absurdum probare potuit: ruit ergo prima assertio nihilominus pro verificanda utraque assertione, ecce novam inventionem, qua asserunt vix inveniri inter divites & sæculares qui habeat superfluum ad suum statum, nec dicenda superflua ea, quæ ad meliorem statum conservantur, cum nemo teneatur proprium statum, ne proximus amittat suum deijcere, vel ab altiori acquirendo desistere. Vnde vix aliquis tenetur ait alter secundum opinio-

pinionem noſtram ad Eleemoſynam, quando tantum tenetur de ſuperfluo ſtatus: ſed abſurditatem hujus opinionis advertens *Schola Theologica Lovanienſis Anno 1657.* cenſuravit illam, quæ ſequitur.

PROPOSITIO XVIII.

Superfluum non eſt, quod ſervant homines pro ſtatus ſui, vel parentum qualitate habita vel adipiſcenda, ideoque vix poterunt inter ſæculares inveniri, qui ſuperfluum habeant.

35. ECce quo loco apud hos Authores ſint paupe es ut illis quodamodo omnia media vivendi ſubtrahere conentur: ſed videant, ne illi contra ſe licentiam in gravi etiam neceſſitate furandi conceſſam uſurpent, & quod ex miſericordia adipiſci nequeunt, propriâ authoritate tanquam ſuum tollant, cogitent etiam, quod ſibi fieri vellent, ſi & ipſi indigentes eſſent, an non longe tunc aliter ſenturent, improbarentque illam ab alio

alio sibi consentiente Authore confessarijs datam instructionem: *Confessarius* inquit *is absolutionem à peccatis diviti negare facile non debet, quod communes pauperum miserias per Eleemosynam sublevare monitus recusset. Tum quia de obligatione hac, an & qualis sit Doctores dissentiunt: tum quia dives semper aliquã causam in specie præsefert, cur recuset.*

36. Miratur quandoque intellectus humanus statum hujus vitæ considerans, dum probissimos in summa egestate vivere, & iniquos sœpe delitiis, omniumq; rerum abundantia affluere videt: Sed causam illius dat *S. Augustinus hom. 13. inter 50. Quando facit Deus pauperes,* ait *probat divites, sicut scriptũ est: Pauper & dives occurrerunt sibi, ubi sibi occurrerunt? in hac vitâ: natus est ille, natus est & ille, invenerunt se occurrerunt sibi. Et quis fecit illos ambos? Dominus: divitem unde pauperem adjuvaret, pauperem unde divitem probaret. Pro Viribus suis unusquisq; faciat, non sic faciat, ut ipse patiatur angustias: non hoc dicimus: superflua necessaria sunt aliis:* hinc est illa sapientis ad divites exhortatio *Eccl. 42. & seq. Animam esurientem ne despexeris,*

& ne

& ne exasperes pauperem in inopiâ suâ: cui inopis ne afflixeris, & non protrahas datum angustianti maledicentis enim tibi in amaritudine animæ exaudietur deprecatio illius: exaudiet autem eum, qui fecit illum.

37. Quod si divites considerarent non sua esse, sed Dei dona, quæ habent & ad sublevandum proximum in necessitate existentem collata: faciliores ad Eleemosynas essent, cum quilibet de alieno facile sit liberalis: *Ille* ait *S. Augustinus serm. 15. de divers. qui aliquid porrigit pauperi, non se arbitretur de suo facere, ne forte non tam confirmetur misericordiæ nomine, quam infletur superbiæ vanitate. Meum est inquit Deus aurum, meum est argentum, non vestrum ô divites terræ, quid ergo dubitatis dare pauperi de meo, aut quid extollimini cum datis de meo.* Quibus accedit, quod etiam Christus sibi ipsi factum censeat, & pro inope cui Eleemosyna datur, debitorem se constituat: *quamdiu inquit Matth. 25. uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis, quomodo* ait ad hæc *Cyprianus tract. de opere & Elcem. magis potuit justitiæ & misericordiæ nostræ opera provocare, quam quod*

præstari

præstari sibi dixit, quidquid egenti præstatur & pauperi, ut qui respectu fratris in Ecclesia non movetur, vel Christi contemplatione moveatur.

38. Novum tamen modum absque ullo sui detrimento succurrendi pauperi, adinverunt Neoterici: cum enim jam docuissent non teneri aliquem de superfluis succurrere egentibus: ne tamen omnino illos desolatos relinquant, & quidem in extrema necessitate volunt illis per mutuum subvenire ratione cujus sit.

PROPOSITIO XIX.

Sufficit extreme indigentibus per mutuum subvenire sub conditione, ut tempore lautioris fortunæ restituant.

QVia pergit Assertor: si egenus sublevatur quocunque modo, impletur præceptum: quod tanta confidentia profertur, quasi oraculum esset, cum piaculum sit, sed longe aliter, & melius ipsa veritas: *mutuum*

inquit

inquit *date nihil inde sperantes*: ubi certum de rigoroso mutuo sed Eleemosyna loqui, communis Sanctorum Patrum est opinio; idque sacræ scripturæ conformiter *Prov. 14. fœneratur Domino, qui miseretur pauperis*: idem ergo mutuum est respectu Dei, opus Eleemosynæ & misericordiæ respectu pauperis: *Intellige dicti efficaciam* ait *Basilius in psalm. 14. & legislatoris humanitatem admiraberis. Quando pauperi das in Domini gratiam, idem ipsum donum est, & mutuum: donum quidem, quod à paupere non speres te recepturum: mutuum verò sivè fœnus, ob Domini munificam liberalitatem pro illo reddentis; qui parva quidem cum per pauperem acceperit, maxima pro ipsis retribuet.* Et *S. Ambrosius* ad præallegata sapientis verba & ipse alludens *lib. de Job. cap. 16. Date* ait *mutuum ijs, à quibus non speratis vos, quod datum fuerit recepturos. Nullum hic damnum est, sed compendium: minimum datis, multum recipietis: in terra datis & id vobis solvetur in cœlo: fœnus amittitis, mercedem magnam habebitis, fœneratores esse desinitis, filij eritis altissimi: eritis misericordes, quo vos patris æterni*

probetis hæredes Sed fœneratorum vos delectat & usurarum vocabulum? Id quoque non invideo, docebo, quomodo boni fœneratores esse possitis, quomodo bonas quæratis usuras, dicit Salomon, fœnerat Domino, qui miseretur pauperis, secundum datum autem ejus retribuet ei. Ecce bonum fœnus de malo factum est: Ecce irreprehensibilis fœnerator: Ecce usura laudabilis. Igitur misericordes Domino mutuant, & merces multa illis promittitur, sicut è contrario, qui obturat aurem suam ad clamorem pauperis & ipse clamabit, & non exaudietur.

39. Sed mille excusationes prætendunt, qui aures suas ad clamorem pauperis obturant: inter quas primum locum habet illa, qua se filiis thesaurisare iisque bona servare debere quæruntur. *Servat tibi Pater tuus* ait *S. Augustinus de decem chordis cap. 12. servas tu filiis tuis, filij tui filiis suis, & sic per omnes & nullus facturus est præcepta Dei? Quare non impendis omnia, qui te fecit ex nihilo, qui te fecit ipse te pascit, ex his, quæ fecit, ipse pascit filios tuos: nec enim melius committis filiis tuis Patrimonium tuum, quam creatori tuo.* Et paulò post: *dicitur de quodam, quare non facit*

Eleemosynam? quia servat filiis suis, contingit, ut amittat unum: si propter filios servabat, mittat post illum partem suam: quare illam tenes in sacculo, illum relinquis ex animo? redde illi quod suum est, quod illi servabas. Mortuus est inquis. Sed præcessit ad Deum, pars ipsius debetur pauperibus illi debetur, ad quem perrexit, Christo debetur, ad quem perrexit. Et *Basilius hom. 7. in ditescentes. Nonne* ait *multis opes fiunt causa luxuriæ. Considera igitur ne opes multis cum ærumnis cumulatas relinquendo, peccandi materiam aliis suppeditet, duplici pœnâ postmodum plectendus, & tuorum scilicet criminum causa, & aliorum, quibus delinquendi materiam præbueris.*

40. Altera, quam immisericordes prætendunt excusatio ea est, quod in posterum consulere sibi velint: *Avaritia* inquit *Augustinus, serm. 43. de diversis c. 8. dicit consule tibi in posterum, homini fortassis victuro, nec in crastinum. Sed ecce vivat, quantum putat avaritia & senuerit: adhuc senex, incurvus, baculo innixus lucrum quærit, & audit avaritiam dicentem consule in posterum. In quod posterum? jam expirans loquitur propter filios*

tuos,

tuos, & inquit, utinam vel illos senes habeamus non avaros, qui non habent filios. Etiam ipsis, etiam talibus, etiam iniquitatem suam nulla pietatis imagine excusantibus non cessat avaritia dicere: consule in posterum, nimirum horrendus pecuniarum amor, senium nescit, satietatem ignorat, lætitiam respuit, finem capere minime sustinet: imò verò indies vigens, vel potius vigorem suum augens fortior se ipso, ac valentior, acriorq; esse contendit. Nullus enim tam senex est, & decrepitæ ætatis, ut non se adhuc uno plus anno vivere suspicetur.

41. Duabus hisce futilibus excusationibus tertia accedit intentio bona universa sanctæ & perpetuæ post mortem fundationi applicandi: nimirum ut misericordiam præstem futuris, dum non ero, benefacere illis negligo, quibuscum vivo. *Heu miser* ait *Basilius* loco mox citato: *tunc benignus & liberalis hominibus eris, cum amplius inter homines non ages? cum te cadaver aspiciam, tunc fratris amantem appellabo, scilicet magna dignus eris liberalitatis laude, magnus tibi honor debebitur & gratia, si in sepulchro jacens, & in terram conversus magnificus ac pomposus apparueris.*

parueris. Sed juſto ſœpe Dei judicio fit, ut imprecationibus pauperum ſic apud eum exigentibus, ex divitibus epulonibus, fiant egentiſſimi: pauperis enim diviti in amaritudine animæ ſuæ maledicentis exauditur deprecatio ab eo, qui fecit illum: adeoque frequenter impletur illud *S. Auguſtini hom. 48. inter 50. cap. 22. Hoc tollit fiſcus quod non accipit Chriſtus.*

Concludo hunc & articulum & propoſitionem verbis *S. Fulgentij ſerm. de verbis Micheæ cap. 5. & 6. Miſericordiam maxime debent ſublimes impendere humilibus & dicatos pauperibus prærogare. Hæc autem miſericordia duobus impenditur modis, cum nimirum peccanti & correctionem pollicenti venia datur, & cum indigenti quod eſt neceſſarium non negatur. Ad hujus miſericordiæ pertinet partes, ut ſuperior inferiorem non opprimat ſed cum juſtitia defendat, & dives pauperi nihil auferat, ſed eum paſcat & veſtiat, & pauperi non inſidietur: ſed eum potius ſuis beneficiis conſoletur. Quid ergo eſt, quod ſe inflat homo fragilis & mortalis: quid ſuperbit terra & cinis? quid ſe ſuper pauperem dives ſuperbus extol-*

extollit? quare pauperem despicit? quare pauperem premit? quare pauperi panem aut tenacitate non tribuit aut rapacitate subducit & illi, cui debet de suo multum misericorditer dare modicum quod habet crudeliter conatur auferre? Existimat quia pauperem gravat seipsum relevet? & nescit quia cum pauperem premit sibi gravissimum pondus imponit? sibi enim bonum impendit, quando pauperi bonum facit. Bonum igitur faciat dives pauperi & proderit sibi. Diligat misericordiam & eam pauperi semper impendat: ut ipse misericordiam in die tribulationis inveniat, quia judicium sine misericordia illi qui non fecit misericordiam.

ARTICVLVS XII.

Continens laxitates octavi Decalogici Præcepti eversivas.

I. SUperest unicum, ordine quidem inter alia præcepta octavum nobis ob duorum combinationem ultimum: scilicet non

loqueris contra proximum falsum testimonium, quo præcepto non solum falsum testimonium contra proximum, sed plura alia vetari, testis est *Estius in 3. dist. 38. §. 1. Hoc præcepto* inquit *expresse quidem falsum testimonium, neq; id omne, sed solum id, quod contra proximum profertur. Cæterum generaliter, hic & alia quam plurima revocari possunt, ut ea, quibus publicum judicium perverti contingit, ut sententia injusta, munerum acceptio favor partis seu acceptio personæ, passio seu perturbatio rationem obnubilans, neglecta juris forma 2. falsitas, vel occultatio veritatis, in actore, accusatore reo, testibus, Advocato, Procuratore, Notario. 3. Omnis significatio falsi, sive illud proximo noceat, sive non, omne mendaciorum genus, Calumnia perfidia, pactorum violatio, detractatio, adulatio, susurratio, convitium, irrisio, maledictum blasphemia, risus scurrilitas, turpiloquium &c.* At quia pleraque ex his jam supra attacta sunt, hinc ea solum hic persequemur, quæ proprie ad hoc præceptum pertinent, inter quæ primum merito locum sibi vendicat temerarium judicium: nullo enim dubium, quin falsum

contra

contra proximum testimonium dicat, qui eum temerarie judicat: sicut enim est externa oralis & articulata loquutio, quæ ore per instrumenta à naturâ ad hoc deputata profertur: sic est & mentalis, quæ verbo mentis, & intellectu exprimitur: oportet enim illud, quod à rationali creaturâ extra promitur, prius intra intellectum expressum & dictum esse, quamobrem mendacium merito contra mentem loquutio appellatur, quod scilicet alia sit oris, alia mentis loquutio, & illa huic, cui consonare debebat, contrarietur, veritatemque, quam quis locutus est in corde suo contraria oris loquutione falsificet.

2. Sciendum quoque, quod sicut est tribunal externum, in quo justitiæ causæ ventilantur, sic esset tribunal internum, in quo quisque sedet ad judicandum, sivè de se ipso, sivè de suo proximo ibique comparent Accusatores, Testes, Advocati, Procuratores, & quidquid aliud in forensibus judiciis intervenire cernimus, & in hoc præcipua temerarij judicii consistit perversitas, quod proximum contra legem naturalem non citatum, nec auditum ad depositionem testi-

um ordinarie siniſtrâ affectione laborantium, adeoque ad teſtimonium inqualificatorum & leviſſima indicia, nec ſufficientes præſumptiones, nec probationem facientia contra illum, qui ſuæ jurisdictioni ſubjectus non eſt, ſententiam ferat, & temere judicium ſibi uſurpet.

Hujus & conſcientiarum ſuarum graviſſimum periculum ſubeunt Principes, Superiores, & Regentes; dum occaſione officiorum ſuorum ſibi plus aliquid licere arbitrati, ad cujusvis primi denunciatoris, vel delatoris depoſitionem, denunciato nec audito, nec citato, multo minus judicialiter vel quaſi convicto, in corde ſuo ſententiam ferunt, & ſæpè in foro exteriori quaſi contra vere convictum procedunt: de poſt rei innocentiâ & judicantis injuſtitiâ innoteſcente miſero denunciato ſœpius admirante contra ſe quaſi reum agi, cum nullius ſibi conſcius, & in cauſa ex privato odio *invidiæ*, vel proprio commodo denunciata totus innocens ſit. Idque expreſſe contra legem naturalem, quæ vetat non auditum, vel citatum condemnare: contra divinam ordinationem,

nem, quæ judici duas ad hoc aures dedit, ut una earum Actori, altera serviat reo: contra ipsiusmet Dei Opt. Max. exemplum, qui licet omniscius, nec falli potens, nihilominus contra *Adam*, *Cain*, & *Sodomitas* sententiam damnationis ferre noluit, nisi prius coram se citatos, auditos, convictos, & confessatos. Ad *Adam ubi* inquit *es? & quis enim indicavit tibi quod nudus esset, nisi quod ex ligno de quo præceperam tibi ne comederes comedisti? Genes. 3. v. 10. & 11.* Ad *Cain* fratricidam vero, *quid fecisti? vox sanguinis fratris tui, clamat ad me de terra &c. Genes. 4. v. 10.* Et de sodomitis: *Clamor Sodomorum & Gomorrhæ multiplicatus est, & peccatum eorum aggravatum est nimis. Descendam & videbo utrum clamorem, qui venit ad me, opere compleverint: an non est ita: ut sciam: Genes. cap. 18. v. 20. & 21.* Imò contra mandatum Christi *nolite judicare Luc. 6. v. 37.* utique sine indiciis probationibus aut præsumptionibus sufficientibus. Saluberrimaque esse hic potest omnibus Regentibus *S. P. Benedicti* ad Abbatem instructio: *Non sit* inquiens *Zelotypus & suspiciosus* causam addens *quia nunquam requiescit.*

3. Vnde ab aliornm judiciis privata authoritate & injuſte factis merito ceſſandum ſeipſumque coram tribunali conſcientiæ accuſandum monet: *S. Fulgentius ſerm. de verbis Micheæ. Revertere, igitur ad te ô homo: in te quære accuſationem: in te quære defenſionem, in te quære judicium: Imo tu eſto & accuſator, & defenſor, & judex. Intra in ſecretarium cordis tui, ubi ſoli te vident oculi Domini Dei tui: ibi te accuſa, ut valeas excuſatione defendi; ibi te convince, ut victoriam poſſis adipiſci: ibi te condemna, ut mereariſ abſolvi: Vbi te puni, ſi vis ab æternæ punitionis ſupplicio liberari. Fac in te Chriſtiane verum rectumq; judicium ſollicite ſecreta tui cordis attende facta tua mala tibi ante oculos tuos pone: quæcunque deleveras in intimo libro tuæ recordationis recenſe frequenter, ac relege, ſine convenientiâ te ipſum diſcute, tu ipſe, & cogitationum tormentis afflige. Tu in te juſtam ſententiam prome: quidquid mali feceras peccando puni veraciter pœnitendo; & judex effectus peccatorum tuorum, quod facere ſolent judices capitalibus reis, hoc ipſe fac iniquitatibus tuis. Noli accipere perſonam tuam, cum judi-*

cas cau-

eas causam tuam: sed cum severitate discute mala tua cum rigore in peccata tua sententiam condemnationis prome, & peccata, quæ in te commendas, occide.

4. Quod utique saluberrimum consilium, qui sequutus fuerit, non facile in aliorum judicium temere præcipitabit: hoc attento, quod sicut odium est initium & præambulum homicidij, ita & temeraria suspicio falsi testimonij, ut non immerito tam graviter commineturipsa veritas. *Nolite judicare ut non judicemini Luc. 6. v. 37.* Vtique sciens temerariam suspicionem radicem esse vipeream infinitorum malorum ex illa exorientium. *Pleraque mala* ait *S. August. serm. 112 de diversis cap 9 generis humani non aliunde oriuntur, nisi de suspicionibus falsis. Credis de homine, quod oderit te, qui forte amat te: & per pravam suspicionem fit inimicissimus amicissimo. Quid facias, cui non credis, & cor suum tibi demonstrare non potest: loquitur tibi dicens amo te, sed quia posset tibi, & hoc dicere mentiens, ea enim sunt verba mentientis, quæ vera dicentis non credendo adhuc odisti. Ideo ab eo peccato securum te facere*

voluit, qui tibi dixit: Diligite inimicos vestros & *S. Cyprianus lib. de lapsis n. 56. In his periculosè alios judicamus, quæ dubium est, utrum bono, vel malo animo fiat, id est jejunare, vigilare, eleëmosynas facere à vino & carne abstinere, vel non abstinere, & reliqua his similia: quæ & pro Deo, & humanâ gloriâ fieri possunt: Et quia ignoramus, quo animo fiant, judicare penitus non debemus.* Et *Doctor Mellifluus, si non potes* ait *opus, excusa intentionem.*

Laxant nihilominus, & temerariis judiciis liberime exercendis viam cõmonstrant, qui docent.

PROPOSITIO I.

Suspicio deliberata in re gravi & sint sufficientibus, indiciis & temeraria, non est culpa mortalis.

5. SVb nomine autem suspicionis includimus sive dubium, sive suspicionem proprie dictam sive opinionem; sentit proinde Author.

Propo-

PROPOSITIO II.

Dubium deliberatum de alio in re gravi sine sufficientibus indiciis adeoq; temeraria: non est peccatum mortale.

PROPOSITIO III.

Opinio deliberata de alio in re gravi, non est peccatum mortale.

RAtionem mox subjungit, quia ubi non est perfecta certitudo, non est perfecta temeritas, nec est læsio gravis, quando ille, qui sic suspicatur habet actualiter vel saltem virtualiter formidinem oppositi, & quasi facile paratus est, hujusmodi suspicionem deponere.

Sed jam dictis tanquam in ordine judicij incompletis, & imperfectis accedant aliæ, ut singularum complementum & perfectiones.

PROPOSITIO IIII.

Raro lethaliter peccatur per temerarium Iudicium.

PROPOSITIO V.

Iudicium temerarium in animo tuo residens non est peccatum priusquam aliquo modo advertas vel dubites te ex insufficientibus signis judicare.

6. QVia inquit Author priusquam animadvertas causas non esse sufficientes, vel saltem priusquam de illis dubites non est illud judicium ullo modo voluntarium, saltem qua parte temerarium, sed censetur primus motus libertatem voluntatis præveniens, etiam si longo tempore duraſſet. Quæsi ita sunt frustra Christus tantopere præcipit, nolite judicare, ut non judicemini, si raro per temerarium judicium lethaliter delinquatur. Sed & tam allata propositio, quam

quam ratio pro eadem militans in terminis implicantiam involvunt: quomodo enim judicium temerariũ est, quod in tuo animo residet si adhuc desint motiva incerta, ex quorum intuitu ipsum procedit, vel si adsint, & nondum considerata sint, certe illud non nisi materialiter tale dici poterit, adeoque nec propter ipsum asseri poterit: raro per temerarium judicium peccari mortaliter, vel judicium temerarium non esse peccatum, antequam, &c.

7. Quoad suspicionem verò dubium & opinionem, si ea sint voluntaria, non est dubium, quin involvant saltem implicite judicium, quo suspicans judicans, vel opinans judicat sibi hic & nunc ex incertis indiciis suspicandum, dubitandum vel opinandum: & hoc in gravi re illudque & mortiferum esse à plurimisque Authoribus sentiri, fatentur allatarum assertionum patroni, & merito, quod enim quis sibi fieri indigne ferret, utique nec illud alteri à se faciendum est: quis autem æquo animo ferat de se ex indiciis levibus in re gravi sinistram suspicionem, dubitationem, vel opinionem concipi? quilibet præ-

bet præsumitur bonus, donec probetur malus juxta regulam juris in 6. sed & dubia in meliorem partem esse interpretanda vulgatum & receptum ab omnibus dictum est.

8. Hinc *Doctor Angelicus* 2. 2. q. 60. a. 4. *in corpore ex hoc ipso, quod aliquis habet malam opinionem de aliquo absque sufficienti causa injuriatur ei, & contemnit ipsum: Nullus autem debet alium contemnere, vel quodcunque nocumentum inferre absque causâ cogente. Et ideo ubi non apparent manifesta indicia de malitiâ alicujus, debemus eum, ut bonum habere in meliorem partem interpretando, quod dubium est.* Et clarius *art. 3. in corpore triplex est* ait *gradus suspicionis primus, ut homo ex levibus indiciis de bonitate alicujus dubitare incipiat, & hoc est veniale peccatum: pertinet enim ad tentationem humanam, sine qua vita ista non ducitur. Secundus cum aliquis pro certo malitiam alterius æstimat ex levibus indiciis. Et hoc, si sit de aliquo gravi est peccatum mortale, in quantum non est, sine contemptu proximi. Tertius, cum aliquis judex ex suspicionibus procedit ad aliquem condemnandum. Et hoc directe ad injustitiam pertinet. Et ita*

peccatum

peccatum mortale. Ad quem textum *Sylvius* ait *D. Thomam in primo gradu ſolum intelligere ſuſpicionem & dubitationem, quæ eſt repentina imperfecta & indeliberata.* Et *Banneʒ ad Artic. citatum D. Thomæ* ait *ſub eodem primo gradu comprehendi omnes ſpecies temerarij judicij, quoties ſine plena deliberatione irrepere incipiunt, ſub ſecundo vero, quoties cum plena deliberatione in animo continuantur ad tertium gradum, & ex animo ad exteriorem manifeſtationem tranſituræ.*

9. Nulli proinde dubium eſt: quin *Doctor Angelicus,* & quotquot ejus veſtigia ſequuntur præinductis aſſertionibus Chriſti Domini præcepto conformiter, directe contrarienter. Sed videant judiciorum temerariorum magis temerarij Patroni, excuſatores & ex conſequenti ſuaſores, ne ſe tribus illis temerariorum judiciorum fontibus conſperſos eſſe ſuſpicionem fundatam faciant: *Suſpicio* ait *D. Thomas loc. cit. importat opinionem mali, quando ex levibus indiciis procedit, & contingit ex tribus: uno quidem modo ex hoc, quod aliquis in ſe ipſo malus eſt, & ex hoc ipſo, quaſi conſcius malitiæ ſuæ, faciliter de ali-*

de aliis malum opinatur secundum illud Eccles. 10. In via stultus ambulans cum ipse sit insipiens omnes stultos æstimat: Alio modo provenit ex hoc, quod aliquis male afficitur ad alterum: cum enim aliquis contemnit. vel odit aliquem aut irascitur, vel invidet ei, ex levibus signis opinatur mala de ipso, quia unusquisq; facilitèr credit, quod appetit. Tertio modo provenit ex longâ experientiâ, unde Philosophus dicit in secundo Rhetoricor. quod senes sunt maxime suspicioſi, quia multoties experti sunt aliorum defectus. Primæ autem duæ suspicionis causæ manifeste pertinent ad perversitatem affectus: tertia autem diminuit rationem suspicionis.

Qui temeraria Judicia & suspiciones à à culpâ mortali excusant, cum tamen illa sint falsa de proximis testimonia: licet non ad extra manifestata, illi utiq; aliquatenus à mortali excusabunt eadem, dum oretenus produntur, vel in judicium producuntur, horum sunt, quæ sequuntur.

Propo-

PROPOSITIO VI.

Ad tuendam vitam, vel tormenta gravia vitanda: cuivis licet proximo falsum crimen affingere.

10. CUjus ecce rationem: possum tali crimen occultum, sed verum, cur non & falsum objcere, cum tamen utrumq; sit infamare, sive occultum reveles, sive falsum imponas illum Sodomiæ, hæresis, & excommunicationis insimulando & accusando? sibi enim id imputet, maxime, si sit falsus testis: unde & poterit, pergit consequenter Author publicas scripturas quis ementiri & Notarius publicus ad hoc induci, præsertim, si eidem constaret de accusati innocentiâ: nec est, quod quis objciat per similia aperiri ostium ad evertenda judicia publica: contra enim est, quod dum falsi testes quacunque arte repelluntur, publica judicia firmantur potius, quam infirmentur. Quæ omnia Author aliqua absolute, alia sub alterius larvâ asserendo adducit nihilominus omnia probabilio-

babilia existimans, cum omnis actus humanus sit (secundum novas probabilistas) licitus, qui non impingit evidenter in aliquá legem obligatoriam vehementer, & dum quis dubitat, an aliqua lex ad aliquem casum se extendat, non teneatur ad observantiam illius: utique in casibus propositis circa legem Decalogicam non loquendi scilicet contra proximum falsum testimonium, cum dubitetur an ea, ad casus propositos se extendat, cessabit obligatio illius.

11. At si proximo falsum crimen objicere, idque juramento confirmare (nulli enim testi, nisi jurato creditur) non sit contra octavum Decalogi Præceptum delinquere: nescio an unquam contra illud peccari poterit. An ergo mentiri licitum esse potest? nullatenus. Proinde nec proximo falsum crimen affingere, quod formalissime mentiri est.

Lessius de Jure & Justitiâ lib. 2. cap. 30. dubio 1. quærit *an testis ratione falsi testimonij teneatur ad restitutionem & respondet, quod si sciens vel ex crassa ignorantia dixit falsum testimonium, ratione cujus alter injuste damnum acceperit, tenetur ad restitutionem damnorum*

norum in solidum. Et paulò post: *si ratione falsi testimonij mors vel mutilatio est inferenda tenetur testis sua dicta retractare, quamvis ipsi similis pœnæ periculum crearetur, ut communiter docent Doctores, quisquis enim tenetur damnum, quod alteri intulit, & inique patravit avertere etiam cum pari damno suo, ut patet in restitutione famæ, pecuniæ, honoris: nam in pari damno melior debet censeri conditio innocentis.* Quibus certe verbis contra superiorum assertorem sentit *Lessius* contra justitiam graviter peccare jam dictum testem. Quod autem mentiatur falsum testimonium proferendo, in ipsis verbis claret falsum enim, & contra mentem loqui, quid aliud, quam mentiri est?

12. Longe salubrius documentum, quam laxista dat *S. Augustinus hom. 1. inter 50. cap. 1. quid acturi sumus* ait *cum aliquis in malitiâ potens mortem nobis fuerit comminatus, nisi falsum testimonium dixerimus: profecto enim, si fecerimus, quod hic jubetur, cohibe linguam tuam à malo, ut propter hoc præceptum testimonij fallaciam recusemus, quasi decepti videbimur, quia propter habendæ vitæ cupiditatem*

tatem præceptum servare suscepimus, & eum magis præceptum servando perdidimus. Porro si intellexerimus vitam æternam beatam, tunc interrogati, quis est homo, qui vult vitam? & respondebimus nos velle vitam & jam sub ipso percussoris ictu veritatem servabimus in testimonio, mortem contemnemus in mundo, vitam consequemur in cœlo. Et *Euseb. lib. 6. præcept. Evang. cap. 4. Mortalem hominem* inquit *cum aliqua cura salutis sit nulla ratione cogi posse, ut mentiatur, non dubitamus, nam si etiam verbera & cædem minaberis, non dubitabit exclamare: Ensem acue, ignem adferas, corpus meum incidas, totum crematō: stellæ in terram prius descendent, & terra in cœlum ascendet, quam falsum à me quidquam audias. Mendacium* enim testibus *Vivaldo lib. lib. de vera contritione tap. 22. & Holkot lect. 11. in lib. sapientiæ, est idioma quo utuntur, qui sunt de Regno Diaboli:* unusquisque enim loquitur linguam suam, in quâ natus est, atque ita, quia mendaces de Patre diaboli nati sunt juxta *Ambrosium*, gentis suæ idiomate loquuntur.

13. Nec

13. NEc solum, qui contra proximum sed & qui contra se ipsum falsum testimonium profert octavi Decalogici præcepti violator est: quemadmodum enim Præcepto non occides non solum altericidium, sed & suicidium vetitum (hominem enim occidit, qui se, vel alterum occidit) sic quoq; octavo præcepto non solum qui contra alterum, sed & contra se ipsum falsum testimonium dicere inhibetur. *Augustinus lib. 1. de civit. Dei cap. 20. Nam & prohibitos nos esse, intelligendum est, ubi lex ait: Non occides, præsertim, quia non addidit proximum tuum: sicut falsum testimonium cum vetaret falsum inquit testimonium, non dices adversus proximum tuum: nec ideo tamen, si adversus seipsum quispiam falsum testimonium dixerit ab hoc crimine se putaverit alienum: quoniam regulam diligendi proximum à se ipso dilector accepit quandoquidem scriptum est, Diliges proximum tuum, sicut te ipsum. Porro si falsi testimonij non minus reus est, qui de se ipso falsum fatetur, quam si adversus proximum hoc faceret: quanto magis intelligendum est homini non licet seipsum occidere: cum in eo, quod scriptum*

ptum est non occides nihilo deinde addito nullus nec ipse utiq; cui præcipitur intelligatur exceptus.

Licere nihilominus contra seipsum falsum testimonium dicere, & restrictionibus mentalibus (quas mendacia esse ad secundum decalogi præceptum demonstratum est) Judicis & superioris interrogationes elidere docent, qui sentiunt.

PROPOSITIO VII.

Si reus dubitet, an legitime interrogetur à judice, non tenetur ad mentem ejus respondere, sed potest verbis æquivocare.

14. QUæ assertio etiam tenet, licet Judex sub pœnâ excommunicationis præcipiat, ratio est, quia reus, est in possessione libertatis valendi æquivocare à qua deturbari non potest propter dubium legitimæ interrogationis. Sed & causa semper hic intervenit, quia semper ij possunt nolle conservare

servare jus suum, quo possunt non aperire veritatem ei, cui ex certa & manifesta obligatione non debeant. Ex quo fundamento licebit semper reo artificio restrictionum mentalium elidere interrogationes Judicum, si non certo ei constet Judicem esse legitimum & interrogationes ab illo legitimè fieri.

15. Verùm alij paulò conscientiosiores limitant allatam propositionem, ita ut vera & admittenda sit, si timeatur à reo magnum malum, non verò exiguum, quale esset modicam pecuniam amittere: His nimium placet dudum explosa, & ab omnibus S Patribus damnata *Abbatis Joseph apud Cassianum collat 17* excogitata sententia dum ait: *Aliter de mendacio sentiendum, atque ita eo utendum est, quasi natura Hellebori ei insit: quod si imminente exitiali morbo sumptum fuerit, fit salubre, cæterum absque summi discriminis necessitate perceptum, præsentis exitij est*: Et paulò infra: *Quando igitur grave aliquod imminet de veritatis confessione discrimen, tunc mendaciorum sunt quærenda perfugia, ita tamen, ut reatus humilis conscientiæ salu-*

briter mordeamur: ubi autem nulla conditio summæ necessitasis incumbit, omni cautione mendacium velut mortiferum devitandum est, quemadmodum de Hellebori diximus potu. Et *cap. 20. Tunc necessario ac venialiter acquiescitur mendacij detrimento, quando majus imminet de veritatis confessione dispendium & utilitas, quæ nobis de veritate confertur, compensare illa, quæ generanda sunt damna, non prævalet.* Sed hanc limitationem reijcit assertor ultimo allatæ propositionis, eo quod prædicta possessio libertatis æquivocandi æque prævaleat, sivè grave, sivè leve damnum timeatur.

16. Sed quid, si reus à Judice & legitimo, & legitime interrogetur, nunquid etiam cum periculo vitæ veritatem fateri tenebitur, nec æquivocatione, aut mentali restrictione Judicis interrogationem subterfugere vel elidere poterit?

PROPOSITIO VIII.

Reus legitime interrogatus si subsit periculum vitæ, veritatem æquivocatione occultare & negare potest.

Cui similis est, quæ sequitur.

PROPOSITIO IX.

Ad tormenta damnag, gravia vitanda potest quilibet sibi falsum crimen imponere, etiamsi mors sit sibi secutura.

QUas sententias licet assertor à pluribus præsertim antiquioribus impugnari & cõtrarias doceri fateatur. *Sed jam alij recentiores* inquit *post accuratam discussionem advertentes onus esse supra naturæ vires difficile reum obligare ad inferendum testimonium capitale contra seipsum docent probabilissimum esse, & tutum reum minime obligari ad fatendum crimen suum, unde tantum malum sibi parari videat.* Rationemq; horum mox assignat. *In re inquiens tam ardua Judex non est superior. Quod si is soleat cogere, ideo est, quia sequitur opinionem, quæ saltem ob authoritatem Doctorum probabilis est.*

17. Huic ergo sententiæ & rationi conformiter nullus Judex, etiamsi indicia semiplene probantia habeat, in ullo crimine per torturam reum ad criminis alicujus super

quo quæritur, confessionem adigere poterit, imò graviter peccabit, si id attentet; causam & personam judicare præsumens, cujus superior & Judex non est, adeoque usurpans judicium. Quid hoc est, nisi criminibus & criminosis universis securitatem & immunitatem largiri, ut quantumvis liberè peccent, si tamen sufficientibus testimoniis convinci nequeant, etiamsi semiplena probatio contra ipsos habeatur, torturis tamen ad veritatem fatendam adigi nequeant? certè aliter senserunt S. Patres, quos hic recensere longum esset. *Eusebius Papa Epist. 1. ad Galliæ Episcopos, cujus est sanctio illa, corpori Juris Canonici inserta in can. illi qui 5. q. 5. veritatem diversis cruciatibus* ait *è latebris suis religiosus tortor exigere debet: ut dum pœnis corporum subijciuntur, quæ gesta sunt, fideliter & veraciter exquirantur.* Vnde *Lessius de Jure & Justitia lib. 2. cap. 29. dubit. 13 n. 151. Torturam* ait *introductam esse non in pœnam criminis commissi, sed in subsidium probationis, ut quia sufficiens, & plena probatio deest, ipse reus confitendo veritatem suppleat, quod ad plenam probationem requiritur,* ut docet

Covarr.

Covarr. pract. quæst. 23. ex communi sentent DD. & Clarius q. 64. num. 6. Vnde sequitur torturam adhiberi non posse, nisi quando crimen est semi probatum, vel quando vehementia indicia urgent, ita ut fere moraliter certum sit, ipsum authorem esse: In hoc autem casu eam adhiberi posse ad confessionem, est consentaneum rationi naturali: si enim non posset, improbi audacter & impune peccarent, damna & injurias aliis inferrent, quando putarent se testibus vel externis Indiciis non convincendos. Cum verò vident ex Indicijs vel uno teste tormentis subijciendos se continent. Accedit, quod plerag; maleficia gravissima non possent puniri, quia paucis vel multis consciis committuntur, cum tamen id ad Bonum Reipublicæ sit necessarium, alioquin omnia scelerибus, & sceleratis essent plena.

18. Idem pulcherrimè quoque demonstrat *Benedictus Carpzovius p. 3. quæst. criminalium q. 117. n. 1. 2. 3. usque ad 8. inclusive, & tam ex Jure, quam Juris consultis & SS. Patribus fusè probat.* Quibus omnibus potior est irrefragabilis Authoritas *Doctoris Angelici 2. 2. q. 69. a. 1. in corp.* ubi ait *pertinet ad debituro*

bitum Justitiæ, quod aliquis obediat suo superiori in his, ad quæ jus prælationis se extendit. Judex autem ut supra dictum est, superior est respectu ejus, qui judicatur, & ideo ex debito tenetur accusatus Judici veritatem exponere, quam ab eo secundum formam juris exigit. Et ideo, si confiteri noluerit veritatem quam dicere tenetur, vel si eam mendaciter negaverit, mortaliter peccat. Hæc *D. Thomas*, contra quem si assertor allatarum propositionum probare queat in casu gravi, ubi reus per confessionem subit mortis periculum reum desinere esse subditum, & Judicem non amplius esse legitimum superiorem, omne tulerit punctum, & lubentes ad suas partes, & sententiam omnes transibunt, poteritque juxta jam dicta sed explosa fundamenta reus, juxta aliam laxorum, supra allegatam assertionem talem Judicem tanquam injustum & non legitimum superiorem, sed potius invasorem licite occidere.

Verum non cessat hic laxistarum audacia, nec solum dant licentiam reo, ut ad evadendum mortis periculum, sed & ad quodcunq; grave

grave damnum evitandum veritatem vel absolute, vel cum æquivocatione mentisque restrictione negare queat: ratione cujus sit.

PROPOSITIO X.

Quod dictum de periculo mortis evitando, idem dicendum de quocunq; gravi damno, Exilio, Triremium gravis infamiæ, &c.

19. *Quod dictum est* inquit assertor *de periculo vitæ extenditur communiter ad quodcunq; grave damnum & malum: puta exilium, bonorum amissionem, triremes, gravem infamiam &c.* Cujus rationem mox subjungit: *quia ad hæc tam gravia mala perinde ac ad mortem avertendam. jus naturæ nos armat, imò nos urget.* Ex quo consequenter vult inferre rationem prævie adductam, scilicet superiorem non esse superiorẽ. Quod si quæras, quid dicendum si agatur de levi malo vitando? Respondeo inquit idem Author à mortali fortassis excusandus esses,

quamvis contrarius sit *de Lugo*. Ratio esse potest, vel quia de Jure naturæ videtur esse, ut ne leve quidem vulnus mihi ipsi infligam: vel quia, si agitur de pœna levi infligenda, videtur & leve, & non rigorosum superioris præceptum: vel quia ex negatione talis veritatis non oritur grave malum reipublicæ, si solum levis pœna sit imponenda. Ecce rationes & assertiones tres, quibus omnis superiorum potestas radicitus quodammodo evertitur, & enervatur. Si verùm est, de Jure naturæ nulli licere sibi vel leve vulnus infligere, an ergo est de Jure naturæ gravissimũ & lethale sibi vulnus infligere, & gladio linguæ iniquæ, & mendacis, animam simul & corpus trucidare? si Judici & superiori aliquid, unde grave vel leve malum & incommodum oritur, parendum non est, quando & in quo parendum erit? Certè de his benè dixit *Isaias cap. 30. Populus ad iracundiam provocans est, & filij mendaces, filij nolentes audire legem Dei. Qui dicunt videntibus, nolite videre, & aspicientibus nolite aspicere nobis ea, quæ recta sunt. Loquimini nobis placentia.* &c.

Epilogus.

EPILOGVS.

HAbes hic benevole Lector ex innumeris paucas, sed præcipuas laxitates Decalogi, Legis Divinæ Præceptorumque Ecclesiæ eversivas ex diversis Authoribus collectas, & publicè exhibitas; ex quibus vides, in quas absurditates luxuriantia ingenia, nisi se infallibili legis Divinæ regulâ dirigi permittant, provolvantur: nec esse Divina Præcepta *Regulam lesbiam*, quæ pro cujusvis beneplacito in quamcunque partem inflecti possit; sed cui se cor & intellectus humanus, si recta sint, vel esse cupiant, conformare teneantur. *Augustinus in Expositione psalm. 93.* Ne ait *voluntatem Dei velis torquere ad voluntatem tuam: sed tuam corrige ad voluntatem Dei, voluntas Dei sic est, quomodo Regula: Ecce*

putator sisti Regulam, unde habes corrigi: illa autem integra manet Regula: est enim incommutabilis. Quamdiu integra est regula, habes quo te convertas: & corrigas pravitatem tuam: habes unde corrigas, quod in te tortum est, Quid autem volunt homines? parum est, quod voluntatem tortuosam habeant: etiam volunt voluntatem Dei tortuosam facere secundum cor suum. Et *in Psalm 31. conc. is. Quomodo distortum lignum, si ponas in pavimento æquali, non collocatur, non compaginatur, nec adjungitur, semper agitatur, & nutat: non quia inæquale est, ubi posuisti; sed quia distortum est, quod posuisti, ita & cor tuum, quamdiu pravum est, & distortum, non potest collineari rectitudine Dei: & non potest in illo collocari: ut hæreat illi, & fiat rectum.* Verbis itaque *S. Augustini* quibus præfationem, illis, & hunc Epilogum concludo. *Cum videris multos non solum hæc facere sed etiam*

iam defendere, atque suadere tene te ad Legem Dei, & non sequaris prævaricatores ejus: non enim secundum illorum sensum, sed secundum illius veritatem judicaberis: Ne sequaris blandientis serpentis antiqui protoparentum seductoris vafritiem: non novellorum probabilistarum benignas nimis interpretationes, non latæ & spatiosæ ad interitum ducentis viæ duces: sed tene te ad Legem Dei, Sanctorum Patrum infallibilibus interpretationibus explicatam angustam viam, quæ ad vitam ducit demonstrantem, quã ego tibi, tu mihi apud Deum vicissim precemur. Vale benevole Lector & fruere exiguo hoc meo labore, quem hisce finio, & infallibili Judicio S. Matris Ecclesiæ submitto: revocatum & nec dictum, nec scriptum volens; si quid contra unicam Romano Catholicam solam salvificam fidem: contra

bonos mores, vel Doctrinam Doctoris Angelici scripserim: hoc unicè exoptans, ut quot sunt in hoc libello litteræ, toties & infinities millies glorificetur Deus in magnâ & admirabili Matre suâ Cæli terræque Imperatrice, omnibusque Sanctis, sitque ille, qui est rerum omnium, sic & hujus libelli Alpha & Omega, Principium &

FINIS.

Cum

Cum in præsenti libello duas Bullas Feliciss. Record. Alexandri VII. sæpius citarim, hinc illas pro informatione illorum, ad quorum manus nondum pervenerunt, hic subjungere placuit.

Decreta Sanctiss. in Christo Patris

Ac D. N. D.

ALEXANDRI PAPÆ VII.

In Congregationibus Generalibus Sanctæ Romanæ & Vniversalis Inquisitionis habitis.

Feria V. die 24. Septembr. 1665.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Vniversalis inquisitionis habita in Palatio Apostolico montis Quirinalis coram Sanctiss. D. N. D. Alexandro Divinâ providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S. R. E. Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolica specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. audivit non sine magno animi sui mœrore complures opiniones Christianæ disciplinæ relaxativas, & animarum perniciem inferentes, partim antiquatas iterum suscitari partim noviter prodire: & summam illam luxuriantium ingeniorum licentiam indies magis excrescere, per quam in rebus ad conscientiam pertinentibus modus opinandi irrepsit alienus omnino ab Evangelica simplicitate, Sanctorumque Patrum doctrinâ & quem si pro rectâ regula Fideles in praxi sequerentur, ingens eruptura esset Christianæ vitæ corruptela. Quare ne ullo unquam tempore viam salutis quam suprema veritas Deus, cujus verba in æternum permanent arctam esse definivit, in animorum perniciem dilatari, seu verius perverti contingeret idem Sanctissimus D.N. ut oves sibi creditas ab ejusmodi spatiosa, lataque per quam itur ad perditionem viâ, pro pastorali sollicitudine in rectam semitam evocaret, earundem opinionum examen pluribus in sacra Theologiâ Magistris, & deinde Eminentissimis & Reverendissimis DD. Cardinalibus contra hæ-

hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus serio commisit; qui tantum negotium strenuè aggressi, eique sedulo incumbentes, & maturè discussis usque ad hanc diem infrascriptis propositionibus super unaquaque ipsarum sua suffragia sanctitati suæ singillatim exposuerunt.

1. *Homo nullo unquam vitæ suæ tempore tenetur elicere actum fidei spei & charitatis ex vi præceptorum divinorum ad eas virtutes pertinentium.*

2. *Vir equestris ad duellum provocatus potest illud acceptare, ne timiditatis notam apud alios incurrat.*

3. *Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresis, & aliorum Criminum quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in quâ de occultis criminibus sermo est, anno 1629. 18. Julij in Consistorio sacræ Congregationis Emin. Cardinalium visa & tolerata est.*

4. *Prælati Regulares possunt in foro conscientiæ absolvere quoscunq; sæculares ab hæresi occultâ & ab excommunicatione propter eam incursâ.*

5. Quam-

5. Quamvis evidenter tibi constet Petrum esse hæreticum, non teneris denunciare, si probare non possis.

6. Confessarius qui in Sacramentali Confessione tribuit pœnitenti chartam postea legendam, in quâ ad venerem incitat, non censetur sollicitasse in confessione, ac proinde non est denunciandus.

7. Modus evadendi obligationem denunciandæ sollicitationis est, si sollicitatus confiteatur cum sollicitante, hic potest ipsum absolvere absq; onere denunciandi.

8. Duplicatum stipendium potest Sacerdos pro eadem missa licitè accipere, applicando petenti partem etiam specialissimam fructus ipsimet celebranti correspondentem, idq; post decretum Vrbani VIII.

9. Post decretum Vrbani potest Sacerdos, cui Missæ celebrandæ traduntur, per alium satisfacere, collato illi minori stipendio, aliâ parte stipendij sibi retentâ.

10. Non est contra justitiam pro pluribus sacrificiis stipendium accipere, & sacrificium unum offerre; neq; etiam est contra fidelitatem, etiamsi promittam promissione etiam juramento

mento firmatâ danti stipendium, quod pro nullo alio offeram.

11. Peccata in Confessione omissa seu oblita ob instans periculum vitæ aut ob aliam causam non tenemur in sequenti Confessione exprimere.

12. Mendicantes possunt absolvere â casibus Episcopis reservatis, non obtentâ adid Episcoporum facultate.

13. Satisfacit præcepto annuæ confessionis qui confitetur Regulari Episcopo præsentato sed ab eo injustè reprobato.

14. Qui facit confessionem voluntariè nullam, satisfacit præcepto Ecclesiæ.

15. Pœnitens propriâ Autoritate substituere sibi alium potest, qui loco ipsius pœnitentiam adimpleat.

16. Qui beneficium curatum habent, possunt sibi eligere in confessarium simplicem sacerdotem non approbatum ab ordinario.

17. Est licitum Religioso vel Clerico calumniatorem gravia crimina de se, vel de suâ religione spargere minantem occidere, quando alius modus defendendi non suppetit, uti suppetere non videtur, si calumniator sit paratus vel ipsi Re-

ipsi Religioso, vel ejus Religioni publicè & coram gravissimis viris prædicta impingere, nisi occidatur.

18. Licet interficere falsum accusatorem, falsos testes, ac etiam judicem â quo iniquè certo imminet sententia, si aliâ viâ non potest innocens damnum evitare.

19. Non peccat maritus occidens propriâ authoritate uxorem in adulterio deprehensam.

20. Restitutio â Pio V. imposita beneficiatis non recitantibus non debetur in conscientiâ ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.

21. Habens Capellaniam collativam, aut quodvis aliud beneficium Ecclesiasticum, si studio literarum vacet, satisfacit suæ obligationi, si officium per alium recitet.

22. Non est contra justitiam beneficia Ecclesiastica non conferre gratis, quia collator conferens illa beneficia Ecclesiastica pecuniâ intervenientè non exigit illam pro collatione beneficij, sed veluti pro emolumento temporali, quod tibi conferre non tenebatur.

23. Frangens jejunium Ecclesiæ ad quod tenetur non peccat mortaliter nisi ex contempt vel in-

vel inobedientiâ hoc facit, puta quia non vult se subijcere præcepto.

24. Mollities, sodomia, & bestialitas sunt peccata ejusdem speciei infimæ, ideoq; sufficit dicere in confessione se procurasse pollutionem.

25. Qui habuit copulam cum solutâ satisfacit confessionis præcepto, dicens commisi cum solutâ grave peccatum contra castitatem, non explicando copulam.

26. Quando litigantes habent pro se opiniones æquè probabiles, potest judex peccuniam accipere pro ferendâ sententiâ in favorem unius præalio.

27. Si liber sit alicuius junioris & moderni, debet opinio censeri probabilis dum non constet, rejectam esse â sede Apostolicâ tanquam improbabilem.

28. Populus non peccat etiãsi absq; ulla causâ non recipiat legem â Principe promulgatam.

Quibus peractis dum similium propositionum examini cura & studium impenditur, interea idem sanctissimus re maturè cõsideratâ statuit & decrevit prædictas propositiones & unamqamq; ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas

& pro-

&prohibendas, ſicut eas damnat & prohibet: ita ut quicunq; illas aut conjunctim aut diviſim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam diſputativè publicè aut privatim tractaverit, niſi forſan impugnando, ipſo facto incidat in excommunicationem à quâ non poſſit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunq; etiam dignitate fulgente, niſi à pro tempore exiſtente Romano Pontifice abſolvi.

Inſuper diſtrictè in virtute ſanctæ obedientiæ & ſub intermination divini judicij prohibet omnibus Chriſti fidelibus *cujuscunque* conditionis dignitatis ac ſtatus, etiam ſpeciali & ſpecialiſſimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipſarum ad praxin deducant.

Joannes Lupus ſanctæ Romanæ & Univerſalis Inquiſitionis, Not. &c.

L. S.

Anno

Año à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo quinto, Indictione tertiâ die vero 2. mensis Octobris, Pontificatus autem sanctiss. in Chro. Patris D.N.D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. anno undecimo supradictum decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in alijs locis solitis & consuetis urbis per me Carolum Melanum ejusdem sanctissimi D. N. Papæ & sanctissimæ inquisitionis cursorem.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost. 1665.

Feria V. die 18. Martij 1666.

IN Congregatione Generali Sanctæ Romanæ & Vniversalis inquisitionis habita in Palatio Apostolico Montis Quirinalis coram sanctiss. D.N.D. Alexandro divinâ providentiâ Papa VII. ac Eminentissimis & Reverendissimis DD. S.R.E Cardinalibus in tota Republica Christiana adversus hæreti-

hæreticam pravitatem Generalibus Inquisitoribus à Sancta Sede Apostolicâ specialiter deputatis.

SAnctissimus D. N. post latum Decretum 24. die Septembris proximè elapsi, quo viginti octo propositiones damnatæ fuerunt; examinatis sedulo & accuratè usq; ad hanc diem infra scriptis alijs quadragesimum quintum numerum implentibus, per plures in Sacrâ Theologiâ Magistros, ac per Eminentissimos & Reverendissimos DD. Cardinales adversus hæreticam pravitatem Generalis Inquisitores eorum suffragia singillatim super unaquaq; ipsarum audivit.

29. *In die jejunij qui sæpius modicum quid comedit, etsi notabilem quantitatem in fine comederit non frangit jejunium.*

30. *Omnes officiales qui in Republicâ Corporaliter laborant, sunt excusati ab obligatione jejunij, nec debent se certificare, an labor sit compatibilis cum jejunio.*

31. *Excusantur absolutè à præcepto jejunij omnes illi qui iter agunt æquitando, utcunque iter agant, etiamsi iter necessarium non sit, & etiamsi iter unius dici conficiant.*

32. Non

32. *Non est evidens quod consuetudo non comedendi ova & lacticinia in quadragesimâ obligat.*

33. *Restitutio fructuum ob omissionem horarum suppleri potest per quascunque eleemosynos quas antea beneficiatus de fructibus suis beneficij fecerit.*

34. *In die Palmarum recitans officium Paschale satisfacit præcepto.*

35. *Vnico officio potest quis satisfacere duplici præcepto pro die præsenti & crastino.*

36. *Regulares possunt in foro conscientiæ uti privilegiis suis, quæ sunt expressè revocata per concilium Tridentinum.*

37. *Indulgentiæ concessæ Regularibus & revocata à Paulo V. hodie sunt revalidæ*

38. *Mandatum Tridentini factum sacerdoti sacrificanti ex necessitate cum peccato mortali confitendi quamprimum est Consilium non preceptum.*

39. *Illa particula (quamprimum) intelligitur, cum sacerdos suo tempore confitebitur.*

40. *Est probabilis opnio quæ dicit esse tantum veniale osculum habitum ob delectationem carnalem & sensibilem quæ ex osculo oritur, se-*

tur, seclusò periculo consensus ulterioris & pollutionis.

41. Non est obligandus concubinarius ad eiiciendam concubinam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum concubinarij, vulgo regalo, dum deficiente illâ nimis ægrè ageret vitam. & aliæ epulæ tædio magno concubinarium afficerent, & alia famula nimis difficilè inveniretur.

42. Licitum est mutuanti aliquid ultra sortem exigere, si se obliget ad non repetendam sortem usque ad certum tempus.

43. Annuum legatum pro animâ relictum, non durat plus quam per decem annos.

44. Quoad forum conscientiæ, Reo correcto, ejusque contumaciâ cessante cessant censuræ.

45. Libri prohibiti donec expurgentur possunt retineri, usque dum adhibitâ diligentiâ corrigantur.

Quibus maturè pensatis idem sanctissimus statuti ac decrevit, prædictas Propositiones & unamquamq; ipsarum, ut minimum tanquam scandalosas esse damnandas & prohibendas, sicut eas damnat ac prohibet: Ita ut qui-

ut quicunque illas aut conjunctim aut divisim docuerit, defenderit, ediderit, aut de eis etiam disputativè publicè aut privatim tractaverit, nisi forsan impugnando, ipso facto incidat in excommunicationem à quâ non possit (præterquam in articulo mortis) ab alio, quacunq; etiam dignitate fulgente, nisi à pro tempore existente Romano Pontifice absolvi.

Insuper districtè in virtute sanctæ obedientiæ & sub interminatione divini judicij prohibet omnibus Christi fidelibus cujuscunque conditionis *dignitatis* ac *status*, etiam speciali & specialissimâ notâ dignis, ne prædictas opiniones aut aliquam ipsarum ad praxin deducant.

Joannes Lupus sanctæ Romanæ & Universalis Inquisitionis. Not. &c.

L. S.

Año à Nativitate D.N. Jesu Christi millesimo sexcentesimo sexagesimo sexto, Indictione quartâ die vero 23. mensis Martij, Pontificatus autem sanctiss. in Chro. Patris D.N.D. Alexandri divinâ providentiâ Papæ VII. anno undecimo supradictum decretum affixum & publicatum fuit ad valuas Basilicæ Principis Apostolorum, cancellariæ Apostolicæ, ac in acie campi Floræ, ac in alijs locis solitis & consuetis urbis per me Carolum Melanum ejusdem sanctissimi D. N. Papæ & sanctissimæ inquisitionis cursorem.

Romæ ex Typographia Rev. Cameræ Apost. 1666.

INDEX.

A.

Abbati qualem Lectorem suadeat laxista. Pag. 402.
Abortum procurari fœtu nondum animato peccatum mortale est. pag 429. & seq.
Adulterium est cum uxore alterius illo consentiente concumbere. 453 & seq.
Advocatus causis quæ semiplene probari nequeunt & actori nullum jus habenti patrocinari non potest. 530. & seq.
Antidecalogus Machiavelli refertur. 109.
Ad amorem Dei directe & immediate obligari hominem probatur. 93 & seq.
Avaritia sexto præcepto decalogi vetita omnibus vitiis pejor est. 499 & seq.
S. Augustinus probat non dari ignorantiam invincibilem præceptorum decalogi & ex illis facili consequentia deductis 60 & 61.
S. Augustin. innumeris Neotericis præferendus, 66.
Authoritati SS Patrum plus quam rationi dialecticæ deferendum. 76. & 77.

B.

Bellum non ob quamvis ratiunculam probabilem suscipiendum. 389. & seq.
Causæ quando liceat. idid.
S. Bernardi de Summo Pontifice elogium. pag. 143.

Breviario carens tenetur omnia quæ potest ex diurnali legere. 356.
Bona subditorum quando spectent ad Reges & Principes. 504 & seq.
Bonorum Ecclesiasticorum raptores & invasores quam severe à Deo puniti. 192. & seq.
Bona Ecclesiastica tineæ cariei & rubigini comparantur. 204.

C.

Carolus Magnus quid adeptus per acclamationem populi Romani & inauguratione. 273.
Carolus V. condēnavit Lutherū cum suis 138. & 139.
Castratio semper illicita 439. & seq.
Cævallos de probabilitate judicium 30. & 513.
Calumniatorem testes & judicem injustum non licet occidere ob vitam vel bona servanda 406. & seq.
Clades Varnensis qualis an in illa commissum fædifragium & quale 222. & seq.
Conciliorum convocatio est penes Summum Pontificem non penes Principem secularem 161. & seq.
Concilium Constantiense non fregit fidem Husso nec Hieronymo de Praga 216. & seq.
Compensatio occulta non licet 536.
Non citatum condemnare est contra legem naturæ 560.
Concubinatus quomodo dicatur coitus legitimus 467.
D. Conringij laus & disaffectio in Pontificem 289.
Crapula & ebrietas fontes libidinis 485.

D.

Decalogi præcepta necessario cohærent cum primis principiis legis naturalis 62
Ea transgredientes etiam ex ignorantia pœna digni 63
Deorum nullitatem & pluralitatem in conscientia defendi posse putat quidam Neotericus sed refutatur 80. & seq.
Deus non potest in præceptis Decalogi dispensare contradictorie 91.
Delectatio carnalis in conjugatis veniale peccatum est 449.
In dialectica Deus non intendit salvare populum suum 78.
Duellum sub quocumq; prætextu illicitũ 410. & s.

E.

Egentibus per mutuum succurrere non sufficit 551.
Egentibus quare divites succurrere per Eleëmosynas recusent 553. & seq.
Eleëmosynam de superfluis status divites dare tenentur in communibus necessitatibus 545. & seq.
Episcopi Mechlinienſis & Gandavenſis de Neotericis probabilistis judicium 28. & 29.
Principem de jure divino hoc ipso non esse Episcopum 132. & seq.
Errandi periculo se exponit sententiam probabilem sequens 48

Excommunicari potestate Ecclesiastica potest Princeps sæcularis 237.

F.

Falsum crimen sibi vel alteri ad vitandã mortem vel tormenta gravia imponere nullo modo licet 571.& seq.
Falsum crimen obijcere mentiri est 572.
Falsum testimonium contra seipsum proferre illicitum est 575
Ipsum octavo quoque præcepto vetatur ibid.
Fœdera Principi Catholico cum Turca & infidelibus illicita: ostenditur 230.& seq.
Fænus bonum quomodo exercendum 553.
Festos dies instituere non est Principis sæcularis 157.
Fœtum carere anima rationalj quamdiu in utero existit falsum est 434.
Fornicatio ex natura sua mala non solum quia prohibita 469.
Fundatorum menti per omnia satisfaciendum absque interpretatione 190.
Furari in gravi necessitate & non extrema illicitum est 535.
Furtis minutis ablata restitui debent si in notabilem quantitatem excreuerint 534.

G.

Gabellæ an & quando à subditis solvendæ 398.&sq.
Gula ex natura sua est peccatum mortale 489.

H.

Hæretici extremo supplicio juste puniuntur 168.
Hæretici ad rebellandum semper proclives 182.
Hæreticos cum Catholicis firma societate jungi impossibile 125.
Hæreticorum notæ 183. & seq.
Henrici VIII. Angliæ Regis irruptio in bona Ecclesiastica & inde orta paupertas 203
Hominem invincibiliter Atheum esse quidam sed absurde censet 83
Homines Exleges Deus creare non potest
Horas de Resurrectione Domini per totum annum legere non licet 360.

I.

Jejunium Ecclesiæ quomodo omnino evertant laxistæ 369. usque 374.
Ignorantia basis probabilitatis 50.
Ignorantia sæpe putatur invincibilis & vincibilis est 65.
Originem habet à pravis habitibus ibid.
Inebriare se semper illicitum 493. & seq.
Judicum culpæ in Principem referuntur 414.
Judex reo mandare nequit sui ipsius occisionem 421.
Judiciorum modus inordinatus & quomodo illi obviari possit 507. usque 519.
Judex parti probabiliori rem adjudicare tenetur 519. & seq.
Judicij temerarij perversitas in quo consistat 559.

Juste damnatus ut fame pereat non potest cibum occulte oblatum respuere 421. usq. 429.

L.

Laborantes in festo vel dominica venando, piscando, pingendo &c. violant tertium Decalogi præceptum 362. usque 368.
Lex clara esse debet 508.
Legata pia non possunt etiam in meliorem usum converti 196. & seq.
In lege naturali quoad prima principia non datur ignorantia invincibilis
Lutheri & Lutheranorum odium in summum Pontificem 141. & seq.
Lutheri Encomium à Carolo V. 177
Lutheranorum Encomium ab Erasmo Rotterodamo 178.
Luthero nihil est peccatum habenti fidem 417.

M.

Machiavelli antidecalogus & nequitia 109.
Mæchiæ nomine etiam fornicatio intelligitur juxta S. August. 445.
Mendacium idioma diaboli 574.
Mendacium ut helleboro utendum suasit Abbas Joseph & male
Miraculum Lutheri in conversione mundi à Thoma moro irrisum 187
Missa tota audienda sub mortali & quomodo 347.
Missæ auditioni non satisfacit qui soli consecrationi interest 358.

Mohatræ contractus quando illicitus 542.
Mollities ex natura ſua mala non ſolum quia prohibita 474 & ſeq.
Mollities ſpecie diſtincta ab aliis vitiis contra naturam 481
Movens efficaciter ad damnum inferendum ad reſtitutionem obligatur 539.
Munera excæcant oculos judicum 521. & ſeq.
Munera à partibus ordinarie invitis dantur 526.

N.

Neoterici eo collimant ut omnia peccata tollant ſed fruſtra 26
Gnoſſitis & carpocratianis ſimiles ibid.
Neotericorum modus opinandi alienus ab Evangelica ſimplicitate & SS. Patrum doctrina 27.
Neoterici in morum doctrina errant quotidie 67.
Illorum ſuperbia & quæ ejus origo 67. & ſeq.
Neoterici Apoſtolis & SS. Patribus nullo modo æquandi 69. & 73.
Plus tribuunt probabilitati quam divinitati 88.
Illorum ingratitudo 104. & ſeq.

O.

Obedientia religioſi qualis eſſe debeat 403
Occaſiones proximæ peccandi mortaliter ſub mortali vitandæ 459. uſque 466.
Obligatio præcepti non oritur à determinatione circumſtantiarũ impletionis 103. & ſeq.
Occidere non licet fugientem poſt impactam

alapam nec qui abstulit rem valoris unius aurei 409. & 413.
Osculum disponens ad seminationem mortale est 455. & seq.
Oratio & auditio missæ cum attentione interna sub mortali peragenda 348.
Ordinis Sacramentum nunquam nisi ab Episcopo collatum 134.

P.

Pacta cum hæreticis inviolate servanda 207. & seq.
Parentes terrestres Dij quomodo honorandi 378.
Parentũ consensus ad matrimonia requirendus 380.
Parentum mortem optare quacumq; de causa sibi etiam utili grave peccatũ est 383. & seq.
Parricidij pœna qualis 378.
Papissam fuisse figmentum est 301. usq; 313.
SS. Patres Doctoribus neotericis præferendi 69.
In præceptis decalogi & quæ ex illis facile deducuntur non datur ignorantia invincibilis 56. & seq.
Princeps non ob quamvis causam ad bellandum vel belli sumptis præstandos cogere potest 394.
Principis potestas alia ordinaria, alia absoluta 502.
Peccata contra naturam specie differunt 481. &c.
Pontificem nulli subjectum probatur 144
Eum licite possidere bona & dominia temporalia ex ipsis hæreticis ostenditur 242. & seq.
Pontifex est legitimus Dominus urbis Romæ & appertinentium 262, usque 300.

Proba-

Probabilitatis materiam fuse discussit P. Teryllus & P. Alphonsus à Sarasa 25.
Probabile non est quidquid à quovis Doctore docetur 25. & 27.

R.

Rationes Philosophicæ certitudinem argumentorum Theologicorum imminuunt 74.
Regulæ probabilitatis quoad se & nos ex P. Teryllo recensentur 40. & seq.
Religio vera falsæ præferenda 112.
Religio Principis potestati non subest 113. & seq.
Religiosos ab omni quasi obedientia eximunt Neoterici 401.
Religiones diversæ quando & quomodo permittendæ 117. & 126.
Restrictiones mentales aceerrime impugnantur & refutantur 316. usq; 345.
Reinckingij de occasione tyranni falsa impositio 416.
Ejus errores per totam appendicem refutantur 128 usque 314.

S.

Sententia probabilis quid 31. & seq.
Sententiam vere probabilem probabiliori relicta licet sequi & hoc est probabilius 34. & 35
Sententiæ probabilis abusus apud neotericos 38.
Sententiam an sit vere probabilis difficile discernere 48.
Pro sententia injusta pretium accipere non licet 521. usque 529.

Simonia est dare aliquid pro spirituali ut motivum vel gratuitã compensationẽ 374 &seq.
Superflua divitum quæ 543
Suspicio temerariji initium falsi testimonij 565
Radix infinitorum malorum ibid.
Suspicio dubium opinio in re gravi mortalia esse plures authores docent 569.&seq.

T.

Tyrannum privata authoritate occidere illicitum 415.&seq.
Tyrannus quotuplex 419


V.

Vbera puellæ absque necessitate contrectare quale sit peccatum 457.&seq.
Visitare ministros Ecclesiæ non est Principis sæcularis 155.
Vomitum per ingurgitationem nimiam procurare an & quale peccatum 488.&491.
Vsura est expectare aliquid ex gratitudine vel benevolentia non justitia 542.

FINIS.

ERRATA.

PAgina 60. circa finem verba si interrogetur &c. usque faciat transponantur linea sequentj post faciat. pag. 65. fragnano lege fagnano. pag. 69. in initio Eccleſia lege Eccleſia. pag. 78. Thancos leg. Thaneos. pag. 84. n. 4. curſores leg. cuſores. p. 86. Vannez lege Bannez. pag. 88. circa med. intuitam leg. intuitum. pag. 91. lin. 3 dccaſione lege occaſione. p. 95. circa med. conſumantur leg. conſummantur. p. 99. Banner leg. Bannez. pag. 100. n. 15. lin. 1. 9. l. a. q. p. 106 Oriſius lege Oroſius. pag. 110. impoſteris lege impoſtoris. pag. 117. antrinitarij lege antetrinitarij. pag. 123. intra lege extra. pag. 128. circ. fin. deliberare lege delibare. pap. 177. circ. med. natrias leg. nutrias. pag. 197. circ. med precatum leg. precarium. pag. 200. circ. fin. proclare leg. præclare. p. 234. circ. init. alienus leg. alienis. pag. 342. in init. malis lege malus. p. 361. in init. ceſſandnm leg. ceſſandum. pap. 404. in init. quia lege quia.



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

